DE RITIBVS
INCOLENDÆ SOLITVDINIS,
SIVE

SECESSVS AD EXERCITIA SPIRITVALIA,
Quotannis semel, aut frequentiùs ineundi,

DISQVISITIONES ASCETICAE,

Sex Libris Comprehensæ,

QVÆ VARIIS RELIGIOSORVM ORDINVM
Sanctionibus, Exemplis Sanctorum, & piorum Scriptorum monitis explicantur.

OPVS EXCITANDIS PRAESERTIM NOVITIIS, Monialibus, Scholasticis, Sacerdotibus, Prædicatoribus, in Missione versantibus, Superioribus, & Episcopis vtilissimum.

TOMVS PRIMVS.

AVTORE

D. FRANCISCO - MARIA MAGIO
Clerico Regulari Panormitano.

EDITIO SECVNDA
Auctior & Emendatior.



ROMÆ, Apud Ignatium de Lazeris M.DC.LVI.
Nunc iterum Neapoli apud Nouellum de Bonis M.DC.LXXV.

SVPERIORVM PERMISSV.

AVTORIS VOTVM, EMISSVM A SINGVLIS
Neapolitana in Domo Recessus

SANCTISSIMI SACRAMENTI, ET IMM. CONCEPTIONIS.

TAM voueo, quàm iuro mori, aut tormenta subire
Omnia, ne admittam in Virgine crimen Adæ.
Nec loquar ad populum, illam quin sine Labe salutem:
Hispano vt statuunt edere more Patres.
Si quod Opus scribam, voueo laudare Mariam,
Labis Adæ immunem, vt claudat & ornet Opus.
Quaslibet immò Theses, laude hac praeunte, tuebor.
Ducere cum hac cunctos, claudere & opto dies.
Corde hanc, ò vtinam! noctuque diuque deinceps,
Æger, & incolumis, semper in ore geram.
Tum Scapulare feram Conceptæ Virginis, orans;
Númine, vt Inferno liber ab igne fruar.

SANCTISSIMÆ ET AVGVSTISSIMÆ VIRGINIS

MARIAE DEIPARAE

S I M V L A C R O,

Quod Neapoli in Ædibus S. Pauli Maioris,

Et ſanctiſſimi Sacramenti ac immaculatæ Conceptionis,

S. M A R I A P V R I T A T I S,

Panormi verò in Cæmeterio Ædium Diui Ioſeph,

S. M A R I A P R O V I D E N T I Æ,

Nuncupatur;

Franciſcus Maria Magius, Clericus Regularis, inſignis peccator, ſed inter humillimos eius ſeruos cenſeri cupiens, gloriam & laudem plurimam dicit.



NAM te, Deipara, præter Deum, impenſiùs ex animo adoro: & in Reginam, in Dominam, & in Matrem, humillimè veneror, & agnoſco. Per te, peccatorum meorum veniam; per te, virtutum merita; per te, vitam; per te, Deum æternùm amare, & aſſequi Beatitudinem, ſpero. Homuncio trioboli viliſſimus & vndique deſpicabilis ſum; qui nihil vnquam Dei oculis dignum egi: qui, & ſi diu Religionem profeſſus, adhuc tamen virtutum ſemitam ignoraui, imò & imbibi à puero vitiorum omnium peſtem. Eia, ò Domina, accurro ad PVRITATEM, & PROVIDENTIAM Tuam. Puritatem imploro, vt me demum purifices, & ab omni peccatorum illuuie, ac vitiorum fœditate, detergas. Prouidentiam expoſco, vt me dites meritis, ac virtutibus tuis. Eia torporem à me excute: eia me ad laborem impelle: & quicquid impedimento hactenùs fuit, ne virtutes attingerem, ne contenderem ad perfectionem, longè remoue à me, ſanctiſſima Mater. Eia, tua nunc ope, ò Virgo, ac virtute contingat: Puritatis, & Prouidentiæ Tuæ, Domina, miraculo fiat: vt veteri homine depoſito, nouum induam; & ab illo, Dei oculis, alius vt euadam. Lac tuum, Mater, anteactæ vitæ meæ ſordes & ſcelera abluat, vt accipiam PVRITATEM. Ipſum tuum Lac, ò Deipara, in meum cor ac mentem inſtilla: vt ſenſim in ſpiritu enutriar, & experiar

PROVIDENTIAM. Itaque vicissim ab Vberibus Tuis, hinc Puritatis, illinc (vt spero) omnem Prouidentiam sugam: vt Puritate, Dei solius inposterum Regnum quæram; vt Tua fultus Prouidentia, omnem à me (vti Theatini Ordinis lex, & Christi Tui Euangelium iubet) humanarum rerum solicitudinem & curam abijciam. Hoc planè stimulo fuit; vt Comitia Generalia totius nostri Ordinis te Patronam, & Spiritualium Exercitiorum veluti Magistram, adsciuerint: nimirum, vt quotquot in solitudinem se recipient, ijs PVRITATEM ipsa conferres, & PROVIDENTIAM. Amas Theatinam Congregationem, ò Mater: & sicut Puritas auspicio extitit, vt tuis ipsa Natalitijs oriretur; ita Prouidentia affulsit, vt omni redituum & prædiorum ope destituta, nullius stipe coacta, sed sponte annona à fidelibus veluti diuinitùs missa, ad Orbis miraculum, & cæli illecebram, de hominum cupiditate, & omni prorsus auaritia, triumpharet. O quàm faustè, Neapoli, illam Tuam Insignem Iconem, Tibi olim addictissimus seruus, D. Ioseph Caracciolus, PURITATIS Virginem & Dominam, dixit! Vaticinans fore, vt eodem hoc titulo, non modò Paulinas Aedes, sed cunctam etiam Clericorum Regularium Congregationem protegeres! O quam faustè iterum, Panormi, ac feliciter contigit, vt egregiam & pulcherrimam alteram Effigiem Tuam, Vincentio Scarpato, per Diui Iosephi manum, allapsam, & impertitam, cum ingenti Vrbis lætitia & plausu, PROVIDENTIÆ Matrem & Dominam appellarim! Vtraque Puritatem & Prouidentiam confert: vtraque Prouidentiæ & Puritatis est simulacrum. Per vtramque igitur Te oro Effigiem Tuam, ò Virgo, ò Domina, ò Mater: vt qualecunque Opus hoc meum, quod, Superiorum meorum arbitrio, in lucem edo, vnius ad Dei Gloriam, & Religiosorum hominum vtilitatem, vt soles, benignissimè excipias: imò sic foueas Auspicio & Patrocinio Tuo, vt Puritate, quæ irrepserunt errata deleas; & qui opus sunt imprimendo operi sumptus, Tua Prouidentia subministres: tum ad spiritualia Exercitia quot secesserint, da vt seriò mores corrigant, & vitam emendent; ac me demum, in cunctis vitæ meæ gressibus, & in ipso præsertim mortis articulo, vt saluus fiam, Tua simul Puritate, Prouidentia, & Gratia, tuearis.

(✠)

Eminent.[mo] ac Reuerend.[mo] Principi,

PALVTIO CARD. ALTERIO,


S. R. E. CAMERARIO,

SANCTISSIMI D.N. CLEMENTIS PAPÆ X. NEPOTI

Sempiternam Feliciicitatem.



Eminentissime Princeps.



Vamplurimi mirari non desinent, cur qui in recessu ac solitudine versor, à consuetudine ferè hominum alienus, cunctorũ mortalium sanè minimus, & nulla cõspicua animi dote ac qualitate condecoror; ad Ecclesiasticum tamen Principem, tanta animi celsitudine, nobilitate, rerum experientia, & authoritate sublimem: tam dignitate muneris, quàm sanguinis etiam propinquitate, Christi Vicario sanè proximum; & qui mira hodiè sapientia ac prudentia effulges: totiusque Orbis fasces, ac Christianam Rempublicam moderaris; mea vtcunque Volumina destinare ac nuncupare non dubitauerim. Et tametsi de Recollectione animi scripserim, & Diuum Bernardum imitari posse viderer, qui libros suos de Consideratione ad Eugenium Pontificem misit; non is equidem sum, qui blandiri mihimetipsi, & Diuo Bernardo conferri possim: nec mellifluo & aureo illius Operi mea inscita & insipida, nisi ineptissimè, & cum omnium vel risu vel stomacho, compararem. Verùm & si Amplitudinis ac tantæ Dignitatis fulgor absterret; ea est tamen Humanitas ac Benignitas tua: ac quotquot ad te concur-

runt,

runt, tanta omnes Comitate, oris Hilaritate, & Suauitate, complecteris; vt qui Clericorum Regularium Ordinem video innumeris abs te beneficijs honestatum, & gratijs locupletatum & auctum, cohibere me non potuerim, quin animi mei erga te reuerentiam, & quam debeo gratitudinem, in hoc cuilibet Operis vestibulo, contestarer: ad eandem præstandam obseruantiam, & obsequium exhibendum, à Nostris Sanctimonialibus Theatinis vehementissimè exstimulatus: quæ, vt B.P.N. Caietanum maximoperè gaudent, tua præsertim Opera à Beatissimo Patruo Tuo Sanctorum fastis adscriptum esse, peculiari Officio & Euangelio, ac insigni Elogio in Martyrologio Romano condecoratum; ita omnes sanè gestiunt, & optant, ac sperant, lectissimam Virginem Matrem N. D. Vrsulam Benincasam, quæ admirabile illis adeò institutum indixit, tuo etiam fauore, aliquando ad Aras elatum iri. Quod vtinam hodiè in Dei Ecclesia opportunè contingat: vt sicut impendentes Calamitates, quas aut patimur aut timemus, disertissimè illa prænuntiauit, ita sua intercessione ab Vrbe & Orbe Christiano longè propellat. Et interim Nos, quotquot in Recessu versamur: ac Sanctimoniales eædem Eremicolæ, aliæque Virgines Theatinæ, & Regulares Clerici omnes, toto ferè hodiè terrarum Orbe diffusi, ac tuis Gratijs Beneficijsque summè deuincti, Deum Opt. Max. enixè precabimur, vt Tibi, & Patruo Tuo, suam Gratiam, & omnem Incolumitatem ac Felicitatem elargiatur. Neapoli è Recessu sanctissimi Sacramenti & immaculatæ Conceptionis, Quinto Nonas Maij Anno post Christum Natum M.DC.LXXV.

E. V.

Humillimus & Obsequentissimus seruus,

Franciscus-Maria Magius
Clericus Regularis.

D.CA-

Imprimendi Operis Approbationes.

PRIMÆ EDITIONIS CENSVRA.

PErcurrimus Librum Secessus ad Exercitia Spiritualia, à P. D. Francisco Maria Maggio, nostræ Congregationis Theologo compositum, iussu adm. R. P. D. Bonifacij Alliardi, eiusdem Congregationis Prępositi Generalis; illumque Catholicę Fidei & sanctis moribus conformem reperimus, ac præterea Religiosis & secularibus, spiritualis vitæ studiosis, vtilissimum. Quare, vt in lucem edi possit, existimamus. Datum Romæ apud S. Siluestrum die 10. Ianuarij 1654.

D. Andreas Sottani Consultor Cler. Reg.
D. Chrysanthus Solarius C. Reg. S. T. P.

APPROBATIO RR. PP. CONSVLTORVM.

LIber cui titulus est, Secessus ad Exercitia Spiritualia, varijs Religiosorum Ordinum sanctionibus, exemplis Sanctorum, & piorum Scriptorum monitis illustratus, à P. D. Francisco Maria Maggio, nostræ Congregationis Theologo compositus, & iuxta præfixam assertionem, à PP. quibus id comisimus, approbatus, vt typis mandetur, quoad nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem, præsentes, manu propria subscriptas, solitoque nostræ Congregationis sigillo munitas dedimus. Romæ die 30. Ianuarij 1654.

D. Zacharias Pasqualigus Consul. Cler. Reg.
D. Ioseph Silos Conf. Cleric. Regul.
D. Io: Baptista Caracciolus II. Consultor Cler. Reg.
D. Andreas Sottani Conf. Cler. Reg.

✠ Locus Sigilli.

D. Franc. Mar. Gapye. Sconditus Secr.

SECVNDÆ EDITIONIS APPROBATIO.

NOS infrascripti, iussu Admodùm R. P. Generalis, diligenter vidimus & excussimus Duo Volumina, quibus est titulus, *De incolenda Solitudine, siue de Recollectione spiritualibus Exercitijs obeũda, Disquisitiones Asceticæ*, Romæ olim impressa, sed nunc mendis purgata, & additionibus aucta, à P. D. Francisco Maria Maggio, nostræ Congregationis Theologo, scitissimè elucubrata. Et non so-

lùm

lùm nihil inuenimus, quod impressionem impediat: sed ea perspeximus quàm maximè vndique eruditione referta esse, & omnium ferè hominum ordinibus vtilissima: quippè quæ Nouitiorum, Professorum, sacris initiandorum, Sacerdotum, Concionatorum, Superiorum, Antistitum, & vel etiam secularium Exercitia complectuntur: & omnium ferè Religionum ritus excutiunt: ita vt de Annua Recollectione in secessu præstanda, omnes qui hactenùs scripserunt, longè Auctor superet & excedat. Neque enim veterum atque recentiorum solùm mores exequitur: sed & innumeras difficultates ac quæstiones, quæ ea de re haberi possunt, citatis fasceatim Scriptoribus, facilè discutit & exoluit. Quo circà adeò dignum Opus prælo subijciendum quantocyùs arbitramur. Neapoli in nostris Ædibus S.MARIÆ Angelorum &c.

D. Ioseph Morales Præpositus S. Mariæ Angelorum CC. RR. S. Th. Professor.

D. Ioannes Damianus C.R.S.Th.Professor.

D. CAROLVS PIGNATELLVS PRÆPOSITVS GENER. Congregationis Clericorum Regularium.

HOC Opus, cuius inscriptio, *De incolenda Solitudine &c. Disquisitiones Asceticæ*, à P. D. Francisco Maria Maggio nostræ Congregationis Theologo compositum, & iuxtà assertionem PP., quibus id commisimus approbatum, vt typis mandetur, quoad nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem præsentes literas manu propria subscripsimus, & solito nostro Sigillo firmauimus. Neapoli die 14. Nouembris 1674.

D. Carolus Pignatellus Præp. Gen. Cler. Reg.

✠ Locus Sigilli.

D. Dominicus Lomellinus C.R.Secr.

IN Congregatione habita coram Eminentissimo Domino Cardinali Caracciolo Archiepiscopo Neapolitano sub die 14. Iunij 1674. fuit dictum quòd, Pater Antonius Damiani reuideat, & in scriptis referat eidem Congregationi.

Franciscus Scanegata Vic. Gen.

Ioseph Imperialis Soc. Iesu Theol. Emin.

CEN-

Imprimendi Operis Approbationes.

CENSVRA ADMODVM R. P. ANTONII DAMIANI E Societate Iesu, Viri Pietate, Doctrina, atque Eruditione Clarissimi.

DE mandato Eminentissimi atque Reuerendissimi Domini D. Ignici Cardinalis Caraccioli, Archiepiscopi Neapolitani, euolui librum, cui titulus: *De Ritibus incolendæ Solitudinis, siue Recessus ad Exercitia spiritualia, Disquisitiones Asceticæ &c.* ab Admodùm Reuerendo, atque Pientissimo ac Sapientissimo Patre D. Francisco Maria Maggio è Clericorum Regulariũ Ordine Præstantissimo elucubratum. Et cùm omnia attentè, nec sine animi voluptate, perlegerim; nihil Orthodoxæ Fidei, aut Christianis moribus dissonum comperi: imò potiùs sanam, incorruptamque doctrinam, omnigena eruditionis ac pietatis varietate locupletem, è selectioribus sacræ Scripturæ sensibus, præclarisque sanctorum Patrum dictis, gestisque: quin etiam è sanctioribus plurium Religiosorum Ordinum legibus, atque institutis, mirificè depromptam, nitidoque ornatam stylo. Quapropter Opus egregium iudico, & cuique perfectionem præcipuè Asceticam meditanti, non modò gratum fore, ac iucundum, sed in paucis perutile: dignumque sit vt Typis donatum omnium manibus euoluatur. Neapoli è Nostra Professorum Domo XVIII. Kal. Octobris 1674.

Antonius Damiani *Soc. Iesu.*

IN Congregatione habita coram Eminentissimo Domino Cardinali Caracciolo Archiepiscopo Neapolitano sub die 18. Maij 1675. fuit dictum, quòd stante relatione P. Antonij Damiani Reuisoris, Imprimatur.

Franciscus Scanegata Vic. Gen.

Ioseph Imperialis Soc. Iesu Theol. Emin.

ILLVSTRISS. ED ECCELLENTISS. SIGNORE.

NOuello de Bonis Stampatore in questa fedelissima Città di Napoli, supplicando fà intendere a V.E. come desidera stampare la seguente Opera intitolata, *De incolenda Solitudine &c. Disquisitiones Asceticæ*, composta dal P. D. Francesco Maria Maggio Teatino. Pertanto supplica l'E.S. resti seruita ordinare gli sian concedute le solite Regie licenze, che l'aurà a grazia, vt Deus &c.

V.I.D. Æmilius Gaudiosus videat, & in scriptis referat.

Galeota R. Carrillus R. Valero R. Calà R.

Prouisum per S.E. Neapoli die 27. Iunij 1674.

Mastellonus.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

PErlegi Opus elaboratum ab Adm. R.P.D. Francisco Maria Maggio Theatino, cui titulus, *De incolenda Solitudine Disquisitiones Asceticæ*; & nullatenus detrimento esse Regiæ Iurisdictioni, sed fore maximæ vtilitati vidi: ideóque typis dandum arbitror; modò V.E. nostris annuere votis dignetur. Neapoli die 10. mensis Augusti 1674.

E. V. *Seruus Humillimus*

Aemilius Antonius Gaudiosus.

Visa relatione imprimatur, & in publicatione seruetur Regia Pragmatica.

Galeota R. Carrillus R. Valero R. Calà R.

Prouisum per Suam Excell. Neap. die 6. Mensis Martij 1675.

Mastellonus.

PROTESTATIO AVTORIS.

CVM sanctissimus D.N. Vrbanus Papa VIII. die 13. Martij 1625. in S. Congregatione S.R. & Vniuersalis Inquisitionis Decretum ediderit idemque confirmauerit die 5. Iulij An. 1634. quo *inhibuit, imprimi libros hominum, qui Sanctitate, seu Martyrij fama celebres è vita migrauerunt, gesta, miracula, vel reuelationes, seu quæcunque beneficia tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes sine recognitione, atque approbatione Ordinarij: & quæ hactenus sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata.* Idem autem sanctissimus die 5. Iunij 1631. ita explicauerit, vt nimirum *non admittantur Elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quæ cadunt super Personam, benè tamen ea quæ cadunt supra mores & opinionem, cum protestatione in principio, quòd ijs nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantùm sit penes Autorem.* Huic Decreto, eiusque confirmationi, & declarationi, obseruantia & reuerentia qua par est, insistendo, profiteor me haud alio sensu, quicquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab vllo velle, quàm quo ea solent quæ humana dũtaxat authoritate, non autem diuina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sanctæ Sedis Apostolicæ, nituntur; ijs tantummodò exceptis, quos eadem Sancta Sedes, Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit.

IN-

INDEX

DISQVISITIONVM OMNIVM,

QVÆ IN PRIMO ET ALTERO TOMO Libris XII. continentur.

Di*sq.*

Index Librorum & Disquisitionum.

Disq.

Index Librorum & Disquisitionum.

TOTIVS

TOTIVS OPERIS ARGVMENTVM,

SIVE

A. R. P. D. CAROLI PIGNATELLI

Congregationis Clericorum Regularium Præp. Generalis Ordinatio, & Decretum Capituli Gen. An. 1618. & 1647.



Ortamur singulos, non modò Laicos, & Clericos, sed etiam Sacerdotes, vt de more, quotannis, Secessum ad Spiritualia Exercitia, decem saltem dierum spatio, non omittant. Vt experimento enim docemur, ad colligendũ, componendũ, reformandum, incẽdendũq; animum, plurimùm valent. Hæc autem à quolibet, in remoto, vel proprio, & clauso cubiculo, sub Deiparæ Mariæ Virginis Puritatis auspicio, instituantur. Eidenque Ordinationi est affinis sanctio, quâ ipso hoc anno 1674. Generale Capitulum edidit, hunc in modum: *Ad feruorem spiritus exaugendum, & accuratam Nostri Ordinis legum Obseruantiam vbique stabiliendam, statutum est, vt quotannis tam Clerici, quàm Laici Ordinis Fratres, nec non Sacerdotes in Vocalium album nondum missi, per decem dies, ab omnibus curis alieni secedant: & peculiari sub Directore, rebus spiritualibus tantùm vacent: inhærendo, in omnibus, Ordinationibus & Statutis A. 1647. Eadenque pia & sancta Exercitia suadentur cæteris Patribus, ipsique admodùm R. P. Generali pro tempore; vt horum exemplum acriùs inferiores omnes extimulet ac incendat. Curentque Visitatores, Visitationis tempore, vt huius Decreti Obseruantia non tepescat: & in eos præsertim inquirant, qui in Vocalium sunt numerum adscribendi.*

LIBER I.

De Religiosis Laicis, Clericis, & Sanctimonialibus, in Spiritualibus Exercitijs, Virtutibus imbuendis.

1. 

ORTAMVR SINGVLOS. Etiam singulos Christi Fideles hortatus est Paulus III. vt his similia Exercitia obirent; *Præsentis scripti*, inquit, *patrocinio* (prædicta Spiritualia Exercitia) *communimus; hortantes plurimùm in Domino omnes & singulos vtriusque sexus Christi Fideles, vbilibet constitutos, vt tam pijs documentis, & exercitijs vti, & illis instrui deuotè velint.* Specialiùs tamen Religiosos viros Paulus V. Pont. Max. ad-

Paulus III. in approb. lib. exercit. S. Ign.

Rom. Pont. 23. Maij 1606. hortatur, cùm praxin eorundem, proposita etiam venia delictorum, exponit; *Qui de licentia suorum Superiorum*, ait, *per decem dies, à negotijs alieni, in cella morabuntur, aut ab aliorum conuersatione separati, operam dederint lectioni librorum, ad spiritus deuotionem inducentium, addentes meditationes, & considerationes mysteriorum fidei, diuinorum beneficiorum, quatuornouissimorum, passionis Domini, orationum iaculatoriarum, aut vocalium, saltem duabus horis per dies singulos, & noctes, faciendo eodem tempore Confessionem Generalem, aut annualem, aut ordinariam, & communicantes, aut celebrantes; quoties his Exercitijs vacauerint, plenariam Indulgentiam concedimus &c.* Hæc tamen à nobis sunt sedulò, & singulatim excutienda.

2 NON MODO LAICOS ET CLERICOS. Laicis, & Clericis, in spiritualia præsertim Exercitia est incumbendum, antequam Religiosum in Ordinem asciscantur, aut Habitum induant, aut Professionem emittant; & interdum, cùm litterarum studijs operam nauant. Omnia ex ordine hìc exponemus.

DISQVISITIO PRIMA.

De Spiritualibus Exercitijs ante Status Electionem. Et quomodò hæc potissimùm Electio sit habenda.

Cōst. Cl. Reg. p. 2. cap. 5.

3 NOstri Ordinis Constitutio est, vt *priusquam quis recipiatur, precationi se totum tradere Patres iubeant*. Scilicet, aliquot dierum spatio, ad Spiritualium Exercitiorum secessum est cohortandus, vt, de statu vitæ capessendo deliberaturus, ipse sedulò secum agat, ne id eligat & constituat temerè, quod sibi diu multùmque congruere, & expedire, non senserit. *Nam multi*, inquit Lessius, *in matrimonio salutem æternam amiserunt, qui in Religione saluati fuissent; quidam è contra in Religione pereunt, qui in matrimonio salutem fuissent consecuti: nonnulli pereunt in hac Religione, qui non perijssent in alia. Idem dicendum de omnibus dignitatibus, officijs, statibus, artibus, opificijs, societatibus, alijsque vitæ generibus.* Et post alia, in eandem sententiam; *Ea est naturæ nostræ conditio*, ait, *is rerum humanarum cursus, vt ex rebus per se alioqui indifferentibus, aliæ nobis sint futuræ saluti, aliæ exitio. Nemo autem in particulari id certò nouit, præter solum Deum.* In re igitur tanti ponderis, & vnde pendet æternitas, colligendæ sunt cogitationes, & animæ vires plurimùm intendendæ; ac sepositis turbis, curisque omnium rerum exclusis, multis meditationibus

Leonar. Less. disp. de statu vitæ delig. q. 1. §. 71.

Idem ibid.

ac precibus, conſulendus, & exorandus eſt Deus: cuius quidem inſpirationes, ac vocem, niſi ab omnium conuictu ſemoti, & abditi, non excipimus. Audi S.Bernardum: *Tu, ò cariſſime, huic voci Dei tui, dulciori ſuper mel, & fauum, ſi præparas aurem interiorem, fuge curam exteriorem, vt expedito, ac vacante interno ſenſu, dicas & tu cum Samuele: Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus. Vox hæc non ſonat in foro, nec auditur in publico. Secretum conſilium ſecretum quærit auditum. Auditui tuo gaudium pro certo dabit, & lætitiam, ſi ſobria aure perceperis.* Hæc ille. Nec Sancti Patres, pijque alij Scriptores dumtaxat, ſed etiam Ethnici monuerunt, in ſtatu deligendo, ſeria, & accurata conſultatione opus eſſe: M.Tullius; *In tota vita*, inquit, *conſtituenda, multò eſt eius rei cura maior adhibenda, vt conſtare in vitæ perpetuitate poſſimus nobiſmet ipſis, nec in vllo officio claudicare.* L.Seneca: *Quoties quid fugiendum ſit, aut quid petendum, voles ſcire; ad ſummum bonum, & propoſitum totius vitæ reſpice. Illi enim conſentire debet quicquid agimus. Non diſponet ſingula, niſi cui iam vitæ ſuæ ſumma propoſita ſit. Nemo quamuis paratos habeat colores, ſimilitudinem reddet, niſi iam conſtet, quid velit pingere. Ideò peccamus, quia de partibus vitæ omnes deliberamus; de tota, nemo deliberat. Scire debet, quid petat ille, qui ſagittam vult mittere; & tunc dirigere, & moderari manu telum. Errant conſilia noſtra, quia non habent quò dirigantur. Ignoranti quem portum petat, nullus ſuus ventus eſt.* Et planè, difficillimam eſſe hanc rectam deliberationem, præſertim in iunioribus, Cicero oſtendit: ineunte enim adoleſcentia, cùm ineſt maxima imbecillitas conſilij, tunc id ſibi quiſque genus ætatis degendæ conſtituit, quod maximè adamauit. Itaque antea implicatur aliquo certo genere, curſuque viuendi, quàm potuit, quod optimum eſſet, iudicare. Tum, ex Xenophonte, narrat fabulam Herculis, qui de ſtatu vitæ deliberaturus, in ſolitudinem exijt, atque ibi ſedens diu ſecum multùmque dubitauit, cùm duas cerneret vias, vnam voluptatis, virtutis alteram, vtram ingredi præſtaret. Hanc conſiderationem, adoleſcentibus perneceſſariam, totius vitæ fundamentum eſſe, fabularum etiam inuolucris docuit Plato, perſpicuè verò S. Nazianzenus, cùm ait: *Certum ſibi vitæ genus conſtituere, tanti momenti eſſe duco, vt totius vitæ, vel rectè, ac proſperè, vel malè atque infeliciter traducendæ, fundamentum in eo poſitum eſſe, putem.* Quod quia plerunque prætermittitur, ideò, vt quidam ait, per deuia raptamur, & quaſi per tenebras alienis veſtigijs inſiſtentes, ſæpe periculoſas, & inextricabiles ingredimur vias; & eò vſque prouehimur, vt ante ſimus neſcio quid, quàm, quid eſſe velimus, circumſpicere atque examinare permiſſum ſit. Benè igitur, priuſquàm

D. Bernard. ep. 107. ad Tho. pr.

Cic. lib. 1. Offic.

L. Sen. ep. 71

Cic. lib. 1. offic. c. de temper.

Xenoph. lib. 2. memorab.

Plato 10. de Rep.

S. Naz. or. 23. nu. 9.

Frãc. Petra. lib. 1. de vita ſolitar. tr. 4.

quis à noſtris recipitur, precationi ſe totum tradere Patres iubent, vt cum Deo ſtatuat, quid ſibi ſit profuturum; &, vt cum Iulio Nigronio loquar, *Victurus ne ſit Laicus, an Eccleſiaſticus: ſi Laicus, cælebſne an coniugatus: miles, an togatus: ſi Eccleſiaſticus, ſæcularis ne Sacerdos, an Regularis: ſi Regularis, vitam ne contemplatiuam complexurus ſit, an actiuam, an miſtam: Monachus ne ſit futurus, an Canonicus; Frater, an Clericus Regularis.* Illud autẽ noſtris magnoperè commendandũ, quod Ordo ſanctiſſimæ Trinitatis redemptionis captiuorum *conſt. extrau. cap. 3. nu. 14.* cauet. *Si quos viderint*, inquit, *ad Religionem propenſos, non facilè ad vnam potiùs, quàm ad aliam, ad hoc quàm ad illud Monaſterium inuitent: ſed liberam illis ſuam electionem relinquant. Poterunt autem petentibus conſilium eas Religiones vel Monaſteria proponere, quæ illis magis commoda in Domino iudicauerint.* Item: *Nullus eis, quorum audit Confeſſiones, certum veſtimenti genus, hunc aut illum habitum, vel colorem præſcribat; tametſi omnes ad honeſtum & ſuo ſtatui conuenientem veſtitum hortari poſſint.* Quæ omnia eiſdem verbis à Societate Ieſu primùm præſcripta ſunt in regulis Sacerdotum *num. 24. & 25.* Vide Michaelem Muſcum è noſtris, & alios, hac de re exactiſſimè diſſerentes.

Nigr. tr. 6. c. 6. §. 43.

Muſc. in Regul. l. 2 cap. 17. num. 7.

S. Ign. in Ex. ſpir. fol. 121.

4 Ceterùm, vt benè fiat Electio, hæ regulæ, ex Sancto Ignatio, habentur. I. Proferre in medium rem deliberandam, acceptanda ne an reijcienda potiùs videatur. II. Adducto ante oculos creationis meæ fine, in hoc conſiſtente, vt cum Dei laude ſaluus fiam, in neutram declinare partem amplectendæ vel repudiandæ rei controuerſæ; quin potiùs, velut in medio quodam interſtitio, & æquilibrio ſubſiſtere, parato interim animo, vt in eam illicò partem totus ferar, quam nouero diuinæ gloriæ, & ſaluti meæ, fore aptiorem. III. Obſecrare Dei Clementiam, vt dignetur mentem inſtruere, & impellere voluntatem, quocunque potiùs mihi tendendum ſit, adhibito nihilo ſeciùs pio fidelique intellectus mei ratiocinio, per quod, apprehenſa, & probata Dei voluntate, ad electionem ferar. IV. Perpendere, quot tandem inde commoda, vel adminicula, mihi, ad finem meum proſequendum, accedent; quot rurſum inde incommoda, & pericula impendent: præterea, quot per oppoſitum, omiſſo illo, tam commoda & adminicula, quàm diſcrimina & damna poſſim expectare. V. His præmiſſis, ratiocinari in vtranque partem, & iuxta ipſius rationis dictamen, ſepoſito carnis appetitu omni, electionem concludere. VI. Electione facta, ad orandum citò proſilire, & illam offerre Deo, perfectè demum, ſi ei placeat, recipiendam, & ſtabiliendam. His, adduntur aliæ quatuor regulæ. I. Quod cùm oporteat per affectum ex Dei amore cælitùs infuſum fieri electionem, eligentem

conuenit perſentiſcere in ſeipſo, quòd quidquid affectionis (ſiue multum, ſiue modicum ſit) erga rem electam tenet, ex ſolius Dei amore, & intuitu proficiſcatur. II. Altera eſt, conſiderare, ſi quis mihi vir amiciſſimus, cui nihil non perfectionis ineſſe cupiam, occurreret dubius, ſuper electione huiuſmodi, quid nam ego illi decernendum maximè eſſem conſulturus: quo animaduerſo, agendum & mihi ducam, vt ſuaderem alteri. III. Mecum inſuper reputare, ſi mors ingrueret, quem me mallem obſeruaſſe modum, in præſenti deliberatione: iuxta hunc igitur eligendum nunc eſſe, facilè intelligam. IV. Proſpicere non minùs, quando pro tribunali ſiſtar iudicandus, quo me conſilio hac in re vſum eſſe vellem: quo agnito nunc vtar, vt eo tempore magis ſim ſecurus. Iſtiuſmodi electionem S. Ignatius, inter quatuor Spiritualium Exercitiorum Hebdomadas, poſuit quinta die ſecundæ hebdomadæ ſtatuendam; Ludouicus de Palma, inter octo dierum Exercitia, iterum quinta die.

5 Planè his conſiderationibus S. Gregorius, cuidam nobili viro, optanti, vt Cæſar eius opera in publicis officijs vteretur, ſuadebat, vt ſedulò attenderet quid eligeret: & illud poſtea eligeret, quod ad ſuam ſalutem aptiſſimum, ac tutiſſimum noſſet. Verba omnia hìc referam, vt qui de ſtatu vitæ deliberas, ſi poſt mundi huius temporaneam, & breuiſſimam vitam, in æternitatis portu animam ſaluam cupis; ipſa eadem ſeriò audias, & expendas: *Cur magnifice fili*, inquit, *non conſideras, quia mundus in fine eſt? Omnia vrgentur quotidie ad reddendas rationes, æterno, & tremendo Iudici ducimur: quid ergo aliud, niſi de aduentu illius cogitare debemus? Vita enim noſtra nauiganti eſt ſimilis. Is nanque qui nauigat, ſiue ſtat, ſedet, aut iacet, ſemper vadit, quia impulſu nauis ducitur. Ita ergo & nos ſumus, qui ſiue vigilantes, ſiue dormientes, ſiue tacentes, ſiue loquentes, ſiue ambulantes, volentes, & nolentes, per momenta temporum, quotidie ad finem tendimus. Cùm igitur finis noſtri dies aduenerit, vbi nobis erit omne, quod modò cum tanta cura quæritur, & cum ſolicitudine congregatur? Quare, ſi bona quærimus, illa diligamus, quæ ſine fine habebimus: ſi autem mala pertimeſcimus, illa timeamus, quæ à reprobis ſine fine tolerantur. Hoc ipſum verò, quòd ſis in obſequio piiſſimi Principis, quanta eſt mentis occupatio cum deſiderio terrenæ gratiæ obtinendæ? & quantus timor, ne hæc eadem gratia perdatur, ſi adepta fuerit? Perpende ergo, quæ pœna ſit, aut proſperitatis deſiderio fatigari, aut aduerſitatis timore paueſcere. Vnde magis ſuadeo, vt, in hoc breui peregrinationis tempore, ſtudeas, quietam, ac tranquillam vitam ducere, ſacris lectionibus vacare, cæleſtia verba meditari, in æternitatis amore te accendere, de terrenis rebus ſecundùm vires bona opera agere, & regnum*

S. Greg. lib. 6. Regiſtr. cap. 190.

perpetuum in eorum remuneratione ſperare. Sic autem viuere, iam in æternitatis vita partem habere eſt. Hæc, fili, loquor; quia multùm te diligo: & quia in procellas & fluctus cordis tendis, verborum meorum funibus, te ad littus reuoco. & ſi trahentem ſequi volueris, quæ pericula euaſeris, quæ gaudia inueneris, in ipſo quietis tuæ littore poſitus, agnoſces. Hæc S. Gregorius, quæ ſi benè omnes expenderent, ac penſarent, contemnerent honores, diuitias; vanas mundi voluptates, & illecebras exhorreſcerent; & vt tutiùs ad Deum irent, religioſam paupertatem humilitatemque ex animo certatim amplecterentur. De electione tamen ritè ſtabilienda vide plura, apud Ludouicum Pontanum, de Chriſtiani hominis perfect. *to. 2. tr. 1. cap. 6.* Interim, qui adhuc in vitæ biuio hæres, hæc ora. *Vias tuas, Domine, demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me.*

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: tantùm voca me, & te ſequar quocunque vocaueris.

Vtinam dirigantur viæ meæ, O dulcis Ieſu! vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas.

Interdiù autem, ac noctu, meditare aſſiduè, ac ſerio, quod adijcimus. Verba nonnemo, vti obſeruo, ex S. Bonauentura deprompſit, *in collat. de ſeculi contemptu*, hunc in modum.

O vtinam homines	*ſapere nt*	*præterita*	Malum commiſſum. Bonum omiſſum. Tempus amiſſum.
	intelligerent	*tria præſentia*	Vitæ Breuitatem. Saluandi Difficultatem. Saluandorum Paucitatem.
	prouiderent	*futura*	Mortem, qua nihil miſerabilius. Iudicium, quo nihil terribilius. Pœnam Inferni, qua nihil intolerabilius.

DISQVISITIO SECVNDA.

De Spiritualibus Exercitijs, ante Suſceptionem Habitus, obeundis.

Cōſ. Cl. Reg. p. 2. cap. 5.

6 CVm quis in Ordinem eſt admiſſus, ex Conſtitutionum præſcripto, *per aliquot dies ſub habitu ſeculari vitæ noſtræ*

rationem contempletur: & inter Monita Magistri Nouitiorum habemus, vt ad Religiosam vestem, siue nouum hominem post hospitium induendum, *Spiritualibus*, vti par est, *Exercitijs, & inprimis totius anteactæ vitæ Confessione, ac Diuinorum Beneficiorum recogitatione, se comparet.* Sic Christophorus Iarda, è Clericis S. Pauli, in Ape religiosa; *Exercitationes*, inquit, *diuinæ* (ita secessum vocat) *ijs potissimùm temporibus habendæ, cùm Habitus Religionis suscipitur.* Idem vt fiat suadet Seruatius: *In seculari veste probatus, antequam Religionis chlamyde donetur, ad Recollectionis quietem* (nempe ad secessum, de quo agimus) *admittatur; Confessioni Generali alijsque Spiritualibus Exercitijs operam daturus.* Neque id à se præcipit, sed ex Decreto Præmonstratensium, quod sic habet: *Abbas, si aliquos suscipiendos iudicauerit, curabit eos, per quatuordecim, vel circiter dies (pro vt etiam ante Professionem fieri debebit) Spiritualibus Exercitijs sedulò occupari, & ad Generalem Confessionem, exacto conscientiæ examine, præparari: vt, tanto maiori gratiæ incremento, Religiosum statum & auspicentur, & votis astricti eundem percurrant.* Quindecim aut viginti dies, in hac prima eius recollectione, præscripsit Nouitio Congregatio S. Pauli. *Atque in hoc primo ingressu*, inquit, *quilibet Generalem omnium peccatorum Confessionem faciat: & præterea, per quindecim aut viginti dies arbitrio Magistri, vacet contemplationi eiusmodi, qua humanum statum, peccati mala, hominis nouissima, Dei beneficia, D. N. Iesu Christi vitam, regularis vitæ conditionem, & similia perfectè cognoscat.* Sanctiùs tamen Societas Iesu mensis vnius spatium, Spiritualibus Exercitijs attributum, ponit inter sex illa experimenta, quibus periculum facit de constantia eorum, qui ad Habitum admittuntur. *Primum*, inquit, *est in Spiritualibus Exercitijs mensem vnum plus minus versari, id est, tum in examinanda conscientia, & anteacta vita recogitanda, & Confessione Generali facienda, ac peccatorum suorum meditatione, tum in contemplatione rerum, ac mysteriorum vitæ, mortis, ac resurrectionis, & ascensionis Christi Domini nostri, tum etiam in oratione vocali & mentali, iuxta cuiusque captum, pro vt in Domino docti fuerint.* Et Societatem Somaschensis Congregatio est imitata, vbi *antequam quis ad probationem recipiatur, per mensem, vel saltem quindecim dies, in habitu seculari sed modesto*, exercendus.

Mon. Magis. Nou. M.S.

Christ. Giarda in indice rerum l.E.

Seruat. in Cat. Nouit. to. 1. lec. 7. doc. 7.

Præmonstr. dec. an. 1619. sub Pet. Gosset. Dist. 1. c. 14.

Cler. Reg. S. P. lib. 1. Cõst. cap. 2.

Const. Somasch. lib. 3. c. 6. fol. 162.

7 Hoc autem secessu, qui Habitus susceptionem præcedit, noster Michael Muscus (à quo didici olim hospes hæc rudimenta) in suo Regulari suadet, vt *Hospitij tempore, scopus, quem Spiritualibus Exercitijs Nouitius præfigere debet, alius non sit, quàm anteactæ vitæ errata delere, & nouam assumere, vt bene demum viuendo, benè cum Dei gratia mori possit, & præmium assequi, & finem, per quem à Deo conditus fuit.* Ob

Musc. in Regul. lib. 6. cap. 24. nu. 11. fol. 317.

Guercius lib. 11. cap.23. pſ. 23.

id, Ioannes Antonius Guercius, Cartuſienſis, in Electione vitæ perfectæ, Nouitium, his S. Hieronymi verbis, alloquitur: *Commuta, fili, in hac ſolitudine in melius vitam tuam, vt æterno Deo incipias militare, & Deum habeas protectorem.*

8 Hanc vitæ mutationem, in ſeceſſu comparandam, alij docent, per lectiones quaſi à Deo acceptas, puerorum in modum, ex Alphabeto pijſſimi Thomæ à Campis, Canonici Regularis: ad quod diſcendum, ſi ſeceſſus ſpatia non ſufficiant; ſatis eſt, ſi ad eam vitæ imaginem, quam concipiunt, ſuſcepturi habitum ſe diſponant: quam mox, toto tyrocinij & vitæ tempore, addiſcere, & exprimere ad vnguem, ſi perfectionem attingere, & ad eam pro inſtituto contendere ſaltem, ex animo cupiant, non ceſſabunt. Age ergo, quiſquis in ſolitudine agis, abiecto veteri homine, nouum indue; & ſi cæleſte Regnum inquiris, paruulus fias: tum vt benè Lectiones Dei audias, & addiſcas, primùm hæc ora: *Vias tuas, Domine, demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. Obſecro te, Deus meus, doce me vias bonæ vitæ, pro ſalute animæ meæ. Monſtra mihi vias mandatorum tuorum, vt curram eas. Doce me ſemitas conſiliorum tuorum, vt ambulem in via immaculata. Aufer cæcitatem meam: ne ſit ſatis monſtraſſe, infunde gratiam ſpiritus tui, qui deducet me in viam rectam.* Et Deus tibi fortaſsè dicet: *Intellectum tibi dabo, & inſtruam te, in via hac qua gradieris, firmabo ſuper te oculos meos.* Lectiones attende. *Lec.I.* Ama neſciri, & pro nihilo reputari. Hoc enim tibi ſalubrius eſt, & vtilius, ſi vis ad vitam ingredi, quàm à multis hominibus laudari. *Lec.II.* Beneuolus eſto omnibus, non ſolùm bonis, ſed etiam malis, & nulli oneroſus. *Lec. III.* Cuſtodi cor tuum, ab euagatione; os tuum, ab otioſa locutione; & cæteros ſenſus tuos, ſub rigore diſciplinæ. *Lec.IV.* Dilige ſilentium, & ſolitudinem; & inuenies quietem magnam, & conſcientiam bonam. Vbi enim multitudo, ibi frequenter eſt ſtrepitus, & magna diſtractio cordis. *Lec.V.* Elige paupertatem, & ſimplicitatem, & in paucis eſto contentus, & non facilè murmurabis. *Lec.VI.* Fuge, quantum potes, homines, & ſeculi rumores; quia non potes ſatis eſſe Deo, & hominibus; æternis, & tranſitorijs. *Lec.VII.* Gratias age ſemper Deo, corde, & ore, qualitercunque tibi ſuccedit, in grauamine, & dolore. Nam Deus omnia diſpenſat prouidè in mundo, vero & recto iudicio, ab æterno. *Lec.VIII.* Humilia te, in omnibus, & ſub omnibus, & mereberis gratiam ab omnibus: eris quoque Deo acceptus, & hominibus dilectus; & Diabolus fugiet à te citiùs; propter humilitatis virtutem, ſibi valde contrariam. *Lec. IX.* In omni opere bono, habeas intentionem puram, ad placendum

Thom. à Kēp. alphabet. Spir.

p.31.

Deo, qui inspector est cordis, & diligit iustos, & puros. *Lec.X.* Karissimos existima amicos, & patronos; qui te premunt, & vituperant. Si enim rectè sapis, & consideras, lucrum inde acquires. Nam prosunt tibi in bono, quicunque obsunt in malo. *Lec.XI.* Labore, & dolore, cum gemitu, & fletu, acquiritur Regnum; & honoribus acquisitis, perditur Paradisus. *Lec.XII.* Magnum donum Dei est, pauperem esse in mundo propter Christum, & infimum lubenter tenere locum. Magna superbia est, altum petere gradum. Ad alta semper Diabolus suadet, honores ambire, fugere despectionem; vt cadat ascensor eius retrorsum, quum ad breue tempus dominatus fuerit pauperum. Minima dona existima magna, & eris dignus accipere maiora. *Lec.XIII.* Neminem spernas. Nulli noceas. Afflicto omni condoleas, ac egeno subuenias. Et nunquam te extollas. *Lec.XIV.* Omne tempus in Deo expendas. Nihil enim pretiosius tempore, in quo promereri potes Regnum Dei in perpetuum. Omnibus quoque te amabilem, benignum, & affabilem, sine dissolutione, exhibeas. Omnia bona, ad laudem Dei, referas: & sine consilio, & deliberatione, nihil facias. *Lec.XV.* Primùm semper disquire in opere tuo, vtrum Deo placeat, an displiceat: Nec timore, nec amore, age contra conscientiam tuam. In dubijs, ad Scripturam sanctam, & obedientiam Prælati tui, recurre: nec tibi ipsi nimis confide. Priùs disce tacere, quàm loqui: potiùsque velis instrui, quàm docere: tutius est enim velle latere, quàm apparere. *Lec.XVI.* Quæcunque ad te non pertinent, de illis ne iudices; nec te illis intromittas, vt pacem semper habeas. Qui communia sectatur, & singularia vitat, magis diligetur, & citiùs ad bonum finem perueniet. Qui tempestiuè facit quod debet, is postea lætior erit. *Lec. XVII.* Reuertere citò ad interiora cordis tui, & claude ostia oris tui, ne vagari incipias, per varia desideria mundi, consilio Diaboli. Nocent enim multa audita, tentant pulchra visa, turbant illata vituperia. Recede ergo ab iracundo, indocto, dissoluto. Et mane in silentio cum Deo. *Lec.XVIII.* Sobrius esto in victu, modestus in vestitu, prouidus in verbis, honestus in moribus, maturus in consilio, fortis in aduersis, humilis in prosperis, gratus pro beneficijs, hilaris in despectibus, patiens in doloribus, discretus in omnibus agendis. *Lec.XIX.* Time Deum offendere, etiam in minimis negligentijs, & defectibus. Noli præsumere in bonis, nec desperare in aduersis. Timor Dei facit recedere à peccato, & solicitat in bono opere, vt bonum benè fiat. Totum Deo committe, & quod tibi est graue, fiet citò portabile. Pax tua sit in patientia multa. Leuis est

omnis tribulatio, pro vita æterna. *Lec.XX.* Vende Deo omnia commoda tua, & dabit tibi meliora, adueniente gratia in vna hora. Nemo liberior eo, qui se, & sua omnia, Deo dedit, & Christum amando emit, qui mundum in Cruce redemit. *Lec. XXI.* Xpus sit vita tua, lectio tua, meditatio tua, locutio tua. Ipse sit desiderium tuum, lucrum tuum, tota spes tua, & merces tua. Si aliud quæris, quàm purè Deum, damnum patiêris, laborabis, & requiem non inuenies. *Lec.XXII.* Ymnos, & psalmos Deo canere, opus est Monachorum, omniumque Clericorum: quibus congaudent Chori Angelorum, laudantes Deum iugiter in regno cælorum. Seruire carni, mors animæ, cibus vermiculorum; nidus Dæmoniorum, vitaque pecorum; fomes morborum, corruptio corporum; inquinatio morum, perditio bonorum; acquisitio multorum malorum, & dolorum. Seruire Deo, beatitudo est animæ, sanitas corporis, prudentia spiritus, cælestis vita Curiæ. Hymnos dulces Deo canit, qui in tribulatione sua Deum semper laudat. Initium, & finis omnis boni Religiosi, est Deum corde amare, ore laudare, & fratrem suum exemplo ædificare. *Lec.XXIII.* Zachæe frater, descende carissime, de altitudine secularis scientiæ: veni, & disce in schola Dei viam humilitatis, mansuetudinis, & patientiæ; per quam possis, Christo docente, peruenire securus ad æternæ beatitudinem Gloriæ. Amen.

9 Cęterùm, de ordine Exercitiorum, & distributione temporis, Ioannes Chrysostomus, Abbas Præmonstratensis S. Michaelis Antuerpiæ, in itinere trium dierum, Hospites, & Tyrones, hæc, docet: *Pridie autem, antequam Exercitia auspicentur, flexis genibus ab omnibus Confratribus veniam petant, ac precum suffragium, pro salutari conuersione facienda: ac etiam tùm, deuotè in illum finem communicabunt, aut certè ipso primo Exercitiorum die. Ter quoque die, mane scilicet, meridie, & vesperi, ex actuali intentione maioris gloriæ Dei, suas primitias offerant, magna animi præparatione, & omnium virium in Deum collectione.* Sub Missam deuotè recitent Septem Pœnitentiales Psalmos cum Litanijs, *ad salutarem effectum horum Exercitiorum consequendum: spiritualiter tantùm quotidie cum Celebrante communicent, nisi aliud expedire videretur Directori.* Meditationes *quotidie tres per horas totidem* instituant. Et prima sit *de fine ad quem homo creatus est: & consequenter aliquæ succedent de peccatis, & hominis Nouissimis;* ita tamen, vt Meditationes, quæ contritionem magis excitent, reseruentur circa tempus instituendæ Generalis Confessionis. *Qui* autem *Directoris officium complet* (quod, apud nos, solius vt plurimùm Magistri Nouitiorum est munus) *solicitè aduertat, ad motus, quos ipsi exercitantes, in scrutinio cuiuis medita-*

Iter triũ dierũ fol. 205. & seq.

tioni subiungendo, notant: an etiam syncerè hoc ipsum faciant, & non potiùs aliquando vt oculis seruiant, & placeant Directori: & hoc aduertet ex eo, si etiam ipsos suos in Meditatione defectus, & malum successum, veraciter exprimant. Lectio libri spiritualis, *bis*, inquit, *de die institui debet*, de bono statu Religiosi; aut certè, vt nostræ Militiæ Tyrones eundem ipsum spiritum Ordinis hauriant, quo in sublimi hac vocatione sua magis nutriantur; *legere poterunt vitam sancti Patris nostri*, aut *alterius cuiuspiam Sancti ex eodem sancto Ordine*: quod potissimùm suadetur per tres posteriores Exercitiorum dies, peracta iam Confessione Generali. Examen, & discussio conscientiæ, pro Confessione Generali de tota vita facienda, *nisi aliud videretur Directori, quotidie etiam bis instituetur, saltem ante susceptionem Habitus, præmissa flexis genibus inuocatione Spiritus sancti*. Confessioni Generali, quæ *circa septimum diem Exercitiorum institui solet, aut ipso septimo die; præmitti possunt aliquæ ex ijs medit. Ludou. de Ponte de Confessione in fine* 1.*p. ac etiã eidem peractæ subiungi, per modum gratiarum actionis, quam idem Autor habet num.* 33. Peracta Confessione, Tyrones *ex manibus Prælati* communicent, qui hoc modo primum in ipsis lapidem ponat sanctioris vitæ, & illius spiritualis templi, quod in se extruere debent diuinæ bonitati, & misericordiæ, quæ eos de tenebris vocauit in admirabile lumen suum. Vt autem constet ipsis Tyronibus, quæ virtutum opera eidem fundamentali lapidi superextruere debeant; *solent in S. Michaele, restantibus illis tribus diebus, octaua, nona, & decima, quæ est vltima, Meditationes institui, in gloriam SS. Trinitatis, circa tria Religionis solennia Vota emittenda*. Quotidie semel sub vesperam, ad templum accedent, *sanctiss. Sacramentum visitaturi*. In hac visitatione, *durantibus hisce Exercitijs, recitabunt Rosarium, ac etiam aliquam Litaniam*. Bis autem *de die conscientiam examinabunt, qualiter se habuerint in eius decursu, ac in hisce Exercitijs adamussim exequendis: ac vesperi præcisè ad nonam, aut potiùs ad medium nonæ, brachijs in modum crucis cancellatis, ruminando illius diei Excitatorem* (piam sententiam mane illis ab Directore præfixam) *piè in Domino obdormient*; & quoties de nocte vel aliàs euigilabunt, prorumpent in hæc pia vota, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto; sicut erat &c.* Hæc Præmonstratensis; quæ tamen ita arbitror à Magistris, & Directoribus, in cuiusque Ordine disponenda, vt quoad fieri possit, in communem ritum, & consuetudinem quadrent. Sed vniuersè de his, fusiùs & opportuniùs, in loco dicendum.

DISQVISITIO TERTIA.

De Spiritualibus Exercitijs obeundis ante solennem Professionem.

Mon. Mag. Nouit. M.S.

10 ANte quam è nostris quispiam solennem Professionem emittat, vt Tyrociniorum est lex, *Generali iterum Confessioni, & mensis vnius spatio, spiritualibus Exercitijs vacat*. Hoc planè tempus, Carmelitis Excalceatis, Ioannes à Iesu Maria sic præscribit: *Per mensem ante Professionem, productiore oratione, & pluribus Exercitijs, ad opus tantum, se comparabunt*. Suadet hunc secessum Seruatius, suæ Præmonstratæ Religionis Nouitium monens, vt discat conscientiæ sordes diligenter euerrere, antequàm Professionis offerat holocaustum; ne latens peccatum, corrupta ara, corrumpat sacrificium, & Deo reddat inuisum. *Euerret*, inquit, *seriò omnes conscientiæ suæ angulos, si ante quàm Professionis aram, Deo se ipsum litaturus, ascendat; interiori recollectioni, seu, vt alij vocant, Spiritualibus Exercitijs, sub pio, erudito, & experto Pædagogo, incumbat. Cùm enim prima Exercitiorum illorum hebdomada, in discutienda exactè conscientia, contritionisque stimulis quæritandis, posita omnino sit; sperandum planè est, omnes animæ recessus, in illo quodammodò carceris secessu, sic purgandos, vt dignum Deo efficiantur habitaculum*. Tum narrat, hanc praxin Exercitiorum, in suo Monasterio sanctæ Mariæ in Nemore, obseruari cœptam, ab anno 1602. & anno 1617. ab Sede Apostolica confirmatam. Hìc loqui Seruatium, & Ioannem à Iesu Maria, de Laicis, & Clericis, non est dubium. Suos tamen Coadiutores Societas Iesu speciatim cum Clericis nominauit, cùm hebdomadam ab vtrisque in his spiritualibus Exercitijs, ante votorum nuncupationem, iussit impendi. Ipsorum Examen, de vota nuncupaturo, sic habet: *Quam* (Confessionem Generalem) *vt meliùs instituat, seseque in sua prima deliberatione confirmet, per vnius hebdomadæ spatium, se colligendo, & aliqua spiritualia Exercitia, ex iam factis, vel alijs, faciendo, postremò suam Oblationem ac Vota, siue solemnia sint in Professis, siue simplicia in Coadiutoribus, & Scholasticis, quemadmodùm in Constitutionibus declarabitur, ad maiorem Dei gloriam, vberioremque fructum animæ suæ, emittat*. Quinta Congregatio Generalis, decreto suo, renouauit ac stabiliuit hunc morem; tum, in regulas Magistri Nouitiorum, referri iussit hæc verba: *Priùs autem, quàm Vota emittant, per hebdomadæ spatium se colligant, & aliqua Exercitia spiritualia, præter alia quæ præscripta sunt, faciant*.

Io. à Iesu Maria instr. Nou. p. 4. c. 1. §. vlt. n. 6.

Seru. in Cat. Nou. t. 2. tr. de votis lec. 63. reg. 1.

Exam. c. 4. §. 41.

Congr. 5. decr. 66. Magistri Nou. Reg. 57.

Idem ferè dierum spatium pro spiritualibus Exercitijs statuêre Clerici Minores, & subdunt: *Nouitij verò antequàm Professionem emittant, semel vel etiam bis, id in Nouitiatu omnino præstabunt*. Et demum Christophorus Iarda è Clericis S. Pauli, dierum tamen numerum non definiens, confirmat hunc morem; nimirum habendas Diuinas Exercitationes, vt vocat, *Cùm Professio solennis emittitur*.

Cler. Min. in reg. & obseru. comm. cap. 10. n. 5.

Giarda in Ape Relig. in Indice rerum lit. E.

11 Praxin autem horum Exercitiorum, ad Nouitiorum instructionem, apud Ioannem Excalceatum obseruo. *Magister dabit operam*, inquit, *vt omnes Nouitij, infra suæ Probationis annum, spiritualia Exercitia faciant, in loco designato: vbi per dies aliquot soli morabuntur, & orationis ac piæ lectionis pastu confirmabuntur, ad reliquam viam celeriùs perfectiùsque conficiendam. II. Tunc accurata discussione, & intima peccatorum contritione, Confessio Generalis fieri poterit, nisi iusta de causa, ante id tempus, facta fuerit. Atque ad eum modum Nouitij, qui exercentur, puriores euadent. III. Erit rationi consentaneum, vt tempus, quo Nouitius quisque spiritualibus his Exercitijs vacat, sit Professioni proximum, vt rem tantam seorsim altè præmeditetur, & de Magistri consilio, opportunis meditationibus, & actibus, ad eam se comparare studeat. IV. Inter alios præparationis actus, erit ad rem, formulam præparationis ad Professionem per dies aliquot ter vel quater ex animo legere, illosque affectus seriò concipere. V. Ijs diebus, qui Exercitijs destinantur, Magister fratres ibi Deo vacantes frequenter visitabit, & rationem rerum exiget, atque salutaribus monitis instruet. VI. Curet Magister fratres, qui exercentur, firmissimo aliquo peculiari pacto cum Deo coniungere, vt scilicet inposterum, eo pacto se obligatos sentiant, ad aliquid solito sanctius Iesu Christi amore præstandum. Vt si quis e.g. verbosus, vel immodestus fuerit, ex quo cum Deo pepigit, se inposterum tacitum, modestumue futurum, se strictissimè vinctum sentiat, & in proposito perseueret. Atque hic certè vberrimus & ad aliorum exemplum efficacissimus Exercitiorum fructus erit. VII. Sedulò curet tempus anteuertere, vt qui habent temporalia bona, & testamentum, aut aliud dispositionis genus, facturi sunt, ante postremos illos dies, studio rerum internarum, & grauissimo Professionis actui præmeditando assignatos, se ipsos expediant. Ijs quippè diebus, seculares cogitationes non solùm importunæ, sed spiritus diuini capitales inimicæ sunt.*

Fr. Io. à Iesu M. in inst. Magistri Nouit. p. 4. c. 3.

12 Formula autem, quam ille in præparatione ad Professionem Nouitio quotidiè recolendam proposuit, est, vt per tempus sibi decretum, ad actum illum præmeditandum, cogitet se iam morti propinquum, & actu illo omnino obiturum: eritque satis ad rem, se quasi vitulum quendam statim cædendum, & viuo quodam holocausto exurendum, ac Deo immolandum, existimare; & sic quàm ardenter

poterit, hos vel similes affectus sensim eliciat. *I. Opto, clementissime Deus, ad mortem hanc felicem duci, ac mihi mori, vt, proprio sensu prorsus interempto, tibi feliciùs viuam; sic enim fiam holocaustum. II. Cupio sola voluntate tua regi, vt, in omnibus rebus etiam minimis, obedientiæ præscriptum sequar; & per exercitium Voti inter omnia potissimi, intellectum tibi, ac voluntatem immolem. III. Desidero certè, omnem carnis, & sensuum voluptatem abdicare, ac vitæ austeritati accuratissimè studere; vt, per Castitatis cultum, corpus tibi sacrificem. Opto vniuersas mundi diuitias, & commoditates procul arcere, vt Christianam Paupertatem, mundi Dominam, amplectens, omnem (quæ cogitari potest) opulentiam tibi offeram. V. Quia verò in hoc mystico sacrificio, tibi à me reddendo, affectus ardere debet, ac latissimè patêre; cupio, Clementissime Deus, Vnigeniti tui, & Beatissimæ Virginis, & vniuersæ Angelorum, & hominum corda, tibi grata, intra me condere, & vnà cum corde meo, in holocausto actus istius, quem statim obiturus sum, ad æternam laudem tibi deuouêre; &, quoad possum, studiosissimè religiosissimèque deuoueo. VI. Clementissime Deus, cui multis de causis me totum debeo, detestor omnem anteactæ vitæ meæ turpitudinem, propter te; ac firmissimè propono, tibi semper ac per omnia famulari. VII. Suscipe, Dulcissime Deus, victimam hanc multis desiderijs plenam; offero quippè tibi intellectum, ac voluntatem, arbitrio tuo regenda, carnem austeritate domandam, & totius opulentiæ mundi contemptum; ad comparandam, trino sacrificio, veram cordis libertatem, quam inquiro. VIII. Nolo intelligere, seu velle, nisi te; vt obediens fiam: nolo amare, nisi te; vt castus fiam: nolo possidere, aut cupere, nisi te; vt diues pauper fiam. IX. Oro ergo te, suauissime Deus cordis mei, vt in posterum vtaris me, velut mancipio tuo; nec patiaris, per sanguinem Filij tui, me degenerare à perfectione huius tuæ Congregationis. X. Et tu, VIRGO PVRISSIMA, & fidissima tutela Congregationis huius, quæ gaudet patrocinio tuo, recipe me, obsecro, inter candidatos filios tuos, fœderatum votis eisdem, quæ tibi reddere decerno, quemadmodùm, & dulcissimo Deo, ac Filio tuo.* Hæc Ioannes à Iesu Maria; & repeti, suadet, à Nouitijs, quoad vsque ad Aram, emittendæ professionis gratia, egrediantur.

Idem in Nouit. instr. p. 4. c. 5.

DISQVISITIO QVARTA.

De Spiritualibus Exercitijs, inter studia literarum habendis.

13 PRimùm omniū, ex nostris Constitutionibus, *est curandū, ne qui studijs fuerint destinati, orationis assiduitatem, & animi*

Const. Cler. Reg. p. 2. c. 6.

modeſtiam negligant. Verùm ita eruditionem cum pietatis ardore coniungere debent, *vt alterum alteri emolumento eſſe poſſit*. Hæc verba, quæ alibi iterum à nobis, vt ſpero, prolixiùs expendentur, Præpoſitos Generales extimularunt, vt ſpiritualium Exercitiorum praxin, præſertim Scholaſticis inculcarent. Nam ſtudijs, & intenſis occupationibus intellectûs, hebetari ſpiritûs vigorem, & affectum deprimi, Claudius Aquauiua ſic ait: *Cùm ferè accidat, quæ noſtra eſt fragilitas) vt literariæ ſine intermiſſione tot annorum, tamque intenſæ intellectûs occupationes, vigorem ſpiritûs hebetent, affectum deprimant, minúſque hominem ſibi vacare permittant, timendum eſt, ne & ipſi ad perfectionem, quo decet feruore ac diligentia, non aſpiremus.* S. Ignatius hoc præſertim Scholaſticis timuit, qui, ſtudiorum cauſa, in Collegijs educantur: *Poſt probationem*, inquit, *cùm ſtudijs vacant, eſt cauendum, ne, feruore ſtudiorum, intepeſcat ſolidarum virtutum ac religioſæ vitæ amor.* Si enim non ſibi ipſis inuigilant, & pietatem atque amorem in Deum, orationis ſtudio, quotidie non incendunt (vt inter S. Franciſci Collationes obſeruò) *Continget illis, quod vnde putabant magis imbui, ſeu impleri deuotione, & accendi amore, & illuminari Dei cognitione propter intellectum ſcripturæ, inde occaſionaliter remanebunt intus frigidi, & vacui: & ſic ad priſtinam vocationem redire nòn poterunt; qui tempus viuendi ſecundùm vocationem ſuam, in vano, & falſo ſtudio, amiſerunt.* Vocat ſtudium vanum, & falſum, quod ab oratione, humilitate, alijſque virtutibus, nos abducit.

P. Claud. inſt. 11. peragent. tert. an. pro. §. 2.

Conſt. S. I. p. 4. c. 4. §. 1.

S. Franc. collat. 15. de lit. & de cir.

14 Hunc in ſe teporem ſenſit aliquando S. Hieronymus ab eiuſmodi ſtudijs, quæ mentem eius adeò infatuabant, vt inſulſa ipſi poſtea ſpiritualis & ſacra Bibliorum lectio videretur. *Poſt noctium*, inquit, *crebras vigilias; poſt lachrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis viſceribus eruebat, Plautus ſumebatur in manus. Si quãdo in memetipſum reuerſus, Prophetas legere cæpiſſem, ſermo horrebat incultus. Et quia lumen cæcis oculis non videbam, non oculorum putabam eſſe culpam; ſed ſolis.* Idem in ſtudijs ſuis D. Petrus Damiani expertus hæc ait: *Olim mihi Tullius dulceſcebat: blandiebantur carmina Poetarum: Philoſophi verbis aureis inſplendebant, & ſirenes vſque in exitium dulces, meum intrauerant intellectum. Lex, Prophetæ, Euangelium, Epiſtolæ, & omnis gloria ſententiarum Domini mei, & ſeruorum eius, aut parua videbantur, aut nulla.*

S. Hier. ep. 12. ad Euſtoc.

D. Pet. Damiani ſer. in Natiu.

15 Cauſam huius teporis, ex S. Thoma, ſic habes. Quoniam inquit, *ſcientia & quicquid aliud ad magnitudinem pertinet, occaſio eſt, quòd homo conſideret de ſe ipſo, & ideò non totaliter ſe Deo trãdat. Et inde eſt, quòd huiuſmodi quandoque occaſionaliter deuotionẽ impediunt.* Quia,

S. Th. 2. 2. qu. 82. ar. 3. ad 3.

 nimi-

nimirum, qui literis ſtudet, & doctrina præſertim excellet; ad ſe ipſum, ſuamque excellentiam, magis conuerſus eſt, quàm ad Deum. Quod, vt S. Doctor ſedulò ſibi caueret, ad S. Dominici morem, in Collationibus Patrum, lectione, & imitatione, aſſiduè verſabatur; *Ne ex rerum ſubtilium ſpeculatione*, inquit Surius, *affectus eius nonnihil intepeſceret*. Et planè, vt experientia docet, religioſi Ordinis euerſio, & diſſolutio, à viris quandoque manat, doctrina, & ſcientia inſignioribus. Non immeritò enim S. Franciſcus Aſſiſias ægrè admodùm tulit, ac vetuit, ſtudium integrum Bononiæ inſtitui, ne fratres, in humanis doctrinis, ſpiritum manſuetudinis, & humilitatis amitterent. Et cùm illi renuntiatum eſſet, magni nominis, atque ſcientiæ Theologum, Ordini Pariſijs aggregatum, vtilitati eſſe populo, ac Clero, & Religionis decori; ſuſpirium duxit, & ait: Vereor ne olim homines huiuſmodi deſtruant, & euellant, quicquid conſtruxit, & plantauit Dominus, in hac vinea, per me indigniſſimum ſeruum ſuũ. Benè igitur Gonzalus Silueria, *Nutriri inter virtutum Exercitia ſociorum ſtudia volebat, vt ſiccitas illa, quæ gigni in animis ex literis ſolet, ſalutaris virtutis ſucco pelleretur.*

Laur. Sur. in Vita S. Th. Aquin.

Chron. S. Franc. p. 1. li. 2. cap. 23. 24.

Nic. Codign. in eius vita lib. 3. cap. 10.

16 Porrò, ſi quis ex Superioribus, Ordini, cladem timet, iunioribus Scholaſticis præſertim inuigilet; eoſque ſubindè moneat, vt ſpiritualia Exercitia non omittant. In Exercitiorum enim ſeceſſu, depulſo tepore, Religioſorum animus recaleſcit, vt Claudius Aquauiua, Societatis Ieſu Præpoſitus Generalis, nobis eſt auctor. Nam velut in caminum ſpiritualem, ceu ferrum immittitur, cuius igne non modò perpurgatur, ſed etiam candet. Vnde, in Scholaſticorum inſtructione, Societas ita ſtatuit: *Quin etiam expedire omnino videtur, vt qui in ſpiritu nimis relaxati videntur, quò in eis ſpiritualis feruor excitetur, ad has mortificationes, & Exercitia etiam ſpiritualia, ſuauiter, omnino tamen, inducantur*. Carmelitæ item Excalceati, vt hoc caueant, ſuadent ſæpe ſeceſſum in ſtudijs: *Fratres autem noſtri, qui vel ad ſtudia, vel ad proximorum ſalutem, ad alium Conuentum migrauerint; ne ijs exercitijs, ab interna cum Deo vnione, alieni fiant, ad Eremum interdum de Præpoſiti, ſeu Prouincialis venia, ſe recipere poſſunt, vt ſpiritus vires reſumant*. Hæc autem ſui recollectio, & in ſeceſſu conſideratio, Religioſo viro quid conferat, exponit S. Bernardus. *Et primùm quidem ipſum fontem ſuum*, inquit, *ideſt mentem, de qua oritur, purificat conſideratio: deindè regit affectus, dirigit actus, corrigit exceſſus, componit mores, vitam honeſtat, & ordinat: poſtremò, diuinarum pariter, & humanarum rerum ſcientiam confert. Hæc eſt, quæ confuſa diſterminat, hiantia cogit, ſparſa colligit, ſecreta rimatur, vera veſtigat, veriſimilia exami-*

Claud. Aquau. inſtr. ſup. c. 3. n. 3.

Inſtr. c. 9. §. 4.

Carmel. S. Eliæ p. 2. conſt. c. 1. §. 4.

S. Bern. l. 1. de conſid. c. 7.

nat, ficta & fucata explorat. Hæc est, quæ agenda præordinat, acta recogitat, vt nihil in mente resideat, aut incorreptum, aut correptione egens. Hæc est, quæ in prosperis aduersa præsentit, in aduersis quasi non sentit: quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiæ est. Hactenus S. Bernardus. Sed hi Recollectionis effectus iterum à nobis inferiùs expendentur.

DISQVISITIO QVINTA.

De Spiritualibus Exercitijs, à sacris Virginibus, & Sanctimonialibus, vsurpandis.

17 THeatinæ tàm Virgines, quàm Eremicolæ ac quælibet aliæ Moniales, ijsdem planè in recessu Exercitijs vti solent, quæ à nostris hominibus, vti diximus, ac dicemus, aut quotannis, aut ante Professionem, vel susceptionem Habitus, ex Directoris consilio, peraguntur. Iuuat tamen modum audire, ac etiam imitari; quem P. Nicolaus Lancicius, cuidam Turris speculorum Virgini, persuasit; quo, vt tradit *in fine opusculi* 7 sanctè illa vitam instituit, ac finiuit. Carptim verba excerpam, ne lectori tædium ingeratur. *Lanc. to. 1. fol. 509.*

18 Ad hæc ergo sancta Exercitia ita Monialis illa se comparauit. I. Cùm præteritæ vitæ rationem sensisset in se à rebus diuinis abhorrentem; diffidens penitùs viribus proprijs, se totam Diuino Magisterio & directioni subiecit, sperans se non derelinquendam à Deo, ob cuius purum amorem, conscientiæ suæ quietem, ac Religiosæ vitæ progressum, sibi insolitum antea eligebat secessum, & tam diuturnum meditandi laborem, ac arcti silentij rigorem, & exactam temporis bene collocandi custodiam. II. Excitauit in se magnum lætitiæ affectum, tres ob causas. Primò, quòd amplam sibi videret à Deo fieri potestatem tractandi liberè cum eo de maioris momenti negotijs, quàm soleant subditi ad conspectum Regum admissi. Præterea gaudebat, se toto Exercitiorum tempore, nil tractaturam aliud, quàm suæ salutis & perfectionis negotium, à quo beatam pendere æternitatem videbat. Hanc quoque lætabatur ob causam, quòd copia sibi fieret diutiùs agendi cum Deo, omnium amicorum & benefactorum maximo, cuius sciebat esse delicias, cum hominibus versari. III. Quam adhibuit dispositio ad peragenda Exercitia, fuit firmissimum animi propositum vincendi naturæ repugnantiam, à solitudine & silentio abhorrentis, & omnia ad Exercitiorum culturam

spectantia quàm diligentissimè exequendi, & Directoris consilia sequendi in omnibus. IV. Denique liberalissimè se totam obtulit Deo, vt in ea tanquam in candido folio scribere dignaretur, quæcunque deinceps vellet ab ea siue deseri, siue vitari, siue emendari ac perfici, siue inchoari & fieri. Quam liberalem sui Oblationem, nulla exceptione, nullis limitibus voluit circumscribi; sed plenè in omnibus totam libertatem suam Diuinæ Voluntati conformari; & eius beneficio gratiæ respondere, quantum sibi liceret. His quatuor affectibus armata in apertum cum natura ac dæmone certamen descēdit: & ipso mensis Martij initio An. 1626. Exercitia inchoauit: quorum primo die, cùm, per horas aliquot, summa mentis attentione ponderasset Exercitiorum principium ac fundamentum, in eoque penetrasset finis, ad quem creata erat, excellentiam, & mediorum sibi diuinitùs concessorum, & à se neglectorum, multitudinem, & efficaciam ad consecutionem huius finis, deplorato in primis tam insigni beneficiorum abusu & neglectu, gratijsque Deo actis, pro tam nobili suæ Creationis fine, ac præstantia mediorum, imploratisque diuinis auxilijs, sibi ad quærendum hunc, per media, finem, necessarijs; tanto repentè lumine & feruore diuinitùs se repletam sensit, vt generosissimè se resoluerit ad ineundam deinceps perfectissimam viuendi rationem, à vita anteacta longè diuersam. Et resolutione coram Deo stabilita, illo ipso die Confessarium adijt, & successum meditationum narratura sic exorsa est: *Pater, non oportet ampliùs iocari cum Deo: agnoui quid Deus à me velit, quid nolit. Volo tota Dei esse, & totis viribus conari, vt ob maiorem Dei Gloriam, sine vlla mora sancta, nec qualiscunque, sed magna, & quàm citò euadam*. Tùm sui Oblationem hanc edidit: *Ego N.N. serua indignissima Crucifixi, qui, motus infinita sua pietate, dignatus est hoc die veneris, quarto Martij 1626. dum Exercitia facio, dare mihi tantum robur, post multas, & infinitas inspirationes, quibus ingrata semper restiti, conuicta tandem à Diuina gratia, in conspectu sanctissimæ Trinitatis, Beatæ Virginis meæ Matris, sanctæ Franciscæ, & sanctæ Mariæ Magdalenæ, meæ peculiaris aduocatæ, & totius Curiæ cælestis, propono tibi & offero, Iesu Sponse animæ meæ, à me infinities offense; nunquam ampliùs tradendi affectum meum vlli creaturæ extra Deum, vbi agnouerò intercedere offensam, & tui seruitij remoram: quod desidero & propono obire, cum maximo quo potero feruore, adiuta Diuina gratia tua, sine qua cognosco me ne quidem vnam cogitationem posse dirigere ad cælum. Et hanc oblationem, Deus meus, & propositum quod facio auellendi me à rebus omnibus, quæ me possunt à tuo sancto elongare seruitio, tam libenter facio, vt si post mea obsequia, tota vita mea impensa tibi,*

bi, volueris me detrudere ad infernum, ero contentissima, dummodo in me tua sanctissima voluntas adimpleatur. Quocircà scripturam hanc meam, meâ propriæ manus, tibi dono & consigno, Iesu Creator, & animæ meæ Redemptor, eamque in tuo sanctissimo Latere depono, rogans per pretiosissima merita sanguinis tui, vt mihi condones omnia peccata mea; nec permittas dilecte Deus meus, te vnquam à me ampliùs offendi, cùm ampliùs non sim mea, sed tota tua. Amen.

19 Facta hac sui obligatione, perrexit in Exercitijs faciendis per decem dies. Et præter particularia proposita, quæ tunc edidit, hæc quoque generalia fecit. Primum fuit, conseruandi animam, in summa, quæ posset reperiri in hac vita, puritate: cuius hos veluti quinque gradus sibi præfixit. I. Purgandi animam à præteritis peccatis bona Confessione, & vitandi quoduis peccatum veniale, præsertim deliberatum. II. Abstinendi etiam à peccatis materialibus, hoc est, à rebus talibus, quæ in se malæ videntur, sed culpam & Dei offensam coniunctam non habent, dum fiunt ex primi motus impulsu, sine aduertentia rationis, & vsu liberi arbitrij. III. Attendendi passionibus naturalibus, vt non tantùm ad culpam non pertraherent, sed neque quietem animæ perturbarent. IV. Abolendi obligationem pœnarum temporalium, per media in sancta Ecclesia vsitata, quò ita puram conseruaret animam, non tantùm à macula culpæ, sed etiam à ruga pœnæ. V. Vitandi etiam res in se non malas, tales tamen, quæ à prudentibus & sanctis improbantur: vti est, manuum non necessaria agitatio, in incedendo vel loquendo, pedum decussatio, aut nimia in sessione protensio, & his similia, ad morum vrbanam honestatem ac decorem spectantia. Secundum generale propositum ab ea in Exercitijs factum fuit, omnes internas & externas actiones suas faciendi (si possibile esset) plenè & adæquatè iuxta lumen sibi diuinitùs concessum & concedendum, quoad finem, modum, & circumstantias earum, ac omnem possibilem perfectionem à se cognitam, habendo pro idea operandi, non tantùm Sanctos eximios, sed ipsum Christum incarnatum. Tertium propositum vniuersale fuit, amandi crucem in omnibus ac per omnia, cum desiderio patiendi quamplurima pro Deo; & in occasionibus patientiæ, tolerandi omnia sine excusatione & defensione, & nulla re leuiorem reddendi crucem, quin potiùs omnem possibilem amaritudinem & afflictionem, quantùm licet & decet, æquo, patienti, & libenti animo ferendi. Quartum generale propositum fuit, procurandi citò magnam sanctitatem, idque non alium ob finem, quàm vt ea cederet in quàmmaximam gloriam, consolationem, & gustum Dei, &

commendationem, ac fructum meritorum Christi, ac nostræ Redemptionis dilatationem. Quæ omnia, illa desiderabat tam puro & defæcato affectu, quanuis posteà nullo hanc ob rem diuino præmio afficeretur.

DISQVISITIO SEXTA.

Quæ à sacris Deo Virginibus in Recessu glorificandi Deum praxis haberi possit.

20 MOnialis, quam dixi, præter ea, quæ sibi proposuit, ac supra retulimus, etiam sibi glorificandi Deum praxim ita præfixit. I. Fuge quoduis etiam minimum peccatum, ita ne vnquam offendas Deum cum plena aduertentia rationis & deliberatione, non tantùm mortalitèr, sed etiam venialiter. Sed cùm sine venialibus peccatis hæc vita non agatur; caue, ne committas peccata grauia venialia, nec leuia multarum specierum: & hæc sint quàm paucissima & rarissima: & non sint talia, quæ scandalizent & offendant alios: nec talia, quæ valde disponant ad mortalia, vti sunt cogitationes turpes negligenter reiectę, & curiositas oculorum in aspiciendis corporibus, etiam sacris, nudis, multò magis profanis & formosis faciebus, siue iuuenum, siue feminarum. II. Expia peccata commissa quoad culpam, & quoad pœnam quamprimùm, tum synceris confessionibus, tum actibus contritionis, vt est diuersa ab attritione, tum actibus amoris Dei amati super omnia, tum frequenti detestatione peccatorum, quanuis illa non sit tam efficax vt contritio; tum alijs actibus supernaturalibus virtutum, qui sunt contrarij peccatis commissis, tum actibus pœnalibus pœnitentiæ, & religionis, & fraternæ caritatis, vti sunt ieiunia, disciplinæ, vigiliæ, cubatio in nudis asseribus, orationes longæ genibus flexis factæ, cilicia, eleemosynæ, obsequia impensa infirmis, officia seruilia, amor inimicorum, beneficia illis præstita. Supra omnia autem, feruens cum intensis actibus deuotio in offerendis Deo omnibus, quæ facis, & ijs faciendis. III. Da operam vt ita viuas, vt omnia opera tua sint meritoria gratiæ, & digna præmio cælesti, & in te augeant gratiam & virtutes supernaturales, & dona Dei. Ad hoc autem necessariæ sunt hæ conditiones. Primò, vt non habeas vnquam peccatum mortale in anima, sed sis in gratia Dei. Secundò, vt omnia facias propter motiuum aliquod supernaturale, quod Apostolus faciendum mo-

Nic. Lancic. in opusc. 7. fol. 517.

net, etiam dum comedimus & bibimus. Tertiò, modus operandi sit bonus, hoc est, conformis rectæ rationi & lumini conscientiæ, conformis doctrinæ S. Ecclesiæ, & Patrum Spiritualium, & Regulis tui Ordinis. Quartò, operationes nostræ non inquinentur vllo peccato veniali, quod vitiet vel finem, vel modum benè operandi. Sic operando imitaberis Christum qui dixit: *Ego, quæ placita sunt ei, facio semper*: & sic quoque imitaberis Spiritus cælestes, qui nunquam peccant, & semper sunt occupati in feruentissimis operibus summè Deo gratis. IV. Non sis contenta quibusuis bonis operibus, sed inter opera, quantum potes & quantum licet, elige semper magis perfecta, & magis Deo grata, ex quibus maior Dei laus & gloria oriatur. Porrò maior Dei gloria & perfectior hinc cognoscitur. Primò, ex maiore perfectione virtutis: nam v.g. perfectior est caritas quàm fides, virtus religionis quàm patientiæ. Secundò, cognoscitur ex maiori difficultate obiecti & materiæ, cæteris paribus: vnde perfectius est amare pro Deo inimicum, quàm amicum; & dare maiorem eleemosynam quàm minorem. Tertiò, cognoscitur ex maiore victoria nostrarum repugnantiarum, quas sentimus in bona operando. Quartò, ex maiore nostri mortificatione & confusione. Quintò, ex maiore repressione humanorum respectuum, & maiore contemptu iudiciorum alienorum ac censurarum; quæ curando, sæpè Deum offendimus, & bona omittimus. Sextò, cognoscitur ex tempore magis longo, quod in opere bono expendimus. Septimò, ex maiore vtilitate vel alicui personæ vel toti cõmunitati proueniente ex nostro opere. Octauò, cognoscitur ex durabilitate operis, si aliquid fiat vel fundetur, duraturum & profuturum etiam post nostram mortem. Nonò, si opera nostra extendantur, ad vtilitatem vel saltem solatium, plurium personarum vel locorum. Decimò, si opera fiant ob plures supernaturales fines inter se subordinatos, & omnes ad eum ordinatos in quantum est motiuum amoris supernaturalis, quem Theologi vocant beneuolentiam: quæ est perfectior quàm amor concupiscentiæ, quo Deum amamus, prout nobis est vtilis. V. Non tantùm viuendo glorifices Deum, sed etiam post mortem in cælo, idque ijs modis. Primò, conare vt ad cælum peruenias sine purgatorio, vt ita quàm citissimè incipias glorificare Deum in cælis. Secundò, coneris esse in altissimo gradu gloriæ cælestis, Beatissimæ Virgini & Christo quàm proximo: ita enim amabis & glorificabis magis Deum, & Christi merita ac eius in te gloria magis elucebunt, erisque eius mẽbrum illi tuo capiti magis proportionatum, & imago Deo Patri similior per virtutes, & dignius templum Spiritus S. Tertiò, procura

vt tanta gloria in cælo polleas apud Deum, vt inde quàm proximè & quàm plurimos adiuues, ad dilatandum per illos quàm maximè gloriam Dei. Quartò, desidera, si id magis Deo placeret, essetque cum maiori eius gloria coniunctum, etiam in cælo humiliari, pro Deo affligi, & modis omnibus Deo placentibus exagitari & deprimi, & te priuari ijs gaudijs, quibus plenum est cælum. Quintò, contenta sis priuari visione Dei beatifica, si hoc esset necessarium ad maiorem Dei gloriam. Sextò, si id Deo placeret magis, loco visionis Dei beatificæ, opta habere alios tantos gradus virtutum, qui correspondeant visioni Dei, qua priuareris ex amore eius. Septimò, sed cùm Deus fidelis sit in promissis, & daturus sit gloriam cælestem diligentibus eum, ita debes habere purificatum & defæcatum cor, vt non per actum reflexum, & quasi coactè, sed tanquam connaturaliter desideres Deum videre in cælo, ne quidem secundariò ob bonum tuum vt bonum tuum est, sed totaliter & purè propter ipsum Deũ, in quantum id bonum Dei est, quippè cessurum id in maiorem gloriam & laudem Dei: quod quidem tam perfectè desiderare debes, vt dum senties in te desiderium gloriæ cælestis, ne quidem in memoriam tibi veniat speculatiuè desiderium cæli propter commodum & gustum tuum, sed solùm propter gloriam Dei. VI. Desidera & conare glorificare Deum post mortem, non tantùm existendo in cælo, sed etiam in terra, his modis. Primò, vt postquam anima separata fuerit à corpore suo, immediatè post, ita remaneat in lecto decenter & honestè compositum corpus tuum, in omnibus membris & vestimentis, rebusque alijs ad id spectantibus, vt aspicientes excitet ad laudandum & glorificandum Deum, eique perfectiùs seruiendũ. Secundò, vt vestes, quibus vsa fuisti, & quantum ad paupertatem & munditiam & alia, tales inueniantur, vt ex illis qui eas viderint, sumant occasionem glorificandi Deum. Tertiò, cubiculum tuum ita post mortem tuam redoleat paupertatem, munditiem, & ordinem supellectilis, vt hinc quoque excitentur alij ad glorificandum Deum. Quartò, similiter & lectus tuus, in quo morieris, habeat in se aliquid, quod excitet ad glorificandum Deum. VII. Per personas cum quibus conuersaris vel conuersata es, sic glorificabis Deum, si conuersatione tua eas reddideris meliores in obsequio Dei, id specialiter spectans in eis, vt non tantùm te viuente, sed etiam te mortua Deum glorificent loco tui, & ex causa tua, & tu quasi viuas in eis, eo ferè modo, quo dicit Spiritus sanctus: *Pater quasi non est mortuus, similem enim reliquit post se filium*. VIII. Officijs & occupationibus tuis glorifica Deum, eas ita obeundo perfectè, vt relinquant bonum odorem

virtutis, & quandam ideam alijs perfectè operandi, cum magno incremento diuinæ gloriæ domi forisque. IX. Vsu temporis glorificabis Deum tum iuxtà monita tibi à Patre spirituali pridem data, tum his modis. Primò, si negotia tua ita tractabis & stabilies, vt etiam post mortem quàm diutissimè durent, & Dei gloriam semper dilatent. Secundò, si in omnibus actionibus & conatibus tuis, non tanquam vsufructuariorum more, sed tanquam heres procedes, non spectando tantùm vt tuo tempore benè procedant, sed vt posteà etiã fructus eorum duret. Tertiò, si in ipso fine negotiorum tuorum ita ijs applicata eris, & res omnes ad illas spectantes dispones, ac si tunc illud negotium inchoares. X. Etiam absentia tua & post mortem glorificabis Deum, quando ita viues & procedes in omnibus, vt illi qui te cognouerunt, vel de te aliquid audiuerunt, recordatione tuorum bonorum exemplorum, & perfectionis in modo tractandi negotia, excitentur ad laudandum Deum, & ad gratias agendas ei, ad tui imitationem. XI. Præter hæc, etiam conatibus tuis glorificabis Deũ, interiùs quidem, per ardentissima desideria, vt per te & per alios quàm maximè promoueatur diuina gloria; exteriùs verò adhibendo omnem operam, vt quæ aggressa es pro gloriæ diuinæ dilatatione, optimè succedant, retinendo tamen in animo quoddam tui dominiũ à nimia solicitudine liberum, & plenam resignationem, per quam cõtenta remaneas & tranquilla, si Deus, sine culpa tua, noluerit succedere res à te inchoatas. XII. Etiam per omissiones debes glorificare Deum his modis: Primò, non peccando in occasionibus peccati, v.g. non irascendo, dum aliqua iniuria afficeris. Secundò, non peccando etiam alijs temporibus, quibus non occurrit vlla occasio te ad peccatum incitans. Tertiò, cessando ab opere, quod facis, quando cessare iubet vel Regula vel approbata consuetudo tui Ordinis, vel is, qui præest, mandat. Quartò, non aggrediendo nec inchoando negotia, si putes esse mentem contrariam eius qui tibi præest. Quintò, non occupando te in vlla re, etiam bona, sine licentia. Sextò, non offerendo operam tuam ad vllam rem, etiam bonam, sine licentia. Septimò, ne quidem ostendendo inclinationem tuam ad aliquid faciendum sine licentia. Octauò, non petendo consilia ab externis sine licentia. Nonò, abstinendo etiam à rebus non malis, si sint aut vetitæ aut peregrinæ in tuo domicilio. Sed vt per has omissiones magis glorificetur Deus, illas ipsas actualiter offer Deo singulas per actum reflexum. Decimò, glorificabis Deum abstinendo ab vsu creaturarum superfluarum, v.g. non vtendo duobus Breuiarijs, sed vno, & sic de alijs. Vndecimò, non vtendo creaturis,

etsi pro eo tempore vtilibus, non tamen omninò tunc necessarijs, v.g. dum candela ardet in publico ambulacro vel ambitu, & sat præbet luminis, tu tuam candelam non adhibeas propter maius lumen: sic, si satis est ad eluendum os vel manus semel aquam adhibere, bis non adhibeas. Duodecimò, noli desiderare vllam rem non necessariam nec vtilem ad satisfaciendum obligationi tuæ, v.g. habitare in tali loco, tale officium obire &c. sed sis semper resignata & indifferens ad omnia, quæ circa te disponet Deus per Superiores, nil prorsus eligendo in particulari, nil detrectando: licebit tamen proponere cum indifferentia, si clarè videris id Deum à te exigere. Decimotertiò, non petas à proximo tuo vllum obsequium vel auxiliũ, quod illi potest esse incommodum vel molestum, nisi cogaris id facere ob euidentem necessitatem vel vtilitatem maioris gloriæ diuinæ. Decimoquartò, non adhibeas ad vsum tuum res necessarias, magis pretiosas quàm minùs pretiosas, sed è contra: ideò & vestibus ex panno viliore vtêris, & Breuiarijs quæ minoris veneunt, vti sunt Venetijs impressa, non Antuerpiæ vel Parisijs. Decimoquintò, noli adhibere vllum leuamen molestijs & crucibus tuis: ideoque abstine ab excusationibus, defensionibus, & similibus, per quæ crux Christi minùs amara redditur & leuior: cùm eam optare debeas, & ferre, omnibus instantibus vitæ tuæ, quàm grauissimam & quàm amarissimam parti tuæ inferiori & amori proprio. Decimosextò, noli ostendere vel seruare literas aut res alias à personis aliquibus insignibus ad te missas vel datas tibi, ex quibus visis ab alijs, possit de te concipi maior & melior opinio. Decimoseptimò, preme silentio omnia, quæ aut bonam apud alios de te opinionem conciliare possent, aut solatium aliquod humanum afferre: ideò extra casum necessitatis, noli commemorare alijs, quàm Medicis, indispositiones corporis tui; quia sola talium rerum commemoratio, est quoddam naturæ & infirmitatum leuamen, & solatium amoris proprij. XIII. Contradictionibus, aduersitatibus, persecutionibus & quibusuis molestijs glorificabis Deum, eas tolerando non tantùm patienter, sed etiam libenter, imò & cum exultatione & gaudio, & adhuc cum desiderio maiorum & plurium molestiarum nunquam finiendarũ, ideoque nullas fugere aut declinare debes, & ne quidem leuiores reddere, sed in crucibus nil nisi crucem tuam quàm grauissimam, & Dei gustum & gloriam quàm maximam quærere. XIV. Peccatis tuis & alienis dum tibi in memoriam venient, sic glorificabis Deum. Primò, excitando in te odium & detestationem eorum propter Deum per ea offensum, omni obsequio & amore dignum. Secundò, do-

lendo de ijs magis quàm de omni alia infelicitate & calamitate. Tertiò, optando & procurando ne ampliùs vnquam cōmittantur. Quartò, satisfaciendo pro ijs, modis in Ecclesia vsitatis. Quintò, offerendo te Deo ad omnes calamitates, etiam ad pœnas inferni, si earum toleratione posset effici, ne vnquam offendatur ampliùs dilectissimus Dominus Deus tuus. Sextò, excitando eorum occasione ardentius in te studium, Deo perfectiùs seruiendi, vt sanctè & perfectè viuendo, possis aliqua ratione compensare tot iniurias Deo per peccata illatas, eiusque cor exhilarare. XV. Conare & da operam, vt & verbis, & exemplis, & precibus, & alijs quibus poteris modis, inducantur alij quoque ad glorificandum Deum, modis hìc explicatis. Hactenus ex P. Lancicio. Quæ omnia non modò Moniales ac Virgines, in recessu, sed & viri omnes tam Religiosi quàm seculares, ob procurandam maiorem Dei Gloriã, statuere ac seruare deberent.

DISQVISITIO SEPTIMA.

Ex quo sacræ Deo Virgines Alphabeto religiosam vitam instituere queant.

21 NOstri moris est, vt innuimus, cuilibet in recessu, præter Meditationes ab Directore præscriptas, Alphabetum aliquod tradere; ex quo paulatim mores suos emendare, extirpare vitia, ac serere animo virtutes addiscat: eoque præsertim Sanctimoniales & proficere solent, & plurimùm oblectari. Quocirca, illis, quæ in Eremum admitti postulant, vt primùm exerceantur, Alphabetum offertur, quod alibi luci dedimus, addiscendum. Sed nunc reliquis omnibus exhibemus; quod nos Anno 1672 RR. Sanctimonialibus S. Mariæ Ægyptiacæ Reformatis; quæ, Neapoli, sub S. Maria Puritatis vnicè militant, in vltima Quadragesimæ Concione, veluti omnium Concionũ epilogum explicuimus. Id fusiori nunc oratione descriptum, cuiuis Religioso, ac Theatino præsertim homini, vtilissimum, est huiusmodi.

ALPHABETVM RELIGIOSARVM VIRTVTVM, — *Alphabetũ Authoris.*

Si quæ Virgo cupit Sapiens euadere, discat
Literulis breuibus quicquid in hisce latet.

✠ *Crucem Iesu Christi*, Domini ac Sponsi tui, Religiosæ Theatinæque Militiæ planè signum, volenti animo amplecti, ac iugiter ferre debes: & ne dum cordi tuo omninò illam insculpere; sed &

per mortificationem carnis, Religiosi hominis tesseram, ac tuimet eidem confixionem, omnium oculis extollere & exhibere: si veraciter Christum sequi, & æternùm cum eo regnare desideras. A. *Amor* Dei, & *amor* proximi *ardeat* semper in corde tuo. *Amor* & studium erga Deiparam, ab omni labe mundissimam, & ab instanti suæ immaculatæ Conceptionis intaminatam; quam lætaberis, Puritatis tuæ custodem, & Patronam habere: S. *Archangelum* Michaelem, Cælestis Militiæ planè Principem: S. *Angelum*, cuius es tutelæ commissa: S. Iosephum B. Mariæ Virginis Sponsum: sanctos B. M. Virginis Genitores, Ioachimum, & *Annam*: Dei Ecclesiæ Principem, S. Petrum: S. Ioannem, dilectum Iesu Christi Discipulum: S. *Augustinum*, tui Ordinis Patriarcham: S. Mariam *Ægyptiacam*, sub qua militas: S. P. N. Caietanum, B. *Andream*, & *alios* tui *Aduocatos*, & Cælites omnes. Tui ipsius ac seculi *amorem*, & quemcunque peculiarem *affectum*, & *amicitiam*, *æmulationem*, *ambitionem*, & *auaritiam*, vt vni Deo in posterum viuas, *abs te* prorsus *abscinde*. Et si quidpiam cupis in virtutum schola proficere, primò omnium *Abstinentiam* cole. B. *Benedictio* Domini ita sit tibi semper in ore, vt quicquid diu noctuque peragas, ad eius Gloriam opereris. Nam vigil, in rebus omnibus, sicut ab eius amore, ita & ab eius laudibus, cessare non debes. C. *Cura* vt *Conscientiam* tuam per *Contritionis* actus, & Sacramentum *Confessionis*, ab omni semper labe diligenter extergas. *Cor* sedulò emundabis ac munies. *Cilicijs*, dum sis incolumis, assuesces. *Cænobij* tui *Constitutiones*, *Consuetudines*, *Caremonias* exactè *custodias*. *Cælestium Contemplationi* semper insistas. *Caritatem* studiosissimè *conseruabis*. *Curiositatem*, & omnem *Contentionem* extermina: & per *Crates*, & *Cancellos*, neminem præsertim *curiosè* intueberis, ac in nullius faciem oculos figes. *Curabisque* semper vt sis in omnibus Diuinæ Voluntati omninò *conformis*. Et diu noctuque prima semper in *Choro*, vt summa totius animi ac *corporis compositione consistas*. *Carissimam* tibi *cellam* habebis. Et in *Communionis* Sacramento, quod obieris aut obibis, omnes *cogitatus* tuos perpetuò fixos habere & occupare *conaberis*. D. *Decor* tuus, in virtutum ornatu, & conscientiæ candore, ac nitore, consistit; per quẽ *Deus delicias* in te habet, & *diabolus* inuidissimè cruciatur. Caue ne vlli *detrahas*, quod *Dei* Sponsam plurimùm *dedecet*. Caue ne *deuotionem* extinguas. Caue ne quamlibet ex Sororibus peculiari studio *diligas*: sed satage modis omnibus, vt in te *diuina dilectionis* ignis exardeat. Vnus sit *dolor* continuus cordi tuo, *Deum* vel vnquam grauiter vel leuiter offendisse. *Displiceat* tibi omnis offensa & iniuria, illi à peccatoribus irrogata. Omne illud quod


Deo diſplicet, deteſtare. *Deſidera* & à *Deo* pete, vt *defectus* tuos in poſterum caueas & extirpes. Iuuabitque plurimùm ſi *diſciplina*, hoc eſt, ſolita corporis flagellatione, & quandoque lecti *duritie*, te multabis. E. *Examen* ideò abs te quotidie tùm defectuū tùm virtutum pluries ac diligenter inſtituendum: *Eligenda* tibi ſunt vilia, abiecta, deteriora: *Elegantiora* alijs relinquenda. *Eleemoſynam* egenis, ſi re non potes, verbis, deſiderio, & affectu præſtabis. *Edulium Euchariſticum* tibi ſummoperè *eſuriendum*: & coram eo te quotidie pluries, ſumma animi demiſſione, proſternes. F. *Fugandum* eſt otium, *fouenda* deuotio, *fugienda* ſunt vitia, *Fictio* eliminanda. Cauenda omninò *familiaritas* cum domeſticis & externis. G. *Gloriam* Dei in omnibus ſtudioſè perquires: & eam velle, quotidie manè, ſtatim ac expergiſceris, ac cuiuſque Operis initio, proteſtaberis. H. *Humilitatem* modis omnibus amplexare; & in cunctis tuis ſiue factis, ſiue verbis, oſtende. Sed cùm diuini *Honoris* aliquid agitur, *humanos* omnes reſpectus omninò proculcare ac premere debes. I. *Intentionem* tuam rectè dirige, vt dixi, cuiuſque operis *initio*, *in Deum*. Et *indifferens* eſto, ad quicquid illi collibitum fuerit de te fieri. *Indignationem*, *iracundiam*, & *inuidiam*, ex animo eijce. *Iuramentis* ac *iudicijs* abſtine. *Ieiunia*, vel ab Eccleſia, vel ab Ordine *indicta*, diligentiſſimè obſerua. Et *Ieſus Maria Ioſeph*, vel *Ieſus Maria Ioannes*, abs te iugiter, vt comites, *implorandi*. L. *Loqui*, niſi ſubmiſsè ac de Deo, animæ ab eo dilectæ, non *licet*. Ideòque ad *Loquutorium* (quod aiunt) *locum* videlicet, à diabolo, multis *laqueis* obſitum, rarò vadas: & cùm vadis, multa circumſpectione te munias, ac perpaucis expedias. *Literulas* ab alijs non accipias, nec cuiquam ſcribas, niſi *legerit*, & probarit Antiſtita. *Libri* verò ſacri, veluti Sponſi *literæ* è Cælo miſſæ, iucundiſſimè legi & audiri debent. *Labor* tamen manuum à te nunquam prætermittendus. M. *Munuſcula* vel tradere alijs, vel accipere, irreligioſiſſimum eſt, & quod pretioſiſſimam paupertatem plurimùm lædit. *Manuum*, & præſertim oculorum *Modeſtiam*, atque *manſuetudinem*, coles in omni loco. *Monaſterium* tuum, tanquam Paradiſum deliciarum, tibi à Deo conſitum, ſummoperè diliges. *Maledictum*, & *Mendacium* execraberis. *Manducabis* quod in *menſa* communiter omnibus appoſitum eſt; niſi aliter *Medicus*, aut *Moderatrix* iuſſerit, aut *Magiſtra*. *Moderatè* ac ter ſummùm in *menſa* bibes; & gulam ſemper frænaberis. N. *Nihil* quærere, *nihil* cupere, *nihil* velle, ſit tua omninò felicitas & diuitiæ: ſumma verò Sapientia erit, omnia terrena contemnere, ac te *Nihilum* reputare: excelſa *Nobilitas*, tibi quamlibet anteponere; te verò cunctis ex cor-

de subijci, & ab omnibus sincere despici ac proculcari. O. *Omnia* dici *Opera* ex *ordine* peragantur. Et *Oratio operationi*, *Orationi operatio* coniungenda. Vtrique verò præferenda est *Obedientia*. P. *Pax* tibi in ore, in opere, in corde. *Paupertas* in vestibus, & in cellulæ supellectili. *Puritas* in oculis, in sermone, & in cunctis actibus tuis. *Prudentia* & *Patientia* in omnibus ostendenda. Dei tui *Præsentiam*, mentis oculis debes horis singulis intueri, ac peramanter expendere. Sed & *pete*, vt quotidie aliquid *pati possis*, in memoriam Dominicæ *Passionis*. Q. *Quiete* mentis ac cordis, nihil optabilius, pretiosius, iucundius ac *quæstuosius* est: quam si obtinere & conseruare desideras, *quæstiones*, lites, ac *querimonias* fugies: & seculi commercium ac conuersationem abrumpes. Sed Dei solicitè Regnum *quæres* ac iustitiam eius: & temporalia omnia, iuxta S.P.N. Caietani monitum, imò & Sponsi tui promissum, adijcientur. R. *Remittere* quandoque animum debes, sed tuæ *Regulæ* ac Dei Præsentiæ vbique memor; cauens, ne *risu* ac vaniloquio dissoluaris. Debesque *Requiem* Animabus, quæ Purgatorio igne torquentur, sedulò procurare. *Remedia*, cùm ægrotas, ne nimia cum anxietate *requiras*; ne *remedijs* magis quàm Deo fidere videaris. Imò quicquid tibi pauperi traditur, veluti in eleemosynam, cum gratiarum actione *recipies*. *Recordare* te morituram: imò terrenis omnibus te mortuam esse *reputa*. *Romanæque* fidei Professionem, ac Propositum tuum quotidie studiosissimè *renoua*. S. *Scapularium* Conceptæ Deiparæ (quod sanctissimus ac Beatissimus Pater Clemens X. nostro Ordini suo Diplomate indulsit, vt vtriusque sexus Christi fidelibus secularibus ac Religiosis tradere possit, & instanter à me omnes efflagitastis) libenter indue, cùm acceperis: & cura vt super te illud deuotè habeas gestesque quotidie: vt omnium spiritualium bonorum nostri Ordinis, & Theatinarum præsertim Virginum, ac Eremicolarum (quarum insigne Scapularium illud est) communicatione fruaris: tùm vt intercessione B. Virginis ex hac vita Sacramentis munita, Diuinoque succensa ardore decedere; & ne dum euadere infernum ignem, sed & liberari citiùs purgatorio merearis. *Sæpe* tibi discutienda *supellex*, ne aliquid apud te *superfluum* habeas. *Solitudinem* verò, *Sobrietatem*, *Silentium*, veluti Religiosæ Vitæ Patrimonium adamabis. Vehementerque lætaberis, dum à *Sponsi* latere non discedas, si *stulta* reputeris ab alijs, ac contumelia afficiaris. T. *Tentationes* diaboli, Dei *timore*, diligenter expelle, ne animæ pulchritudinem lædant atque commaculent. *Tribulationes* verò & aduersa omnia tibi veluti à Sponso missa, vt tui amorem ac fidelitatem experiatur, gaudenti animo su-

ſcipe; illius ponderis Gloriæ æterni memor, quod *tibi* in Cælis, vt ait Apoſtolus, operantur. Aliorum iudicia, dicta, & facta ne cures: ſed vni *tibimetipſi* ſolùm attende. Hoc eſt, Deum & *te* ſolùm, atque breuiſſimum benè merendi *tempus* eſſe recogita. *Terrena* verò omnia, ceu nihil *tibi* profutura, omnino contemnes. Caue ne *tu* quampiam *tangas*, aut *te* ab alijs *tangi* ſinas, ſine neceſſitate. Sed & *tuba* illa, quæ Diui Hieronymi auribus inſonuit, cunctos euocans ad Iudicium, omnem abs te pigritiam & *torporem* excutiet, & ad ſtrenuè euigilandum, pugnandumque cunctis animi neruis, contra nequiſſimi hoſtis inuidiam & inſidias, plurimùm excitabit. V. *Verbum* Dei libenter audias, ac vehementer eſurias. *Veritatem* loquaris: ac ne dum verbis, ſed & factis oſtendas. Propriam *Voluntatem*, & omnem *Voluptatem* ſuſpectam habeas. Omnem *Vanitatem* penitùs auerſeris. *Vita communis* actibus ſuper omnia diligenter incumbas. Cùm verò monita fueris, aut ſenties *vitæ* tuæ finem adeſſe, profitere te lætam, à Deo tibi mortem immiſſam, cum omni alacritate ſubire *velle*: & amoris, fidei, atque religionis lampadem veluti manu geſtans, & venturum Sponſum expectans, inuitare contendas, vt te ad Cæli demum Gaudia & Nuptias introducat. X. *Xp̄i* Domini ſacratiſſimum Corpus, & B. Virginis eius Matris illibatam Puritatem, & Conceptionem, ſub qua militas, quantum potes honora, interdum ore ac corde dicendo, quod æternùm cupies, inter Beatorum ac Cælitum agmina, decantare: *Laudetur ſanctiſſimum Sacramentum: & ſit benedicta, ſemper, ab omnibus, B. Mariæ Virginis Puritas, & immaculata Conceptio. Amen.*

LIBER II.

De Spiritualibus Exercitijs Sacerdotum.

22 ED ETIAM SACERDOTES. Potiſſimùm adhuc noſtri exerceri debent, antequam Sacris initientur, Prædicationem vel Expeditionem Apoſtolicam obeant, Regimen aliorum ſuſcipiant, grauium negotiorum Cura diſtineantur; cùm opprimi, præſertim in Miſſionibus, aliqua perſecutione contingat; & demum, cùm benè præparari velint ad mortem. Dicam de omnibus ſingulatim.

DISQVISITIO PRIMA.

De spiritualibus Exercitijs, instituendis ab ijs, qui sunt sacris initiandi.

23 AD Sacerdotij inaugurationem, par est, vt se se nostri comparent, spiritualibus Exercitijs: tanta enim est eius rei dignitas & magnitudo, vt si temerè, & non perpurgato, ac præparato priùs animo susciperetur, grauissimum piaculum esset. Eandem consuetudinem, & si non lege ac scripto statutam, Iulius Nigronus extare, in Societate, sic narrat: *Ad hanc* (primæ Missæ Celebrationem) *in iure nostro, nullam reperi Collectionem animi, vel Secessum lege præscriptum, sed vsum, quem ratio dictat, ex magnitudine rei*: Inuenio tamen hanc legem, apud Præmonstratenses, inter Ordinis statuta, sic latam: *Nouiter consecrati Sacerdotes, ante primitias, Spiritualibus Exercitijs, aliquot diebus occupentur; vt dignè tantum Sacrificium Deo offerre, & se ipsos in illo verè immolare queant.* Quem planè secedendi ritum, in prima Ordinis institutione, ab ipso Conditore S. Norberto, Magdeburgensi Archiepiscopo, didicerunt. Nam is (vt Vitæ Autor, apud Surium, narrat) *Acceptis sacris Ordinibus, conuertit continuò pedem, & contulit se ad Monasterium Sigebergense, magnæ & præclaræ famæ: vbi inter Religiosos, & deuotos in omni sanctitate Monachos, & accepti Sacerdotij addisceret vsum, & certa religiosè viuendi caperet documenta: completisque ibi diebus circiter quadraginta, rediens ad patrium solum, contulit se ad Ecclesiam, vbi fuerat, & erat Canonicus secularis.* Sic Beatus Xauerius, ipsos quadraginta dies, in agrum Patauinum secessit. Sed *B. Ignatius*, vt inquit Iulius, *initiatus Sacerdotio, integrum annum sumpsit, ad se colligendum atque poliendũ.*

Nigr. tr. 6. c. 5. §. 25.

Stat. dist. 1. c. 15. n. 21.

Sur. iun. 6.

Nigr. tr. 6. §. 25.

24 Verùm, prisca nostri Ordinis ratio postulat, vt secessus, non ab acceptis Ordinibus, sed ante in præparatione ad susceptionem, instituatur. Porrò id, exemplo suo, præter Thienæum & Carafam, Cardinalis Aretius, Iacobus de Stephano, Franciscus Olimpius, Iosephus Caracciolus, viri celeberrimi, docuerunt. Et nobiscum, Clerici Regulares Minores, inter Regulas, & Obseruantias communes, hæc mandant: *Vt semel in anno, & quoties item ad Sacerdotium quis promouendus erit, singuli nostri Professi, à vitæ actiuæ exercitatione abducti, ac recollecti, non mente solùm, sed etiam corpore, Spiritualibus tantùm contemplatiuæ partis Exercitijs, ad decem saltem vel octo dierum spatium,* vacent.

Reg. c. 10. n. 5.

25 Imò, non ad Presbyteratum dumtaxat, ſed etiam ad Subdiaconatus Ordinem ſe ſe noſtri præparant hoc ſeceſſu. Monachi Reformati S.Bernardi Ordinis Ciſtercienſis, inter Conſtitutiones, hæc aiunt: *Qui ad Subdiaconatum erunt promouendi, aliquot ante diebus, ad arbitrium Superioris ſui, in rerum cœleſtium ſancta meditatione, ſtudioſiùs verſentur.* Vbi de Recollectione ac Seceſſu ſermonem eſſe, teſtatus eſt mihi D.Ioannes Bona, Abbas ipſorum Generalis eruditiſſimus, hodiè Eminentiſſimus, ac meritiſſimus S.R.E.Cardinalis. *Conſt.Congr. S.Ber. c. 62.* Ita Clerici Regulares S. Pauli ſua etiam Conſtitutione decernunt, vt è Profeſſis, Subdiaconatus, & Presbyteratus Ordinem ſuſcepturi, Spiritualia Exercitia obeant: idque ipſi, arbitror, didicerunt à S.Carolo; de quo Vitæ Auctor hæc habet: *Subdiaconos, Presbyteroſque deſignatos, certis ante Ordinationem diebus, in remotum locum venire; ibique, relictis omnibus, apto aliquo Sacerdote duce, ſalutari contemplatione ſe ſe exercere iubebat; cuius adiumento, ad meliorem, ſanctioremque vitam, ſuſcipiendique muneris plenam cognitionem, adducerentur.* *Conſt. Cl. S. P.l.1.c.2.* *Clar. Ep. Nouar. l. 7. c. 31.* Hac inſtitutione, quartæ etiam Synodi Prouincialis decreto firmata, *multos demum Presbyteros planè aptos ipſe habuit.* Hactenus Carolus Epiſcopus: & Ioannes Petrus Gluſſianus, poſterior vitæ ſcriptor, eadem narrat. *Conc.4. Mediol. p.l. tit. Quæ pertinent ad Ord.* *Gluſſ. l.2. c. 25.*

26 Hanc ſancti Caroli, Mediolanenſis Archiepiſcopi, ſedulitatem, & curam, eundemque zelum, ac ſtudium, Stephanus Cardinalis Duratius, Archiepiſcopus Genuenſis, inſigniter imitatus, acceſſitos è Gallia Patres Miſſionis, vt vocant, honorificentiſſimè omnes ac digna Principis munificentia excepit, viros quidem erudiendis ſecularibus Clericis ſatis aptos: quorum Congregationi, cùm ædes (vt audio) ampliſſimas extruxiſſet, hoc ipſorum inſtitutum valde promouit; vt, nimirum, ſacris initiandos inſtruerent, & ſpiritualibus Exercitijs expolirent. O Paſtores, ò Præſules, ò qui diuitijs affluitis, & opulenta Sacerdotia adminiſtratis; ſi veſtra intereſt, Cleri præſertim diſciplinæ ſtudere, & dignos ſubinde adminiſtros per Dei templa ſufficere, qui fideles ad pietatem erudiant, & inflamment; eia vos tantorum Cardinalium induſtriam æmulemini, vt, ante manuum impoſitionem, curetis, in ſortem Domini adſcribendos ſecedere, & à doctis peritiſque Patribus, ad dies aliquot, exerceri: vt omnes ad tanti muneris dignitatem, qua par eſt puritate animi, & conſcientiæ, diſponantur.

27 Hunc ſeceſſum, ac præparationem, & exquiſitam extersionem, videtur Iſaias petere ab ijs, qui ſunt ſacris initiandi, cùm clamat: *Mundamini qui fertis vaſa Domini.* Nam tum prædicit Prophe- *Iſa.52. 11.*

ta reditum Iudæorum ex Babylone: vnde, Cyri Regis concessu, vasa templi translata illuc, erant Ierosolymam relaturi; vt est opinio præsertim Rabinorum, quos refert sanctus Hieronymus, & sequitur sanctus Thomas: tùm ex sancto Hieronymo, Cyrillo, Procopio, & alijs, loquitur etiam de Ministris noui testamenti. Monet ergo Leuitas, quorum erat vasa diuino cultui dedicata contrectare, vt ex Legis præscripto, munditiam sibi quærant, tum futuros Euangelicos Sacerdotes, vt se præparent ad contrectanda diuina mysteria, & dignè distribuenda populis sacramenta. Sed quomodò comparanda sit hæc puritas, & mundities, innuunt septuaginta Interpretes, cùm reddunt: *Separamini, qui portatis vasa Domini*. Hoc est, vt notat Hector Pintus: Agite, & per secessionem, meditationes, ac spiritualia Exercitia, munditiam quærite.

S. Hier. & S. Th. in Isa. 52. Cyr. Procop. ibid.

Pint. ibid.

DISQVISITIO SECVNDA.

Iuuenes, dum studijs literarum incumbunt, ac sacris præsertim initiandi, quæ nam statuere debent, in spiritualibus Exercitijs, cauenda sibi, & omninò in posterum obseruanda, & quem sibi in secessu finem præfigere.

28 IVniores, qui in recessu versantur, si se disponere cupiunt ad sacros Ordines ritè suscipiendos, multa sibi præfigere animo debent: vt, qua decet animi puritate, ac morum sanctitudine, Deo militent, ac sacris dignè Ordinibus exornentur. Primum est, vt perpetuò ac continuò in rebus omnibus modestiam seruent: Scilicet, vt *nihil ab ipsis fiat* (ex S. Augustino) *quod cuiusquam offendat aspectum*. Vt in ipsis eluceat, inquit S. Ambrosius, *forma honestatis, & ornatus ad omnem actionem accommodatus*. Ne præsertim scandalum aliquod oriatur: *Tanta enim est stoliditas secularium quorundam*, inquit S. Bonauentura, *vt dum vident aliquem Religiosum in aliquo offendere, omnes Religiosos despiciunt, quasi omnes tales sint*. Itaque nostros planè oportet Rhodios imitari, quos ita commendat S. Chrysostomus: *Vobis laudem pariunt, cognoscunturque apud omnes, vt non parua, incessus, cæsaries, & quòd nemo tumultuosè vadit per Ciuitatem: compelluntur que, propter vestram consuetudinem, & peregrinantes hospites compositè incedere. Huc accedit & vestitus modus: & quòd spectatis cum silentio, & popysmis vtimini moderatis. Hæc omnia grauitate commendant Ciuitatem. Propter hæc omnia ab alijs differre videmini: in his omnibus estis admirationi, atque diligimini: magis quàm portus, quàm mœ-*

S. A. reg. 3. S. Ambr. l. 1. off. c. 19.

S. Bon. q. 16. in reg. S. Franc.

S. Chrys. ho. 21. in ep. Ephes. in moral.

nia, quàm naualia vel ornant, antiqui mores, & verè Græci. Vnde nos quilibet, simul ac è naui descendat, nouit, etiamsi sit barbarus, aut veniat è Ciuitate Assyriæ, aut Ciliciæ. Eosdenque *orat.32.* laudans, hæc ait: *Nouistis Rhodios, apud quos neque currere in Ciuitate videtur decorum: sed & hospites increpant, qui proteruè vadunt. Quare meritò magni fiunt, & omnem consequuntur honorem: reuerentes enim se ipsos primùm, & nihil stultum facientes, iurè & ab alijs & à Præfecto reuerentiam consequuntur.* Quocircà, de S.Ignatio scribitur, multos ad Societatem traxisse, *solùm, eo, quem tenebat ad mensam, modo, in comedendo, & cum illis loquendo.* Et verè S.Chrysostomus, *Dicere non desinam,* inquit, *quòd non solùm doctrina, & admonitio, & consilium, sed & aspectus Sanctorum, atque vestium amictus, & calceorum mos, multum habent vtilitatis.* Prudenterque P.Mutius Generalis in prima ad Societatem Epistola; *Nemo,* scripsit, *rem hanc reponat in minimis. Nimirum elinguis licet, & muta modestia, silentium, cuius meminit* Nazianzenus, *illud est sermone præstantius, & ad homines permouendos flectendosque, copiosa quauis disputatione, longè valentius.* Et subdit: *Vsu quidem compertum est, fratrum nostrorum; siue in gymnasijs, siue per compita, conspecta modestia, ad Societatem bene multos animum adiecisse. Atque ego de me profiteri sanctè verèque possum, tantùm ex eo me spectaculo, cùm adhuc versarer in seculo, fructum capere solitum, vt cùm Romanum Collegium, Concionis, Lectionisque sacræ gratiâ à Professa Domo vnà omnes bini repeterent, eius frui conspectu pompæ enixè contenderem. In summa,* quod ait S.Hieronymus, *licet sermone taceamus, habitu loquamur & gestu.* Idem ego de meo planè Ordine dicere possum, ac Sacramento etiam profiteri: me videlicet, ob Nouitiorum siue iuniorum modestiam, quam semel Panormi Theatino in Templo conspexi, repentè immutatum, ad ineundum S. Caietani Ordinem animum adiecisse. Ideò S.Theodorus Studita, præclarus spiritualis vitæ Magister; *Sanctè,* inquit, *viuamus, qui alios per nos ad sanctitatem, qua doctrinâ, qua vitâ dirigimus. Itaque clamor nullus audietur citra decorum, nec contentiosum colloquium, neu putridus sermo exiliens ab ore: sed honestus ad ædificationem frugi, & vtilis, ne quod operi nostro, pro eâ, crimen conflctur.* Vide hac de re monita quæ congessimus in *1.to. de sacris Cærem. opusc.3. disq.1.2.3. & 4.8.9.10. &c.* Sed vt ad cauenda omnino descendam, stabiliendus est animus, vt omnem libertatem, quam parrhisiam dicunt, prorsus eliminet. Iuuatque S. Dorotheum hic audire, & eius disciplinam animo imbibere: *Liberet bonitate sua Deus,* inquit, *animas nostras ab hac pestiferâ & lethali parrhisiâ, seu licentiosa agendi vel loquendi libertate. Est enim parrhisia multiplex, & pluribus*

Ludou. Consaluus in Diar.

S.Chrys. to. 4.ho.1.in salutate Priscam.

Naz. or.12. ser. 1. de pace.

S.Hier.lib.2. cont. Iouin.

S.Dorot. ser. 4.

modis fit. Etenim licentiosè se quisquam gerit verbo, tactu, & visu. Delabitur quis parrhisia in otiosam & vanam locutionem, in verba secularia, in actus ridiculos. Risus enim mouet hæc parrhisia parùm modestos. Est autem parrhisia, seu licentiosa libertas, cùm quis præter necessitatem alium attrectat; manusque suas iocandi, ridendique studio, in socium iniectat: cùm impellit aliquem ac protrudit: cùm violenter quicquam, aut furtim, ab aliquo rapit: cùm impudentibus oculis, & parùm modestè, aliquem spectat. Hæc omnia profectò ex eo proueniunt, & ortum habent, quòd timorem Domini anima nostra non possidet. Ex his autem in verum & absolutum contemptum paulatim quis labitur. Propterea, cùm legis præcepta daret Deus, aiebat: Facite vt religiosi, pij, ac verecundi sint filij Israel, ac minimè contemptores, & fastuosi. Nam citra pietatem & deuotum animi affectum, citraque reuerentiam & orationem, nec colere, nec venerari Deum quisquam poterit vnquam. Neque enim cuiusmodi sit præceptum attendit aut considerat. Idcircò nihil est parrhisia grauius & molestius: & propterea omnium passionum ac vitiorum mater, ac seminarium dicitur: quandoquidem hæc parrhisia omnem religionem, omnemque pietatem, ac venerationem, omnem denique timorem Dei procul abigit & expellit à nobis, paritque contemptum & fastum. Etenim ex hac parrhisia, seu licentiosa libertate, quam mutuò inter nos exercemus, fit, vt mutuò inter nos licentiosi simus, vt impudenter inuicem nosmet geramus, vt perperam ac malè inter nos colloquamur, vt mutuò nos lædamus, corrumpamusque, atque adeò verberibus lasciuiamus. Inde etiam fit, cùm vestrum aliquis inutile quippiam aut vanum aspexerit, actutum abeat, & futili quadam garrulitate, ac loquacitate, illud effutiat, ac disseminet, & in alterius fratris mentem atque animùm ingerat, nequaquam se ipsum tantùm læsisse contentus, nisi & fratrem suum in commune damnum protraxerit, immisso quodam lethali veneno in cor eius. Ac sæpe numero euenit, vt frater ille orationibus vacet, & precationibus deditam habeat mentem, aut rei cuipiam non inutili, cùm subitò venit hic nugigarrulus, & conuertit eum in nugas, facitque vt inaniter & inutiliter colloquatur: nec solùm illum ab vtili re auocat, verùm etiam prouocat ad tentationem. Quo quidem vitio, nihil grauius, nihil perniciosius, vt non modò scilicet te solum, sed etiam proximum lædere, atque ipsi impedimento esse velis. Facessat istud à nobis, fratres, absit tantum à nobis scelus!

29 Ergo alterum, quod tibi proponere ac præfigere debes, est non tua solùm emendatio, sed omnium sociorum; ita vt summoperè in posterum de cuiusuis pietate ac progressu læteris, & socios tuos à feruore non retrahas, sed & magis incendas. Qua de re B. Laurentius ita loquitur: *In cordibus seruorum Christi, in congregatione viuen-*

B. Laur. Iustin. de discip. & perf. mon. con. cap. 13.

uentium, & minùs cautè conuerſantium, humani generis aduerſarius, ad exterminandam caritatem, concordiam, & mentis tranquillitatem, diſſeminare non deſinit. Frequenter nanque face æmulationis, & inuidiæ liuore; quorundam accendit animos, contra aliquos Collegij, ſimpliciter, humiliter, & ſolicitè conuerſantes. Agitque ſuis perſuaſionibus, vt negligentibus ſit intolerabilis vita bonorum. Nam repleti huiuſmodi diabolica malignitate, & inuidiæ ſagitta transfixi, profectum Fratrum ſuorum iudicant detrimentum. Propterea, inſtigante liuore, detractionibus linguæ habenas laxant, & vitam proximorum, murmurationibus, dilaniare non ceſſant: obſeruant greſſus, verba diſcutiunt, & mores illorum, quibus inuident, ſemper dijudicant. Eorum derogant deuotionibus, eorum virtutibus laceſſuntur, eorumque bonis operibus affliguntur. Facilè & pro minimo aduersùs eos, quos æmulantur, turbantur: nec ſpiritu liuoris agitati ſuum valent cohibere vel diſſimulare furorem. Non poſſunt pacificè loqui: ſed mox vt verba protulerint, feruore intrinſecùs inchoant, foriſque contumelioſa verba iaculantur. Bonum illorum malum dicunt, ſed vel vtinam malum bonum. Inſanabilis eſt iſtorum languor: non enim placantur blanditijs, non mulcentur obſequijs, non rationibus acquieſcunt. Quin potiùs quemadmodùm ignis accenditur additione lignorum, ita & horum paſſio augetur, multiplicatione virtutum. Hoc vitio ſauciati fuêre filij Iacob aduersùs Ioſeph, de quibus ſcriptum eſt: Oderant eum, nec quicquam ei pacificè loqui poterant. Nam cùm ad illos properaret quadam die, manſuetè & humaniter, directus à Patre; Ecce, inquiunt, ſomniator venit: occidamus eum, & videbimus quid ei proſint ſomnia ſua. Et tandem fratrem Iſmaelitis vendiderunt. De hoc quoque lethali veneno ex omni parte abundauerunt Iudæi Sacerdotes & Phariſæi contra Dominum Ieſum, de quibus in libro ſapientiæ ſcriptum eſt: Circunueniamus iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris: factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum: grauis eſt nobis ad videndum, quoniam diſſimilis eſt alijs vita illius. Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à vijs noſtris, tanquam ab immunditijs. Qui ab hac peſtiferâ tentatione liberari deſiderat, proximum ſuum tanquam fratrem, tanquam cæleſtis Regni coheredem diliget, & complectetur intimis viſceribus caritatis. Caritas nanque vera & fraterna dilectio eſt huius tentationis & cæterarum, quæ de proximo, aut contra proximum graſſantur, interemptrix mirifica, & docta triumphatrix. Hanc quicunque in veritate poſſederit, non capietur à diabolo, non proximi detractor, non contentioſus, non irriſor, non inuidus eſſe valebit.

Gen. 37.

Sap. 2.

30 Tertiò, in ſeceſſu propones, nunquam in remiſſionibus animi, te inſtituturum eſſe ſermonem, niſi de rebus ſpiritualibus, & vtilibus; vt S. Honoratum Epiſcopum imiteris, de quo S. Hilarius Are-

Hil. Arel. or. toneb.

latensis hæc habet: *Nunquam in ore suo nisi pax, nisi castitas, nisi pietas, nisi caritas; nunquam in corde, nisi horum fons, Christus, habitauit.* Verè enim inhabitantis Christi in corde illius indicium est, qui lubenter de Deo sermonem instituit: qua de re habes illustre argumentum in vitis Patrum. Quippè cùm B. Macarius Abbas vocem cælitùs audiuisset: *Macari, nec dum ad mensuram duarum Mulierum peruenisti, quæ in prima habitant Ciuitate; ille, inuentis Mulieribus illis, coëgit eas vt dicerent opera sua. Cui illæ sic dixerunt: Crede nobis, sanctissime Pater, quia nec præsenti nocte à maritorum lectulis fuimus separatæ: sed his 15. annis in domo vna pariter permanentes, nec turpe verbum altera dixit ad alteram: neque litem aliquam commisimus: sed in pace hactenus viximus, & pari consensu tractauimus, quatenus pariter relictis Maritis, in Congregationem Religiosarum Virginum proficisceremur: & multis precibus hoc à Coniugibus non valuimus obtinere. Quo non adepto, inter nos & Deum posuimus testamentum, vt vsque ad mortem nostram seculare verbum non loqueremur omnino.* Si id tantoperè Deo placuit, facilè intelligemus quod à Ioanne Taulero refertur. Christum videlicet seruo suo cuidam apparuisse, vehementerque conquestum esse de sex modis, quibus à famulis suis inhonorari dolebat: quorum secundus erat, quòd in conuentibus & colloquijs vana & inutilia pertractarent: vix verò de eo, ac ne vix quidem, facerent mentionem. Similiter, coram S. Birgitta, de malis Sacerdotibus querebatur, *Quòd magis loquantur centum verba pro mundo, quàm vnum pro eius honore.* Quàm verò pijs ipse sermonibus delectetur, docet S. Teresia; quæ, vidi, inquit, *Christum in maxima gloria, & maiestate, præferentem magnam lætitiam, ex quodam colloquio, quod fiebat de pijs rebus cum quodam viro Religioso: & dixit mihi, voluitque clarè à me videri, quòd talibus conuersationibus ipse præsens adesset, & quantoperè ipsi placeat, delectari homines in colloquijs de ipso institutis.* Quocircà de S. Pachomij Monachis, scriptum est, *quòd impossibile fuerit, aliquem apud eos verbum otiosum loqui, sed ea tantùm, quæ de sanctis scripturis didicerant, erant inter se conferentes, & exponentes de capitulis scripturarum, quæ ad timorem Domini confirmarent, & illuminarent animas eorum.* Eodemque in libro narratur, *quendam Virum magnum de sanctis senioribus vidisse sanctos Angelos stantes circa quàmplurimos Fratres, dum loquerentur inter se, & conferrent de sanctis Scripturis, quæ ad salutem pertinent animarum. Stabant autem circa eos sancti Angeli lætantes, in hilari vultu considerantes: delectabantur enim de eloquijs Domini. Cùm autem aliud quodcunque inter se loquerentur, statim sancti Angeli recedebant, longiùs indignantes citra eos. Veniebant autem porci sordidissimi, & morbo pleni, & volutabant*

Ruff. lib. 3. n. 97. Rosu. pag. 515.

Io. Thau. instit. cap. 28.

S. Birg. reuel. lib. 1. cap. 47.

Vita S. Teres. cap. 34.

Ruffin. lib. 3. nu. 31. Rosu. pag. 506.

Infra nu. 36.

se inter eos: dæmones enim in specie porcorum delectabantur per superflua & vaniloquia eorum. Beatus autem senior hæc videns, abijt in cellulam suam: & per totam noctem, cum grandi fletu & vlulatu, gemendo deflebat miserias nostras. Exhortabatur ergo sanctos Patres per Monasterium, & commonebat Fratres, dicens: Cauete Fratres à multiloquio, & ab otiosis sermonibus linguam prohibete, per quam malus interitus animæ generatur: & non intelligimus, quoniam per hæc, & Deo, & sanctis Angelis odibiles sumus. Dicit enim scriptura: Per multiloquium non effugies peccatum. Hæc enim infirmam & vacuam efficiunt mentem, atque animam nostram. Hoc ipsum deplorat B. Laurentius Iustinianus de disciplina & perfectione monastica, & D. Bernardus in Apologia ad Guilielmum Abbatem. Idemque S. Chrysostomus etiam secularibus hominibus exprobrauit.

B. Laur. de disc. & perf. Mon. con. c. 22. & 15.
S. Ber. apol. ad Guil. col. 7.
S. Chrys. s. 6. in Gen.
S. Doroth. ser. 3.

31 Quartum est, minimorum curam & studium non omittere. Nam *rectè agere, & peccare* (vt scribit S. Dorotheus) *à minimis ortum habent; & ad magna paulatim perducunt vel bona, vel mala.* Et qui minima spernunt, ad altiora, ductrice Dei manu, non adducuntur. Nam, S. Birgittæ Dominus ait: *Qui onus meum uertere incipiunt, idest uoluntariè & ex feruenti desiderio conantur ad faciendum illud modicum quod ipsi possunt, ijs ego dabo gratiam: qui autem leuant pondera mea, idest, pro amore meo, de die in diem proficiunt, cum eis laboro, & fortitudo eorum ero, & inflammabo eos ut ampliùs uelint.* Contra verò, neglectus in minimis in quantam homines perniciem & cladem inducat, Abbas Theodorerus apud Cassianum docet, his verbis: *Lapsus quisquam nequaquam subitaneâ ruinâ corruisse credendus est, sed aut prauæ institutionis deceptus exordio, aut propter longam mentis incuriam, paulatim uirtute animi decedente, & per hoc sensim uitijs increscentibus, casu mirabili concidisse.* Vide quod sequitur, & quod alibi Isaac Abbas affirmat. Proinde S. Maria Magdalena de Pazzis edocta fuit, pro quouis Ordine conseruando petendum esse: *Vt omnes Religiosi perfectè cognoscant, quanti momenti sit, rem quamlibet sanctæ Regulæ minimam obseruare.* Qui ergo curant minima (vt P. Lancicius ait, cuius carptim verba transcribo) nunquam regulam silentij violant: nihil vnquam sine licentia vel generali vel speciali, ne quidem filum vel chartulam donant, aut mutuò accipiunt, vel alteri dant: alienum nunquam cubiculum intrant: nec flosculum nec pomum ab horto decerpunt: omnes temporis partes, sine otio, tantùm in rebus suo statui vel occupationi assignatis, & conuenientibus eidem expendunt: nullam officij sui partem omittunt, aut ad aliud tempus differunt, quàm præfixum. Portas omnes, quæ claudi iubentur, semper post se bene

Cass. coll. 6. c. vlt.
Idem coll. 9. c. 5.
P. Lancic. to. 1. opusc. 5. fol. 380. nu. 144.

& ſine ſtrepitu claudunt: omnes ſacras cæremonias, & ſui Ordinis ritus, communiter ſeruari ſolitos, iuxta praxim meliorem, accuratiſſimè ſeruant: præſcriptis temporibus, nec aliter, quàm mos communis ferat, faciunt facienda: ad primum campanæ pulſum ceſſant à quibus ceſſandū eſt; & id facere incipiunt, ad quod vocantur: ea diligentia, feruore, & affectu, ęgris Fratribus vel in menſa miniſtrant, ac ſi Chriſto miniſtrarent. Ita ſinę vlla excuſatione ac tergiuerſatione, & repugnantia voluntaria, promptè exequuntur imperata à minimo infimoue ſuperiore, quomodò exequerentur, ſi ipſe Præpoſitus Generalis, vel Epiſcopus præſens, aliquid ab eis vel imperans vel rogans exigeret. Ita libenter & diligenter, rogati, operam ſuam impendunt, Fratri minimo, à quo nil commodi ſperant; ſicut ſolent maximo Superiori, aliquid optanti aut petenti. Ita exactè ſeruanda omnia ſeruant, dum iter faciunt, vel extra ſuum domicilium viuunt, ac ſi domi & in ſuperiorum oculis eſſent. Eo affectu & modo alios iuuant, dum ſe offert occaſio, quo ſe adiutos ab alijs in ſimilibus occaſionibus vellent. Nil ad oculum hominum faciunt, ſed quòd videntur à Deo, & eo modo quo illud facerent; ſi poſt operis finem, aut illo minimè abſoluto, obituri eſſent. Denique omnes regulas, quæ à tepidis pro parui momenti rebus habentur, & paſſim violantur, ſemper, in quauis occaſione, accuratè ſeruant; & ac ſi in eis ſita eſſet tota perfectio, magnifaciunt, nulliſque humanis reſpectibus, aut proprij amoris ſuggeſtionibus, ad earum vllam violandam ſe induci ſinunt: etiam tunc, cùm nullum præſentem vident; cuius vel metus vel reſpectus eos, in illarum obſeruatione, contineat.

32 Cæterùm finis, quem in recollectione omnes ſibi præfigere debent, eſt ille, quem ſtatuit eſſe finem Exercitiorum S. Ignatius. Scilicet, *præparatio, & diſpoſitio animæ, ad tollendas affectiones omnes malè ordinatas; vt, ijs ſublatis, quæratur, & inueniatur voluntas Dei, circa vitæ noſtræ inſtitutionem, & ſalutem animæ; vt homo vincat ſe ipſum, & vitæ ſuæ rationem inſtituat, determinatione à noxijs affectibus liberâ.* Suadetque Lancicius, in recollectione quam dixi, hos quoque fines habendos eſſe. I. Vt per eam reſoluant ſe nunquam deliberatum vllum veniale peccatum committere, & nullam regulam violare. II. Vt paſſionem illam, cui magis ſunt obnoxij, deinceps refrænare curent, ne ab ea ad peccata perducantur: & (quia hoc ſatis non eſt) ne ab ea valdè inquietentur. III. Si habent praua aliqua dictamina contraria vel ſtatui Religioſo in genere, vel Regulis, vel Superiorum monitis, vel conſuetudinibus priuatis &c. excludant ex animo. Talia dictamina ſunt, vel potiùs effectus eorum: Erubeſcere vel fu-

P. Lancic. opuſc. 6. cap. 1. nn. 12. fol. 420.

gere mortificationes publicas, modeſtiam in inceſſu, colloquia ſpiritualia, conuerſationem cum magis deuotis & exemplaribus Fratribus, & his ſimilia. IV. Vt concipiant ingens deſiderium ſanctè viuendi, & merita quàmplurima congregandi; vnde ſequantur hæc bona. Vt omnes particulæ temporis, non in vanis colloquijs, vel otio conſumantur, nec in occupationibus præſenti ſtatui non neceſſarijs, nec pro futuro ſeruituris. Vt pro magna felicitate reputent, ſi iniungantur ſibi quàmplurima facienda, præter occupationes ſuas ordinarias. Vt omnia ordinaria opera faciant cum magna diligentia & feruore. Vt omnes aduerſitates patienter & libenter tolerent, præſertim quando accuſantur, & puniuntur etiam ſine cauſa. Vt lectio librorum merè ſpiritualium magis ſapiat, quàm profanorum: vti etiam oratio magis, quàm colloquia otioſa & ludicra, & euagationes ac recreationes non neceſſariæ. V. Vt ſic velint deinceps viuere modis infra indicandis, ne poſt mortem in Purgatorio detineantur illis grauiſſimis pœnis: vel ſaltem, ne diu ibi eas patiantur (quod fideliter, feruenterque Deo ſeruientes, & omnes regulas exactè ſeruantes, facilè Dei beneficio conſequuntur) ſed relinquant magnos theſauros Eccleſiæ pro Indulgentijs à Pōtificibus Romanis diſtribuendis, & per ſuffragij modum applicandis tam viuis quàm defunctis. VI. Qui amaro ſolent eſſe animo, & malè contenti de ſua vocatione vel ſtatu, ſiue ob priuatas aliquas offenſiunculas, ſiue ob aliqua quæ vident ab alijs impunita: ſiue ob Superiorum gubernationem non talem, qualem debere eſſe iudicant; hi Exercitia ad hoc quoque, & præcipuè dirigere debent, vt in ijs omnem amaritudinem triſtitiamque deponant, & redeant ad animi quietem atque iucunditatem. Quod aſſequentur tùm alijs modis Diuinæ Gratiæ, tùm his, qui ſequuntur. I. Si bene penetrent ſe ob peccata vitæ ſecularis infernum promeritos: & agnoſcant, ſe maiora debere perpeti tota vita. II. Etiam ob peccata venialia quotidiana, purgatorij ſe pœnas mereri, quas ipſi euadere poſſunt, tolerando mundi & Religionis incommoda, & mala, quæ patiuntur. III. Si intimè penetrent, Chriſtum plura paſſum ipſorum cauſa. IV. Si bene apprehendant ſtatum Religioſum, eſſe ſtatum Crucis: quamobrem ſancti Patres Religioſos viros, Cruciferos, & Crucifixos appellant.

S. Baſil. cōſt. mon. c. 1. S. Ephrem to. 2. paræn. 1. S. Chryſ. ho. 9. in Matth. & ho. 56. ad pop. S. Theod. Stud. ſer. 126. & 100.

(✠)

DISQVISITIO TERTIA.

De spiritualibus Exercitijs, quæ quotannis fieri debent à Sacerdotibus.

33 PResbyteris omnibus non est satis, si ante Primitias in solitudinem se recipiant: sed quotannis, si me audiunt, semel saltem, hanc Recollectionem instituere debent. Iacobus Marchantius, è Congregatione sancti Caroli, præscribit hunc secessum, etiam Sacerdotibus, & Pastoribus secularibus; quibus, in Aaronis Virga, ponit hanc Regulam: *Singulis annis, totius anni peccata, Confessione, expient; vt defectus pleniùs agnoscere, & sibi ad profectum calcar adijcere possint.* Et mox ipsis in Recollectionis commendationem hæc ait: *Eligite igitur, ò Sacerdotes, & Ministri Christi, hanc adeò fructuosam Solitudinem, hanc adamate, quam Dominus frequenter elegit, & adamauit, illius nobis exemplum tradens, siue in deserto per 40. dies commorans, à spiritu illuc ductus, siue in montibus in oratione pernoctans. In hac Solitudine, Angelum, & Angelorum Dominam, Diuosque Tutelares, sufficiat conscios habere mentis nostræ, & duces vitæ, adiuncto illo, qui vicem Dei teneat in directione. Ibi perfecta fiat oblatio totius vitæ, totius temporis & æternitatis nostræ, totos nos Domino Iesu exhibendo, omnibus eius placitis, votis, intentis, consilijs, per singula uitæ currentis momenta, fidelissimè cupientes respondere.* Sic ille, qui demum vnumquenque Sacerdotem monet, vt cùm se recolligit, in hæc præsertim incumbat. I. Inquirat, quale sit cor suum, contra Peccatum Mortale; an valida resolutione firmatum, vt nullam ob causam vellet in illud incidere. II. Quale sit cor suum erga Peccata Venialia, à quibus licèt penitùs non possit eximi, videndum tamen an inclinetur specialiter ad aliqua, aut illis inhæreat cum affectu. III. Quale cor, erga Exercitia Spiritualia, an ea diligat, an ea æstimet, an sapore & gustu illis afficiatur; an verò molesta sint, & illi tædium ingenerent. IV. An libenter Lectioni piorum librorum se impendat; verboque Dei, lecto, vel audito, delectetur: num frequenter cogitet de Deo, lubensque loquatur de illo, & desiderijs sæpe renouatis adspiret in illum. V. Qua deuotione, erga Christum Deum hominem, quo amore feratur erga Redemptionis Mysteria, & eius Passionem; quomodò imitetur eius virtutes, an syncerè quærat eius gloriam, ita vt se totum impendat ad eam promouendam: quid pro illius amore faciat, aut relinquat: quo item affectu erga Deiparam, erga Sanctos Tutelares, erga

Marc. tr. 3. lect. 13. fol. 812.

Lib. 2. Disq. 10.

Angelum Cuſtodem; quamque fiduciam in illorum patrocinio concipiat. VI. Quo affectu, & ſpiritu feratur, erga officia vocationi ſuę annexa; circa Celebrationem Sacrificij, Horarum lectionem, Sacramentorum tractationem: an pura intentione, an torpidè, an perfunctoriè hæc obeat: quo zelo, erga animas feratur, ad eas adiuuandas, ſanctificandas, lucrandas: quo deſiderio inardeſcat, vt in illis honorificetur Deus, per Ieſum Chriſtum. VIII. Quàm inordinato amore erga ſe ipſum feratur: an non plus curæ, & diligentiæ corpori curando impendat, quàm animo: an non plus ſolicitudinis, vt honorem terreſtrem aſſequatur, quàm cæleſtem: an non plura ob reſpectus humanos peragat, quàm propter Deum. Item, quam exiſtimationem ſui habeat, an non facilè præſumat, an non liberè ſe iactet. Et demum quomodò ſe gerat erga proximum. Sed & Marchantius ſuam inſtitutionem concludit, ſic Deum orans: *O Ieſu, Dux Sacerdotum, & Paſtorum, inſpira illis deſiderium, & amorem huius ſacræ Solitudinis, & Recollectionis; in qua, de anno in annum, ſe valeant agnoſcere, & Te: ſe humiliare, & contemnere: Te exaltare, & glorificare. Ibi agnoſcant, quomodò ex ſe ſemper deficiant, & ad nihilum tendant: quòdque ſeptem tempora mutentur ſuper ſe, niſi Tu, qui idem ſemper ipſe es, ſemper bonus, iuſtus, & ſanctus, eos in Te ſtabilias. Da igitur illis in ſolitudine, vt claudentes aurem ad vocem foris ſonantem, audiant Te veritatem intùs docentem: & clauſis oculis ad exteriora, cæleſtia penetrent, & interiora. Ibi renouent animum, & magis ac magis accendantur ad tuum obſequium. Ita, ò Ieſu, innocentiæ reſtitutor, & amator, dirige ad Te tuorum corda ſeruorum, vt nouo ſemper feruore concepto, & in fide inueniantur ſtabiles, & in opere efficaces.* *Iacob. Marc. lo. cit.*

DISQVISITIO QVARTA.

De eorum ſolitudine & Exercitijs, qui Hebdomadarij munere in Choro religiosè funguntur.

34 HAnc diſquiſitionem inſtitui *to. 2. de Diuino Officio & Choro*; & repetere hìc iterum non grauabor. Planè olim maiores noſtri, cùm Hebdomadarij in Odéo munere fungerentur, id obſeruabant, vt ab egreſſu è domo, & congreſſu cum ſecularibus hominibus abſtinerent: Templum verò feruentiùs ac Cellam incolerent, ſpiritualibus dumtaxat per eam hebdomadam Exercitijs occupati. Quem ritum à Monachis vſurpatum fuiſſe, & à lege ve- *Autor opuſ. 1. diſq. 29. n. 159. fol. 93.*

teri acceptum, tradit Ludolphus Cartusianus in Vita Christi, hunc in modum: *Quia totâ Hebdomadâ, qua in Templo ministrabat Sacerdos* (veteris legis) *ad hoc deputatus, in templo manebat, & non exibat ad propria negotia, intentus ad diuina; ex hoc inoleuit consuetudo, apud Religiosos, sancta & honesta: quòd ille, qui est Hebdomadarius, per totam Hebdomadam, manet intra Claustra, non exiens ad exteriora, intentus ad diuina: quia scilicet, illo tempore, medius est sequester, inter Conuentum & Deum.* Et subiungit: *Apud quosdam etiam Religiosos, abstinet illâ Hebdomadâ à communi colloquio.* Quod & refert & suadet Benedictus Haeftenus, Monachus Casinensis; & feruentissimè hodiè nostræ Sanctimoniales Eremicolæ obseruant.

Ludolph. par. 4. cap. 4.

Haef. disqu. Monast. lib. 3. disq. 2.

35 Hebdomadarius ergo, sabbato die, abs se omnem secularium ac mundanarum rerum curas, cogitationesque abijcere studet: & conscientia, quantùm par erit, excussa, animi labes sacramentali Confessione detergere ac perpurgare: tùm vt digniùs Dei laudes exoluat, cordis ab eo puritatem ac Diuini cultus zelum flagrantissimè exorat. Mox, ante vesperas, Benedictionem in Choro, flexo humi genu, vti est nostri moris, à Præposito deposcere solet: quam iterum, ante Cœnæ Benedictionem, in triclinio postulat. Tum ita munus suum per Hebdomadam obit, vt quotidie lecto primùm Ordinario, Rubricisque libri Missalis ac Breuiarij diligenter inspectis; & Antiphonis, Capitulis, Hymnis, Benedictionibus, Lectionibus, quæ à se recitanda erunt, attentè consideratis; hoc curat, vt caueat, ne error aliquis in Odeo, vel in Altari, eius negligentia, committatur. Nec modestia solùm, solicitudineque diuinæ laudis studet inter alios eminere; sed primus ad Chorum venit, & postremus abscedit: præparat se primùm oratione; seque sedulò, officio absoluto, discutere satagit: & quod cùm alijs loquendi ac confabulandi, sibi subtraxit, interiori homini reformando, agendoque cum Deo, ac diuinis commentationibus, tempus diligenter impendit. Nostræque hodiè Sanctimoniales, vt dixi, quæ nullam cum secularibus hominibus consuetudinẽ habent, in Choro Hebdomadã obeũtes, arctioris secessus, silentij, agendique cum Deo & Cęlitibus studium ac feruorem obseruant. Sed age, noui præsertim Sacerdotis vitam & mores, quos in secessu statuere, & perpetuò retinere, ac viuere debeat, præscriptis, ex P. Lancicio, alijsque, monitis, ordinemus.

Nic. Lanc. to. 1. opusc. 13. cap. 2.



DISQVISITIO QVINTA.

Quomodò ab ipſa Venerabili Euchariſtia modum ſumere ſibi debeant Sacerdotes Religioſam Vitam inſtituendi.

36 SAcerdotio initiatus det operam, vt ea præparatione, diligentia, ac feruore, per ſemihoram, Deo quotidie Miſſæ ſacrificium offerat, quo, primis illud Sacerdotij diebus, communiter omnes offerre ſolent. Et poſt ſacrum, quartam horæ partem gratiarum actioni ſaltem impendat. Cùm autem tria potiſſimùm membra, in Miſſæ ſacrificio, circa ſacratiſſimam Euchariſtiam occupentur, oculi, manus, & lingua; conetur Sacerdos membra hæc incontaminata peculiari ſtudio ab omni etiam mali ſpecie cuſtodire: præſertim ab impura curioſitate oculos, manus à parùm modeſtis actibus, à ſcriptione mordaci, & omni alia fœditate; & à vitijs caritati contrarijs os & linguam. Quippè vt bene S. Chryſoſtomus ait: *Quo non oportet eſſe puriorem tali fruentem ſacrificio? Quo ſolari radio non ſplendidiorem manum, carnem hanc diuidentem? Os quod ſpirituali igne repletur? linguam, quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit?* Sed cùm corpora ciborum ſoleant quibus veſcuntur qualitates participare; æquum planè eſt, vt Sacerdos, Chriſti in Euchariſtia exiſtentis conditiones imitetur, ac perfectè moribus exprimat. I. Promptam, exactam, & conſtantem cum omnimoda tractabilitate ac facilitate iudicij, & voluntatis, Obedientiam, cum exactiſſima executione coniunctam. Si quidem Chriſtus, ad verba ipſa conſecrationis, etiam ab iniquiſſimo Sacerdote prolata, ſtatim ſe ſiſtit ſub ſpeciebus panis & vini. II. Humilitatem profundiſſimam, & talem occultationem donorum Dei, vt amemus neſciri, & pro malis, vilibus, ac ineptis ad omnia reputari, nec vnquam apparere velimus. Quandoquidem Chriſtus, verus Deus & homo, ita latet ſub ſpeciebus Euchariſtiæ, ac ſi ibi planè non eſſet; nullo indicio ſpecioſo ſe ac ſuam præſentiam prodens. III. Patientiam totalem, in cunctis iniurijs: quam Chriſtus Dominus exhibet, ſe malè tractari ſinens, ac ſumi ab inimicis, in peccato mortali communicantibus: & à vermibus beſtijſque ſe quandoque deuorari permittens, & ignominioſè haberi à Iudæis, Magis, Hæreticis, ſine vlla etiam ſpecie iuſtæ vindictæ. IV. Liberalitatem cum Deo, in communicandis ei ſupernaturalibus, naturalibuſque rebus omnibus, quas ei donare renuntiareque poſſumus: præſertim omnes actiones noſtras, ob eius amorem faciendas, iudicium pro-

S. Chryſ. ho. 83. in Matth.

Lib. 1. Diſq. 12.

prium ac voluntatem, bonam opinionem apud alios, & bonam famam, commoditates non necessarias, honorem, & omnes temporis partes, in actionibus meritorijs transigendas: quemadmodùm ille in Euchàristia se totum nobis communicat, adeò intimè nobis suam Diuinitatem & Humanitatem impertiens. V. Puritatē eximiam, nulli impuritati ex rebus creatis contrahendæ obnoxiam: sicut in Eucharistia Christus latens, etsi rebus fœdissimis per iniuriam admisceretur, nullas in suo corpore & anima maculas contrahit. VI. Syncerum zelum animarum, sine vllo respectu personarum, functiones sacerdotales obeuntem: sicut Christus in Eucharistia æquè ignobiles ac pauperes pascit, ac nobiles & diuites; non magis fœminas & pueros elegantulos, quàm mares, & decrepitos ac horridos senes. VII. Paupertatem, imò, vt Sancti eam appellarunt, *nuditatem rerum omnium*, vt rebus quàm paucissimis & vilissimis, & facilè parabilibus ac obuijs vtamur, & in cubiculo, & in corpore, & in supellectili, & in victu ac potu: sicut Christus in Eucharistia, præter suam diuinitatem, corpus & animam, nullam habet adiunctam sibique inhærentem substantiam, sed sola accidentia in genere entis minimæ entitatis, sine subiecto existentia, sibi non physicè, sed tantùm sacramentaliter vnita, sine vera inhæsione subiectiua respectu corporis sui, tali, qualis est in alijs substantijs materialibus, naturalibus & quantis, in eis existentibus, cum circumscriptione locali. VIII. Purissimam intentionem diuinæ gloriæ in omnibus & singulis actionibus: sicut Christus in Eucharistia latet, ob nullum alium finem, quàm vt nos cibando, quàm sæpissimè, in nobis & per nos, gloriam Deo quàm maximam pariat. IX. Propagationem efficacem diuinæ gloriæ & salutis animarum, in quauis locorum parte temporis, & occupationis, in quauis persona cum qua agimus, in quauis actione & verbo: sicut Christus est totus in tota Eucharistia, & qualibet eius minima parte reali, aptus causare omnes illos effectus, quos causare solet in rectè dispositis. X. Animum pacatum & planè imperturbabilem in occasionibus aduersitatum & iniuriarum quarumuis ac difficultatum: sicut Christus diuisis speciebus Eucharistiæ, non diuiditur, nec læditur, nec esse desinit, quamdiu species durant, & si in minimas particulas comminueretur, casu aliquo, & aduersitate, & iniuria elementorum vel animantium. XI. Plenam indifferentiam ad occupationes, ad loca, ad cubicula, ad personas, ad officia, ad omnia. Quia Christus in Eucharistia non detrectat locum vllum: sinit se poni vbi volunt Sacerdotes etiā scelerati: & siue ponatur in pyxide aurea, siue argentea, siue plumbea, tacet. Et quamuis ex se ma-

Cl. gr. 16. Cass. l. 7. Inst. c. 24. 25. 28. 29. Et l. 12. c. 31. Coll. 1. c. 2. Coll. 2. cap. 2. Coll. 24. c. 2.

gis propendeat ad personas meliores, & loca magis sacra, & functiones maiorem Dei Gloriam continentes; tamen ad contraria applicatus, non renuit, & æquè facilem se præbet, ad deteriora, ac ad meliora; ita vt in eo non possit vllo indicio cognosci propensio ad meliora maior, quàm ad deteriora. XII. Totam animi applicationem, ad res minimas diuini obsequij, atque ad res magni momenti. Sicut Christus est totus in hostia grandi, & totus in qualibet minima particula hostiæ, etiam ea, quæ correspondet puncto Physico, & habet quantitatem imperceptibilem visu. XIII. Plenam annihilationem omnium rerum, quæ in nobis Deo displicent: & prætereà earum rerum, quæ nostro amori proprio placent, sed perfectioni nostri status & conditionis non sunt conformes, vti sunt peccata omnia deliberata, etiam minima: motus inordinati passionum vehementes, nos aliosque perturbantes: actiones etiam materialiter malæ: iudicij proprij tenacitas: voluntatis propriæ, discrepantis à rationabili voluntate Superiorum, æqualiumue, obstinatio: cura & desiderium commoditatum non necessariarum: amor bonæ opinionis apud alios, & laudum ac famæ bonæ, & honoris ac fauorum, & patrociniorum inordinatus appetitus: dictamina seculari statui magis conformia, quàm religioso: spiritus & modus procedendi, etsi in se non malus, proprio tamen statui, seu ordini & gradui, in eo statu nostro, non conformis, sed, vt vocant, peregrinus: obligatio pœnæ temporalis, peccatis quoad culpam dimissis debita: periculosæ conuersationes, vel tales, quæ alijs in nobis rationabiliter displicent: censuræ alienorum dictorum & factorum, ad nos ratione officij & superioratûs minimè spectantes: asper & difficilis modus agendi, & conuersandi cum hominibus, præsertim alios inquietans, & perturbans: conuersatio & locutio, fastum ferens, nimiæ prudentiæ mundanæ magis similem, quàm religiosæ: insyncerus procedendi modus, duplicitatem redolens: duritia capitis (vti communiter appellant) dum quis se non sinit à Superioribus facilè dirigi, & applicari, ad ea, quæ volunt. Quæ omnia, & his similia, annihilanda in nobis sunt, ex purissimo amore Dei, quandoquidem in Eucharistia, tota substantia panis & vini annihilatur, seu desinit esse, & conuertitur in corpus & sanguinem Christi, ex nostri amore. Hoc punctum est summi momenti: est enim radix innumerabilium bonorum, & eximiæ sanctitatis, si profundè nobis inhæreat. Vt autem altiùs stabiliatur, & valdè radicetur, expedit tempore Exercitiorum, dum Dominus inijcit nobis ardentia desideria aliquid pro ipso egregium faciendi, in compensationem eius beneficiorum, vel ob alia motiua, hanc an-

nihilationem nobis quodammodò obtrudere, vt eius acquirendæ insatiabile desiderium assequamur, & foueamus, & in oblatis occasionibus, vel vltro à nobis quæsitis, illud reapse exequamur, sine vlla tergiuersatione & exceptione. Et hoc est, inquit, P. Lancicius, *esse hostiam Deo*, quam à nobis exigit *ad Rom.* 12. qui nostri causa *exinaniuit semetipsum forma serui accipiens.* Vnde, præter alia bona, illud assequemur, quod omni conatu curandum est, & ab Diuo Gregorio promissum *lib. 4. dial.* vbi ait: *Audenter dico, quia salutari Hostia post mortem non indigebimus, si ante mortem, Deo, ipsi hostia fuerimus.* Idemque in suo Apologetico Gregorius Nazianzenus expendit. Sed *Væ væ væ, Domine Deus*, inquit D. Bonauentura, *quanti hodie infelices ad sacros Ordines accedunt, & Diuina mysteria accipiunt, non cælestem Panem, sed terrenum quærentes: non spiritum, sed lucrum: non Dei honorem, sed suam ambitionem: non salutem animarum, sed quæstum pecuniarum: non Christo seruire mundo corde, & corpore, in sacris mysterijs, sed deliciari, ditari, superbire, & luxuriari de patrimonio Christi.* Celebrandi ergo Diuina Mysteria ritè modos ac fines enumeremus.

Phil. 2. 7.

S. Greg. cap. vlt.

S. Bon. tr. de præp. ad Miss. cap. 3.

DISQVISITIO SEXTA.

Quos sibi Sacerdos in celebrando Missæ sacrificio fines sibi præfigere debeat.

37 PRæter summam animi puritatem, & alias, quas supra virtutes enumeraui, Sacerdos maximè omnium, in secessu, curare debet, vt Deo quotidie flagrantissimo animo Missæ sacrificium offerat. Quocircà, nonnemo septem sibi elicit fines ad celebrandum, ex septem petitionibus Dominicæ Orationis, quos per septem dies Hebdomadæ distinguere solet. I. Itaque die, accedens SERVI fidelis affectu, cupit vt *Nomen* Domini apud omnes *sanctificetur*, & à cunctis Nationibus honoretur. II. Die, FILII affectum induit, & desiderat, vt ad se *Dei Regnum adueniat*, & hereditas cælestis Patris obtingat. III. Assumit affectum SPONSAE, & accedit, vt sicut in cælestibus, ita & in se, atque in cunctis terrestribus, *Voluntas* Domini *fiat*. IV. Se indigentissimum cogitat: & affectu MENDICI, pergit ad offerendum, vt ipsum supersubstantialem *Panem* dignus edat: & vt panem Verbi Dei, nec non & panem cælestium auxiliorum percipiat, ad sanctè viuendum. V. Se circundat PECCATORIS affectu, seque aspicit criminibus irretitum, & festi-

Iac. Aluar. de vita rel. inst. l. 1. cap. 8. §. 2. Vide Ant. Molin. de instr. Sac. tr. 6. cap. 6. Maub. in Roseto in scala cōmun.

nat ad celebrandum, vt sibi omnia *dimittantur*. VI. Suam imbecillitatem perpendens, & affectu *HOMINIS* tactus, circundati validissimis aduersarijs, sacrificium offert, vt à suis & Dei hostibus *liberetur*. VII. Se *PRONVM AD MALVM*, & ad omne peccatorum genus procliuem sentiens, ita ad sacrum properat faciendum, vt à veris *malis*, nempè vitijs & peccatis, & ab huius vitæ miserijs, si ita expedierit, eruatur.

38 Alij ex consideratione septem Verborum Domini, quæ in Cruce protulit, fines distinguunt, & intentionem ordinant, hunc in modum. I. *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*, dixit Iesus. Illi verò imitatione primi & summi Sacerdotis accedunt, vt caritate se ornent, & tam pro amicis, quàm pro inimicis exorent. II. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso*, dixit Iesus Latroni. Et largitate tantæ promissionis illecti, pergunt ad celebrandum, vt spem eandem concipiant, & impetrare Gloriæ præmium mereantur. III. *Ecce filius tuus*, dixit suæ Matri Iesus; Discipulo vero, *Ecce mater tua*. Et propria illi mendicitate coacti ad offerendum Sacrificium vadunt, vt, Domini beneficio, Electorum Matrem sibi speciali prouidentia matrem habeant; & in omnibus indigentijs subleuentur. IV. *Sitio*, dixit Iesus. Et illi ex tam sancti Sacrificij oblatione, ardens perfectionis desiderium petunt, sitimque Iustitiæ. V. *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* clamauit Iesus. Et illi sacrificium offerunt, vt in tentationibus, angustijs, & pressuris, sibi Dei auxilium præsto esse cognoscant. VI. *Consummatum est*, dixit Iesus, testatus obedientiam suam. Et illi sacrum faciunt, vt perseuerantes in obedientia mandatorum, feliciter cursum peragant, & quieti consummentur. VII. *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, dixit Iesus. Et illi celebrant summoperè desiderantes vnionem animæ ad Deũ.

Luca 23.34. *Luca 23.43.* *Io. 19.27.* *Io. 19.29.* *Matth. 27.46.* *Io. 19.30.* *Luca 23.46.*

39 Alij I. Die Hebdomadæ celebrant deprecantes 1. vt Deus omnes infideles & Idolatras ad fidem trahat: 2. vt peccata sibi ipsis ignoscat. II. Die celebrant 1. deposcentes, vt Hæreticos & Schismaticos ad notitiam veritatis, & sanam mentem adducat: 2. vt eorum passiones, affectusque cohibeat. III. Incruentum sacrificium offerunt, petentes 1. vt Deus fideles peccato lethali sordidos ad se conuertat: 2. vt ipsos omnibus virtutibus imbuat. IV. Sacrificant, supplicantes, 1. vt omnes iustos in iustitia conseruet, & ad perfectionem promoueat: 2. vt ipsos virtutibus imbuat, & magis incendat. V. Sacrum faciunt, postulantes 1. vt Dominus parentibus, fratribus, cognatis, & amicis, atque inimicis omnibus benefaciat: 2. vt sibi ipsis septem Spiritus sui dona concedat. VI. Die sacris operantur, 1.

Dominum exorantes, vt animabus in purgatorio detentis misereatur: 2. vt sibi donum orationis, & gratiam efficacem ad consequendam perfectionem impertiat. VII. Demum die, Missam faciunt, exorantes 1. vt Dominus Ecclesiam suam protegat augeatque: 2. vt ipsos, postquàm studiosè vixerint, & hinc cum vera pœnitentia decesserint, in suum Regnum admittat.

40 Vel si libet D. Bonauenturæ monitum audies, qui varios Deo Missæ sacrificium offerendi fines ita proponit. Tu autem, ò homo Dei, inquit, dirige vota tua, & desideria ad Deum, & vide quibus affectionibus & desiderijs trahi debeas ad sacra Mysteria celebranda. I. Te trahet conscientia, & remorsus delictorum, sperans per eum, quasi per hostiam obligationis, ab omni peccato purgari. II. Tuæ infirmitatis intuitus, & consideratio, vt eum quasi medicinam ad te voces, per quam ab omni infirmitate tuearis. III. Pressura alicuius tribulationis: vt per eum qui omnia potest, ab omni aduersitate citiùs libereris, & protegaris. IV. Desiderium alicuius gratiæ, vel spiritualis beneficij impetrandi: vt per eum, cui Pater nihil negare potest, obtineas. V. Gratiarum actio, pro omnibus beneficijs temporalibus, & spiritualibus, tibi & alijs impensis: cùm nihil habeamus Deo tribuere, pro omnibus quæ tribuit nobis, aliud quàm calicem salutaris accipere, & sacrificare hostiam laudis, idest, Iesum Christum. VI. Caritas, & compassio proximorum, cùm pro salute viuorum, & requie defunctorum, nihil efficaciùs interpellet, quàm Christi sanguis effusus in remissionem peccatorum. VII. Laus Dei, & Sanctorum, cùm nihil habeamus, quo possimus Deum & Sanctos pro sua dignitate laudare, quàm Christum sacramentaliter Deo Patri offerre, & immolare. VIII. Dei amor & dilectio, vt eum inuites ad te, ac per inuisceratiorem spiritualis refectionis, in te ipso eum delectabiliter amplexeris. IX. Sitis & desiderium augendæ gratiæ, quia hoc Sacramentum fontem continet gratiarum, & sanctificationem, & authorem continet salutis D.N. Iesum C. Ideò dicitur Eucharistia, idest, bona gratia: cætera verò Sacramenta fluenta sunt, & riuuli gratiarum. X. Ardor & suspirium, quo totis visceribus, virtute huius excessiuæ caritatis, & dulcissimæ refectionis, cupias sanctificari ab omni inquinamento carnis & spiritus, & eripi ab omnibus periculis, ac tentationibus, ac inseparabiliter vniri Christo Saluatori, & conseruari in suo amore. Vnde inquit Christus: *Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi ego sum, illic sint mecum, vt sint vnum, sicut nos vnum sumus, ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum.* Hactenùs S. Bonauentura. Et si libet præparatione,

S. Bon. tr. de præpar. ad Miss. cap. 8.

Io. 17.

seu precatione ad Deum vti potes, à P. Iacobo Aluarez *lib.* 1. *cap.* 8. §. 4. proposita; quam non ore sed mente, non verbis sed affectibus promes, in conspectu Dei positus, hunc in modum.

Benignum Deũ suis petitionibus sacerdos precatur.

41 *O Trinitas beata: ò Domine Deus meus: ò Pater potentissime: ò Fili sapientissime: ò Spiritus sanctissime: ò Tres Personæ re vera distinctæ: ò vna purissima, ac simplicissima Deitas: ò author naturæ: ò dator gratiæ: ò prima, ac vniuersalis omnium rerum causa: ò vniuersorum bonorum indeficientissimus fons! Hic ades, Domine, non minùs præsens, quàm in cælesti domicilio inter Angelos commoraris. Adoro te, vt Deum meum ex toto corde meo, & ex omnibus viribus meis: atque oro te, vt cuncta cogitationes meæ, cuncta desideria, verba, & opera mea tibi sint grata, & accepta, vtque me sacerdotis officio fungentem, & pro omnibus deprecantem, coram te sustineas, meas orationes exaudias, & illas non sine fructu tuæ miserationis expedias. Gratias tibi ago, ò bonorum origo, pro innumeris, & maximis beneficijs, quæ ex momento conceptionis meæ vsque in hanc horam de tua benignitate suscepi: pro innumerabilibus, quæ nunc, & in hoc temporis momento à te suscipio: pro infinitis, quæ vsque ad finem vitæ meæ, & per totam æternitatem sum accepturus, ex thesauris immensæ bonitatis, & largitatis tuæ. Nam & ego Domine, sine vlla comparatione minor sum, non tantùm miserationibus tuis, sed & minimò beneficiorum tuorum: indignus planè, vt mei recordareris, & me sustineres, vt mihi minimum ex tuis donis tribueres. Specialiter autem gratias tibi ago, Deus, & Pater amantissime, ex totis præcordijs meis. I. Pro infinitis diuitijs, quas in sacra illa humanitate vnigeniti filij tui Domini nostri Iesu Christi collocasti: & quia eum mihi in patrem, in doctorem, in ducem, ac redemptorem dedisti. II. Pro singularibus, & innumeris donis, quæ in beatissima Virgine Maria, matre vnigeniti filij tui deposuisti: & quia eam mihi in matrem, in aduocatam, in protectricem donasti. III. Pro maximis beneficijs, quibus sanctos Angelos, omnesque spiritus cælestes cumulasti* (die Dominica nominabis *Angelos*: feria secunda *Apostolos*: feria tertia *Martyres*: feria quarta *Pontifices*: feria quinta *Doctores*: feria sexta *Confessores*: sabbato *Virgines, & Sanctas Dei*) *nec non & pro illis, quibus hunc sanctum N. vel sanctos NN. quos hodie solemni ritu celebramus, affecisti. IV. Pro singulari beneficiorum copia, qua iustos reples: eos præcipuè, quos efficaci gratia per totam Ecclesiam ad perfectionem effers, & ad tuam dulcissimam familiaritatem admittis. V. Gratias etiam ago tibi, ò Pater, & Deus dilectissime, ex toto conatu mentis meæ, pro hac eximia misericordia tua, qua me è miserijs seculi eripuisti, & ad hanc sanctam Religionem vocasti, & tot adiumenta ad tibi perfectè seruiendum concessisti. VI. Pro his tribus Votis professionis meæ, quibus me tibi alligasti, ac consecratum esse voluisti. Quæ*

Gratias agit pro sibi indultis beneficijs.

Pro humanitati Christi collatis.

Beatiss. Virgini.

Angelis, & Sanctis.

Iustis, & Dei familiaribus.

Pro vocatione ad religionem.

Pro tribus votis, quæ renouat.

tantum abest, vt me fecisse pœniteat, quòd potiùs ea libentissimè de nouo facio, ac tibi millies, & centum millies perpetuam Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam *promitto. VII. Pro talentis, & donis tum naturalibus, tum supernaturalibus mihi datis, vt eis tempus vtiliter, & meritoriè collocarem, & iuxta meam vocationem alijs prodeßem, & ad felicitatem ex tua miseratione consequendam me disponerem. VIII. Pro hac vicissitudine consolationum, & desolationum, prosperitatum & aduersitatum, qua vitam meam mirabiliter texis, vt neque assidua aduersitate decidam, neque assiduitate prosperitatis inebrier. IX. Pro hac sanctissima, & sublimissima sacerdotij dignitate, qua me de puluere terræ erexisti. X. Ac tandem pro hodierno, vel hesterno vsu eius, quo incruentum hoc sacrificium tibi Patri obtuli, & panem vitæ manducaui, & Christum mihi, medijs speciebus, in quibus verè latet, panis & vini, coniunxi. Et nunc, Domine, his, & alijs innumerabilibus beneficijs tuis, animatus, alia noua suppliciter postulo. Panem nostrum quotidianum, supersubstantialem da mihi hodie.* Non est bonum, ò *Deus meus,* sumere panem filiorum, & mittere canibus. *Sed licèt hoc ita sit, tamen* aliquando catelli comedunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. *Quare licèt ego in domo tua, quasi catellus sim despicabilis, comedam tamen hodie beneficio tuo ex hoc pane filiorum tuorum, & ad hoc sacramentum accipiendum, & sacrificium tibi offerendum, possibilitatem, & facultatem concede. Da abundantissimam gratiam, vt ad hunc filium tuum, ac dominum, & redemptorem meum, tam profundissima reuerentia, tam firma fide, tam humili timore, tam feruida caritate accedam, quòd ibi tibi gratus appaream, & omnes fructus huius eximij sacrificij, & venerabilis sacramenti suscipiam. Et quia tu, Domine, hoc sacrificio vis placari, & ex merito, & valore eius, omnibus bona largiri, nunc munus meum sacerdotis implens, volo in conspectu tuo cor meum effundere, & quia filius tuus vnigenitus ad omnia potens est, ob merita infinita eius, pro omnibus apud te deprecari constituo. Miserere igitur, ò benignissime miserationum Pater, toti mundo: & eum fide, ac scientia tua reple, & gentes à fide alienas ad veritatis notitiam conuerte: Turcas, Mauros, Hereticos, Schismaticos, idolorum cultores, ac perfidos Iudæos in domum Ecclesiæ tuæ iam tandem, obsecro, intrare compelle. Non pereant tot imagines tuæ: non sit in illis vacuus, & inanis sanguis pretiosissimus filij tui. Lugeo, Domine, coram te hos fratres meos alienos à te; &, si ego possem, omnium istorum intellectibus in te crederem, omnium voluntatibus te diligerem, omnium viribus tibi perpetuò seruirem. At nihil poßum, nisi desiderare, & flere, & desideria mea coram tanta maiestate profundere. Miserere, Domine, Ecclesiæ tuæ, auge in ea puritatem fidei, & munditiem sanctitatis, eamque labore virorum Apostolicorum per*

Pro naturalibus, & supra naturam talentis.

Pro mirabili in omnibus vicissitudine.

Pro sacerdotij dignitate.

Pro vsu proximo sacrificij.

Matth. 15. 27.

Digna sibi sacrificaturo postulat ornamenta.

Pro vniuerso precatur orbe.

Pro Ecclesia & fidelibus.

totum orbem terrarum extende. Reſpice benignis oculis iuſtos ipſius, illos præſertim, qui ad perfectionem properant, & in eis iuſtitiam ſerua, & augmenta: reſpice etiam peccatores crimine graui ſordentes, & eos ad te trahe, & à tam miſero ſtatu potenter eripe. Adiuua, Domine, ſummum Pontificem N. Vicarium tuum, caput Eccleſiæ tuæ, paſtorem gregis tui: da ei, vt verbo, & exemplo cunctis præluceat, & optimo regimine ad ſalutem dirigat. Intende oculos miſericordiæ tuæ in vniuerſos Cardinalatus dignitate fulgentes: item in cunctos Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Parochos, & in omnes, qui ad clericalem ſtatum pertinent, & ſalutem animarum curant: fac eos ſal terræ, lucem mundi, ciuitates ſupra montem poſitas: & vt eam vitæ puritatem arripiant, quam ſanctiſſima dignitas eorum requirit. Miſerere omnium ſanctarum Religionum, & præcipuè huius Noſtræ: tribue eis, vt ſecundùm ſuam cuiuſque vocationem viuant, & vt prælati exemplo, verbo, & ſolicita cura gubernent: & ſubditi, ſecularibus, & clero, ædificationem tribuant, & exactiſſimè paupertatem, caſtitatem, & obedientiam *cuſtodiant. Effunde, ò Domine Deus meus, miſerationes tuas in Regem noſtrum N. ac in omnes Catholicos Reges, nec non & in vniuerſos gubernatores, in nobiles, plebeios, & in omnes eos, qui ad ſtatum ſpectant ſecularem: libera eos ab aduerſarijs ſuis, iunge eos pace tua, dita obſeruantia mandatorum tuorum, vt ſecundùm quod Chriſtianos decet, viuant, & eam, ad quam creati ſunt, ſalutem æternam obtineant. Ne obliuiſcaris regnorum, & principatuum Eccleſiæ tuæ, ſed ea fac potentiora hoſtibus ſuis: exercitibus eorum contra fidei tuæ hoſtes victoriam tribue, & neceſſaria ad vitam iſtam quietè tranſigendam benignus imperti. Affero etiam coram te, ò Domine, parentes meos, fratres meos, cognatos meos, amicos meos, & omnes eos, qui ſe, aut ſua meis orationibus commendarunt, vt eis dones, quod voluntati tuæ placitum, & ſaluti eorum profuturum eſſe cognoueris. Offero quoque tibi omnes captiuos, vinctos, ægrotos, tentatos, tribulatos, agonizantes, & in aliqua neceſſitate, præſertim extrema, aut graui conſtitutos, vt ex tua largitate libertatem, ſalutem, victoriam, conſolationem, bonam mortem, & remedium ſuarum neceſſitatum accipiant. Et, vt imiter dilectum filium tuum in cruce pro inimicis orantem, ſupplex & acclinis oro, ò mitiſſime Pater, pro omnibus inimicis meis, quos intimè diligo, vt eis in omnibus benefacias: & pro infamia, qua me læſerunt, honorem eis: pro detractionibus, bonam famam: pro odio in me, ſanctiſſimum amorem tuum: & pro omnibus malis aduersùm me irrogatis, bona temporalia ſaluti eorum vtilia, & æternam vitam tribuas. Reſpice benignis oculis animas in purgatorio detentas, præſertim N. N. & aliorum, pro quibus orare teneor. Da eis Angelorum conſolationem, pœnarum refrigerium, & citò purgatas in cæleſtes ſedes admitte. Tandem oro, Domine, pro his Præ-*

Pro omnibus Eccleſiæ ordinibus.

Pro religioſis cœtibus.

Pro regibus, & alijs ſecularibus.

Pro conſanguineis, & in periculo conſtitutis.

Pro inimicis

Pro purgatorij animabus, prælatis & amicis.

latis meis N.N. & pro his dilectissimis meis N.N. vt eos perfectos facias, ab omnibus grauiter peccandi occasionibus liberes, & in omni eis necessitate subuenias. Iam, ò Deus meus, ò refugium meum, necessitates meas, ac miserias meas narrabo coram te: non vt tu eas scias, siquidem omnia aperta sunt, & manifesta oculis tuis: sed vt, dum ea apud te cum gemitu & afflictione pronuntio, desideria tuæ miserationis accendam in me, & remedia, ac dona ex tua benignitate promerear. Peccaui, Domine, super numerum arenæ maris, multiplicatæ sunt iniquitates meæ: & non sum dignus intueri, nec aspicere altitudinem cæli, præ multitudine iniquitatum mearum: verumtamen, propter filium dilectissimum in ara crucis immolatum, dimitte vniuersa peccata mea, & munda me omnino ab omnibus delictis meis. Concede mihi verissimam contritionem; qua peccata, propter te, & ex tuo amore, detester. Fac etiam, vt dignos fructus pœnitentiæ faciam, & assiduis corporis mei afflictionibus, nec non lacrymis, & gemitibus, pœnas pro peccatis debitas reddam. Da mihi, Domine, verissimam mortificationem mei iudicij, voluntatis, meorum affectuum, & sensuum: ne istis, qui ad malum proni sunt, aliquando deceptus, ab his, quæ tibi placent, abducar. Da mihi verissimum contemptum omnium terrenorum, & vt nec honores quæram, nec dignitates ambiam, nec diuitias, aut voluptates suspirem, sed omnem honorem meum, omnes thesauros meos, & delicias meas, in te omnium bonorum fonte respiciam. Libera me ab omnibus tentationibus, & dolis inuisibilium hostium meorum, ab his præcipuè, quæ veniunt sub specie boni, ne bonum inquirens, à vero bono diuellar. Concede, Domine Deus meus, vt fides, quam te donante suscepi, semper in me seruetur, semper augeatur. Illumina mentem meam supernaturali lumine, vt mysteria diuina cognoscat: & quæ de te, ac de filio tuo credimus, perfectiùs intelligat. Concede firmissimam spem, qua mei penitùs obliuiscar, & in sinu prouidentiæ tuæ omnes curas meas collocem: & vitam æternam, ac omnia ad eam consequendam necessaria, me consequuturum de tua bonitate confidam. Concede perfectissimam caritatem, qua te, & omnes proximos meos ardentissimè diligam. Da mihi resignationem veram, & plenissimam cum tua voluntate concordiam. Exhilara mentem meam præsentiâ bonitatis tuæ. Paca, & tranquilla intima mea pace tua. Accende me Zelo honoris tui, & salutis fratrum meorum: & infunde affectum misericordiæ, quo miserijs, & doloribus proximorum compatiar, & eis secundùm meam imbecillitatem succurram. Perfice, ò factor meus, intellectum meum prudentiâ & discretione, vt medium in omnibus teneam. Tribue mihi cor docile, ne proteruus in meo sensu persistam. Solicita me feruore tuo, vt tibi non oscitanter, non segniter, sed diligentissimè seruiam. Et virtute circumspectionis, & attentionis exorna, vt mala animæ meæ, quæ vbique mihi insidiantur, caueam:

Pro obtinenda peccatorum remissione.

Mortificationem petit affectuū, & honoris despectum.

Fidem, spē, & caritatē.

Prudētiam, docilitatem, feruorem & circūspectionem.

& nihil per incuriam tibi minùs gratum, minúſue acceptum efficiam. Perfice voluntatem meam virtute iuſtitiæ, qua libenter vnicuique, quod ſuum eſt, tribuam. Subijce me tibi religionis virtute, & donum orationis præbe, vt in omnibus tuam laudem quæram, & tibi puriſſimum cultum latriæ, & Angelis ac Sanctis tuis debitam duliæ venerationem exhibeam. Da mihi cor ob peccata mea pœnitentiâ compunctum, erga parentes pium, erga maiores deuotum, erga prælatos ſubiectum, erga benefactores gratum, erga amicos affabile, in factis ſimplex, & in dictis verum. Tale, inquam, vt cor dulciſſimi filij tui imitetur, & tibi ſemper ab eo amabile obſequium deferatur. Perfice iraſcibilem meam robore fortitudinis, quatenus in aduerſis, vt decet, ſe habeat, & aduerſitatis pondere preſſa, ab eo, quod rectum eſt, nunquam exorbitet. Da mihi animum magnanimitate conſpicuum, in rebus obſequij tui ſecuritate lætum, bona ſeculi pro te contemnentem, dolores, & acerbitates magnas, & multo tempore durantes ſuſtinentem, & in eo, quod bene cœpit, conſtanter perſeuerantem: quia vox eſt filij tui, quòd non qui cœperit, & turpiter à cœpto deſtiterit, ſed qui perſeuerauerit uſque in finem, hic ſaluus erit. Perfice concupiſcibilem meam pulchritudine temperantiæ, qua & omnia turpia fugiam, & honeſta conſecter, & in cura corporis ſolam neceſſitatem reſpiciam. Indue me, Domine, abſtinentiâ et ſobrietate, quibus in cibo, et potu, debitam menſuram teneam: caſtitate et pudicitiâ, quibus corpus meum templum tuum mundum et immaculatum in officio contineam: manſuetudine et clementiâ, quarum miniſterio iram, ac omnem indignationem cohibeam. Ne confundas me, ò Deus meus, in hac petitione mea, ſed tribue mihi præſtantiſſimam humilitatis uirtutem, qua Chriſti filij tui, et Domini mei verus diſcipulus fiam, et meipſum (ſicut re uera ſum) omnium uiliſſimum reputem, et omnem huius ſeculi ſplendorem contemnam. Da in actionibus modeſtiam, in ore ſilentium, in uſu rerum paupertatis amorem, et omnis curioſitatis uictoriam, ut nihil in me ſit, quod tuæ maieſtati diſpliceat. Requieſcant ſuper me, Domine, dona Spiritus ſancti tui, ſpiritus ſapientiæ et intellectus, ſpiritus conſilij et fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ et pietatis, et repleat me ſpiritus timoris tui, ut his donis mobilis à te fiam, et in omni uirtute perficiar. Ex alijs verò donis et gratijs, quæ ad ſanctitatem non pertinent, ea mihi ſolùm tribue, quæ ad ſalutem animæ meæ, et uoluntatem tuam explendam conducant. Fac etiam, Domine, ut in his miniſterijs occuper, quibus tu glorificeris; et cum æquali gloria tua, rogo, ut in humilioribus, et quæ minùs apud homines ſplendeant, me occupatum eſſe uelis. Da, ut in donis, et talentis de tua manu ſuſceptis, meipſum non quæram, ſed tuam laudem et gloriam, ac Ieſu Chriſti filij tui exaltationem exquiram. Da mihi per infinitam bonitatem tuam perſeuerantiæ donum, et ut nunquam per crimen aliquod à te ſeparer, ſed uſque ad mortem,

Iuſtitiam, religionem, & cor erga alios piè affectum.

Iraſcibilis perfectionē.

Concupiſcibilis temperantiam.

Septem Spiritus ſancti dona, & alia.

Vitæ puritatem, quam felix exitus subsequatur.

Ad Philip. 1. 23.

& in æternum in tua gratia perseuerem. Da mihi per immortalitatem tuã, & per sanctissimam mortem redemptoris mei, bonam mortem, & vt post bonam vitam in te moriar morte iustorum. Tolle à me nimium amorem huius vitæ, & nimium ac immoderatum timorem mortis. Da, vt ita viuam, quòd possim dicere cum Apostolo tuo: Cupio dissolui, & esse cum Christo. *Da intimam lucem hora mortis, vt mundi blandientis illecebras fugiam. Da intimum saporem æternitatis, vt lætus transitoria deseram. Da veram resignationem in tua rectissima voluntate, vt quando, & quomodò disposueris, hinc abscedam. Suscipe spiritum meum gratia tua & caritate vestitum, vt tibi in æternum adhæreat. Aufer denique à me quicquid me in assequutione perfectionis detinet, & potentissima adiumenta ad sanctè viuendum, & feliciter moriendum attribue. Hæ sunt, Deus meus, petitiones meæ, hæc sunt desideria mea, quæ impleri cupio, & peto per miserationes tuas non solùm in me, sed & in omnibus proximis meis, vt semper tibi placeamus in hac vita; & in futura, tuo aspectu lætemur. Amen.*

DISQVISITIO SEPTIMA.

Quomodò Missæ sacrificium celebrandum, & gratiarum actio à nobis sit obeunda.

42 NOn exiguum fructum feret ab sua recollectione Sacerdos, si tremendum Deo Missæ sacrificium offerre didicerit, ac ei, peracta Missæ celebratione, debitam gratiarum actionem ritè persoluere. Quo circà, cùm ab Æditui ad sacrarium euocaris: & constitutas preces ab Ecclesia recitaueris; iterum ibi genuflexus, sanctam Trinitatem, & singulas eius Personas sic inuocabis: *O beata Trinitas, Deus meus, & Dominus meus, hoc sacrificium corporis, & sanguinis filij tui celebraturus venio. I. In confessionem supremi dominij, quod habes in omnes creaturas, & subiectionis omnimodæ, quam habemus ad te. II. In commemorationem acerbissimæ passionis, & mortis Iesu Christi filij tui, & Domini mei, iuxta illud quod ipse præcepit nobis, dicens:* Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. *III. In gratiarum actionem infinitarum diuitiarum sanctissimæ humanitatis eiusdem filij tui, & redemptoris mei; ac singularium donorum, quibus affecisti B. Virginem Mariam, omnes Angelos, & Sanctos, præcipuè autem N. cuius hodie solennem memoriam facimus. IV. Item in actionem gratiarum omnium beneficiorum, quibus in hoc seculo magnificas omnes prædestinatos, & me indignum seruum tuum afficis. V. Hoc sacrificium tibi specialiter offero*

Alu. lib. 1. cap. 9.

Proxima oratio ante Missam.

pro hac perſona viuente, vel defuncta, aut pro hac, aut illa neceſſitate, aut negotio, pro quo celebrare teneor. VI. Itémque ſecundariò offero, pro remiſſione omnium meorum peccatorum: vel pro mortificatione mearum paſſionum: vel pro elongatione, intellectu, & affectu, ab omnibus creaturis: vel pro adeptione virtutum, vel pro obtentione ſeptem donorum ſpiritus tui, vel pro dono orationis, & theſauro perfectæ caritatis, vel pro conſequenda gloria tua. Amen. Hę ſeptē petitiones variādæ ſunt per dies hebdomadæ, incipiendo à feria ſecunda. *O Pater potentiſſime, ecce accedo ad celebrandum laudem & gloriam tuam, ad gaudium omnium Angelorum, & Sanctorum, ad remiſſionem noſtrorum peccatorum, ad refrigerium animarum purgatorij, & ad bonum ſpirituale, ac temporale totius Eccleſiæ: ſupplex oro per omnipotentiam tuam, ad bene celebrandum confirma me. O Fili Dei ſapientiſſime, ecce venio ad celebrandum, vt tu, qui vera vita es, per gratiam viuifices me: tu, qui lux es, illumines me: tu, qui ignis es, accendas me: tu, qui quies es, tranquilles me: tu, qui puritas es, purifices me: tu, qui lætitia es, lætifices me: ſupplex oro per ſapientiam tuam, ad dignè celebrandum illumina me. O Spiritus Patris, & Filij ſanctiſſime, ecce venio ad celebrandum, vt eximia gratia induas me, & ſeptem donis tuis ornes animam meam, & igne caritatis perficias: ſupplex oro per immenſam caritatem tuam, ad dignè celebrandum inflamma me.*

43 Poteris, ex P. Nicolao Lancicio, petere *à Deo Patre*, vt det tibi Filium ſuum in ſanctiſſima Euchariſtia cum affectu, & copia donorum cæleſtium, ſimiliter ac eum dedit B. Virgini Mariæ, in Chriſti Incarnatione. *A Deo Filio*, vt ſe tibi cum affectu, & plenitudine cæleſtium gratiarum, communicet, in ſanctiſſima Euchariſtia, ſimiliter ac ſe ſuæ Matri, in ſua Incarnatione, communicauit. *A Spiritu ſancto*, vt ita te præparet ac diſponat, ad recipiendum ſacroſanctam Euchariſtiam: & vt per eā ſua tibi Chariſmata largiatur: quemadmodùm præparauit, atque diſpoſuit Corpus & Animam Beatiſſimæ Virginis, ad D. N. Ieſu Chriſti Conceptionem. *Ab ipſa Deipara Maria V.* petes, vt tibi tantum amorem impetret erga Deum, in recipienda ſanctiſſima Euchariſtia, quanto eum proſecuta eſt, dum ſuis in vlnis ipſa geſtaret. *A ſanctis Angelis*, tantam reuerentiam petes, cum quanta Deo in hac vita ſeruierunt, & nunc in Cælo deſeruiunt. *A Sanctis omnibus* petes, vt tantam tibi deuotionem, & virtutum abundantiam impetrent, cum quanta illi in carne mortali viuentes ſanctiſſimam Euchariſtiam ſuſceperunt. *A ſanctiſſima Ieſu Chriſti Humanitate* petes, vt ſe tibi cum eo affectu communicet, cum quo carnem noſtram ſuſcipere; eandemque, pro nobis, exponere morti dignatus eſt.

Lanc. in opuſc. 13. l. 1. cap. 4. nu. 17.

44 In acceptione sacrarum vestium, cuiusque significationem aduertes. Et *Amictus* quidem, ex S. Bonauentura, significat Christi Domini Humanitatem, qua caput (nam caput Christi Deus) idest suam Diuinitatem abscondit. Imponesque illum capiti tuo, ac si purissima illa natura tuum caput operires. *Alba* significat vitam Christi mundissimam: nam peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: eámque indues, ac si vita Domini, per desiderium imitationis eius, te ipsum circundares. *Cingulus* designat plusquam Angelicam Christi Virginitatem: & eo te tanquam firmissimo proposito mundissimæ castitatis præcinges. *Manipulus* designat, & Christi humilitatem in hac vita, & felicissimam eius victoriam pro iustitia; eumque assumens, pugnare pro iustitia constitues. *Stola* est Christi Obedientia perseuerans: ideò nanque vsque ad pedes protenditur, cui dum collum subijcis, te etiam corde ad obediendum præparabis: *Casula* est Caritas Christi, amicos & inimicos diligens: quam suscipiens, omnes proximos tibi amoris vinculo copulabis. Sic ergo decenter ornatus, mente deuota, & omnino ab huius mundi rebus auulsa, vt vicem Christi summi & primi Sacerdotis gerens, ad altare reuerenter accedes.

S. Bonau. in exposit. Miss. princip.

45 In ipso verò Missæ decursu, inquit Aluarez, ita sacra mysteria paragas, vt magnam exteriùs & interiùs reuerentiam obserues. Æquum enim est, vt animæ corporisque creator ab vtroque honorem & reuerentiam accipiat. Æquum etiam, vt si anima Dei visione satianda est, & corpus dotibus gloriosis ornandum; istud & illa Deo glorificatori eorum, per reuerentiam, se subdant. Quin & Christus, qui primus hoc sacrificium sui corporis & sanguinis obtulit, carne simul & mente passus est, & vtraque portione sui nostram salutem curauit, vt discas tu, vtraque parte tui, corpore, & animo, illi reuerentiam exhibere. Hæc duo sunt duo æra minuta, quæ oblationibus rerum externarum è superbis cordibus profectis præferuntur: & duo talenta, quibus præmia gloriæ corporis, & animæ, comparantur. Reuerentiam exteriorem custodies, si sacras cæremonias ab Ecclesia institutas, pulchrè, attentè, grauiter, & cum quadam dignitate perficias. Si, cùm caput inclinas, ita inclines, vt qui Dei beneuolentiam tibi concilias: si, cùm genuflectis, ita genua flectas, vt qui Deo te submittis: si, cùm hostiam, & calicem benedicis, ita signa illa sacra facias, vt qui sacrificium Deo acceptissimum benedicis: si, cùm verba Missæ profers, ita distinctè & clarè proferas, vt qui Deum ipsum alloqueris: si denique ita omnia ibi dicas, & facias, vt dignum est voce promi, & actione perfici, quæ Dei spiritu

Iac. Alu. de vita relig. inst. lib. 1. cap. 9. §. 2.

sanctam Ecclesiam regente approbata sunt & instituta.

46 Peracto verò Missæ sacrificio, depositisque vestibus sacris, & hymno triũ puerorũ, psalmoq; centesimo quinquagesimo recitatis, in quietum locum secedes: & per semihorã, aut saltẽ per horæ quadrantem, in gratiarum actionem incumbes. Et nisi aliquid melius habeas, his septem Meditationibus vti poteris, hebdomadæ diebus singulis assignatis. *Prima est*, vt I. Christum Saluatorem tuum respicias, in medio cordis tui, *tanquam potentissimum Regem: teque veluti reum, & multorum criminum conscium*, apud illum astantem, & veniam ac misericordiam cupientem. II. Tunc gratias illi ages immensas: 1. Quia, ad vocem tuam, panem & vinum in corpus & sanguinem suum conuertit, & in Sacramento præsens affuit, non vt tua peccata puniret; sed vt quasi Rex benignissimus tibi propitius esset. 2. Quia in manu vilissimi peccatoris se ipsum posuit. 3. Quia, tanta benignitate, orationes iniquitatibus sordentis audiuit. 4. Quia os tuum intrauit, & in lingua resedit. 5. Quia in domuncula imparatissima cordis tui habitare constituit. III. Detestare coram illo vniuersa peccata tua: magnum eorum causa dolorem concipe, & humiliter indulgentiam pete. IV. Dilige eum ex toto corde tuo, ita videlicet, vt desiderio ac firmo proposito tuo, nihil illi contrarium velis: nihil quod ad illum actu vel virtute non tendat, diligas: & illum tibi ac omnibus rebus proponas. V. Tandem pete septem dona similia illis, quæ B. Virgo, authore Bonauentura, quotidie à Domino postulabat. I. Auxilium efficax, vt præceptum amoris Dei compleas. II. Vt proximos tuos, & quicquid ipse diligit, constanter diligas. III. Vt quicquid ipse odio habet, verissimè & tu odio habeas. IV. Vt humilitate, castitate, obedientia, contemptu seculi, & vniuersis virtutibus, exorneris. V. Vt corpus tuum, ac mentem tuam, dignum sui habitaculum faciat. VI. Vt aliquando tandem, post hanc mortalitatem, B. Virginem Matrem eius, ipsiusque Humanitatem sanctissimam, oculis carnis clarè videas, & oculis mentis ipsius Diuinitatem aspicias. VII. Vt in hoc templo, & in omnibus, quæ sunt in toto terrarum Orbe, ab vniuersis Sacerdotibus, & fidelibus, dignam venerationem accipiat. *Secunda est*, vt respicias Christum Saluatorem tuum, in medio cordis tui, *tanquam Dominum tuum, qui pretio sanguinis sui te redemit, teque ipsum velut seruum eius*, qui per nouum feruorem ad ipsum vis redire, atque illi in omnibus placere concupiscis &c. *Tertia est*, vt respicias Christum Saluatorem tuum in medio cordis tui, *tanquam Magistrum tuum*, qui te viam salutis docet, & gratiam ad faciendum id quod docet impertit: *teque quasi discipulum*

S. Bonau. lib. Medit. cap. 3.

eius, qui ob magnam negligentiam tuam nihil aut parum ab eo didicisti &c. *Quarta est*, vt respicias Christum Saluatorem tuum in medio cordis tui, *tanquam amicum fidelissimum*, qui te facturam suam, & mancipium suum, ad suam amicitiam & familiaritatem extulit: *teque tanquam amicum mensæ aut potiùs mercenarium*; qui cùm consolationes recipis, illum diligis: cùm ad emendationem flagellaris, in dilectione torpescis &c. *Quinta est*, vt respicias Christum Saluatorem in medio cordis tui, *vt fratrem tuum natu maiorem, ac primogenitum in multis fratribus*, qui hostes Patris æterni illi reconciliauit, & suos fratres effecit: *teque vt fraterculum eius meritò minimum, aut potiùs tali nomine prorsus indignum*, quia illi es vita & moribus valde dissimilis &c. *Sexta est*, vt respicias Christum Saluatorem in medio cordis tui, *vt Patrem pijssimum*, qui te in cruce, non delicijs, sed doloribus, genuit: *teque ut filium prodigum* ex longinqua peregrinatione reuertentem, postquàm bona de manu Domini accepta, in vitijs, dilapidasti: & beneficio eius, te bonis, & misericordia ipsius, indigere cognouisti &c. *Septima est*, vt respicias Christum Saluatorem tuum, in medio cordis tui, *ut sponsum dulcissimum*, qui animam tuam non quia dignam adamauit, sed quia voluit, ac sic suæ benignitati cõplacuit: *animamque* tuam, *uelut sponsam eius*, ipsi vinculo statùs religiosi copulatam; & infinitis beneficijs & donis ad amandum illectam. Et in his omnibus facilè poteris ex te ipso gratiarum actionem formare, diuino intùs igne succensus. Nam *post communionem* (vt S. Bonauentura inquit) *si non sentis aliquam spiritualem refectionem, signum est spiritualis infirmitatis, vel mortis. Ignem posuisti in sinu, & non sentis calorem? Mel in ore, & non sentis dulcedinem?* Sed & demum cauendum, vt aduertit S. Bernardus, ne in petitionibus magis, quàm in gratiarum actione, tempus insumas. *Nam multos quoque uidemus*, inquit, *usque hodie satis importunè petentes, quod sibi deesse cognouerint: sed paucos admodùm nouimus, qui dignas super acceptis beneficijs gratias agere uideantur.*

S. Bonau. tr. de præpar. ad Miss. cap. 14.

S. Bern. ser. contra vit. ingratit.

DISQVISITIO OCTAVA.

De Spiritualibus Exercitijs, ante, & post Prædicationem, aut Missionem Apostolicam, obeundis.

Const. Cleric. Reg. p. 1. c. 7.

47. CVM Constitutiones nostræ iubeant, *in concionando*, *ei rei potissimùm operam* dari, *vt Auditorum mores probè*

informentur, & ad Dei amorem excitentur animi, atque inflammentur. VV. Nostri PP. Ioãnes Marinonius, & Iacobus de Stephano, dictus à Scriptoribus, Iberiæ Apostolus, admonebãt, vt sese quisq; ad excelsum hoc munus, prolixa orationum, ac meditationum serie, cõpararet. Idque ipsi spirituali hoc secessu optimè præstiterunt. Et planè Christophorus Iarda benè docet eas exercitationes institui, *Cùm habendarum Concionum munus inchoatur.* Verùm sanctiùs, vt quotannis hoc fiat, Carolus Regius suadet, his verbis: *Vehementer etiam Concionatoribus author sim omnibus, vt, saltem semel in anno, tempus aliquod eligant, quod commentationibus rerum spiritualium totum occupent: & intelligant, ita seruiendum per occupationem esse aliorum saluti, ut tamen non sinant, se adeò distrahi, ut non sibi ipsis uacent per quietem.* Vult autem, ne dum Concionatores orare, sed ab omnium conuictu secedere in secretum locum: *Vtile erit,* inquit, *Operario Euangelico, aliquando locum à turba, & conuersatione semotum petere, ut se se meditationibus spiritualibus dedat.* Causam addit: *Quæ res non tantùm ipsi proderit, quod tamen unum magni momenti est, sed etiam auditoribus suis: cùm maiore fructu aperiet, quæ Dominus Deus in secretò cordis sui sibi communicauerit.* Neque mihi desunt, apud quos ferè inueniam statutum hunc morem. Nam Carmelitæ Discalceati, declarantes Eremitici Cœnobij finem (quod præter ordinarias domos instituunt in singulis Prouincijs) esse virium spiritualium instaurationem, decernunt ordinariam eo in loco commorationem annuam esse debere; *Nisi quis,* inquiunt, *iusta de causa, illuc per menses aliquot mittendus esset, ut ad Quadragesimæ conciones, vel aliud eiusmodi opus pium, se præpararet.* Idem statuunt Eremitæ Discalceati, vti dicemus. Idemque sensisse visa est Quinta Societatis Congregatio Generalis, quæ in Concionatorum instructione, agens de zelo animarum, & studio deuotionis in ipsis inflammando, sic habet: *Imò Exercitia Spiritualia, subindè ab illis vltro, & libenter repetita, plurimùm ad hæc omnia proderunt.* Si igitur hæc recollectio Concionaturis est necessaria, maximè tamen ab ijs omitti non debet; qui missionem, aut longiorem prædicationem aggrediuntur. Hoc à Saluatore docemur; qui, ante predicationem, secessit in desertum quadraginta ipsos dies, vt ad nostram eruditionem Abulensis Episcopus sic expendit: *Christus sæpe secedebat in desertum, separando se à turbis propter multa. Primò propter exemplum, quod dare intendebat prædicantibus. Nam Christus nunc prædicare intendebat: ideò voluit omnia facere; quæ Prædicatores facere deberent, ante quàm prædicarent, & etiam postquàm prædicare cæperunt. Prædicator enim debet interdum se abstrahere à populo.* Atque huius secessus varias rationes ad-

Vide Silum in to. 2. hist. lib. 13. fol. 619.

Giarda in Ape Relig. in indice rerum lit. E.

Carol. Reg. in orat. Christ. l. 2. c. 6. 7.

Carmel. S. Eliæ p. 2. const. c. 9. §. 2.

Erem. Disc. const. p. 1. c. 2. n. 6.

Abul. in c. 4. Matth. q. 5.

ducit: tum quia nimia familiaritas, vt est in adagio, parit contemptum: tum quia vitiosi Prædicatoris facilè mores prodit: tum quia, per longiorem conuersationem, Prædicator contrahit mores populi. Benè autem Constitutiones expresse mandant, vt, in concionando, *ab inutilibus rerum, & verborum lenocinijs, abstineatur*. Ad hoc enim plurimùm valere secessum, author est Alphonsus Tostatus: *Est vtile hoc*, inquit, *Prædicatori, quasi ex necessitate; quia quæ prædicat, oportet vt consideret in lege Dei die ac nocte: ne conuertatur ad fabulas inanes*. Traditque Apostolorum exemplum; qui, post Saluatoris ascensionem, vsque ad S. Spiritus aduentum, in orationibus perstiterunt: vt per assidua ieiunia, & preces, induerentur ex alto virtutibus, quas prædicationis officium exigebat.

Const. Cler. Reg. p. 1. c. 7.

Abul. loc. cit.

Io. Vitriacus ser. 2. de ascensione.

48 Porrò, vt Apostolos, Apostolicus planè vir, Iacobus de Stephano, imitaretur; destinatus ad prædicandum Euangelium in Asiam, quo vehebatur nauigio, à conspectu nautarum secessit in puppim: vbi ad grauissimam expeditionem, pro Christi fide disseminanda susceptam, ad quam diu ante se comparauerat, tunc magis magisque idoneum, magna ciborum abstinentia, spiritualium librorum lectione, & oratione se præpararet: quod etiam de Gonzalo Silueria tradunt, destinato à Societate Iesu ad Monomotapæ Regnum in Indiam. Et eundem ritum Patres Missionis in Gallia constanter obseruant. Sapienter ergo Carmelitę Discalceati, anno 1632. Romæ in Generali Capitulo decreuerunt, *Vt qui ad huiusmodi Missiones deputantur, contemplationi maximè addicti essent, & ab ipsis Eremis, cùm iter arripiunt, vela explicarent*.

Congreg. S. Eliæ An. 1632.

49 Verùm, vt ante prædicationis officium, sic nostri recollectione ac secessu, post prædicationis labores, vt Tostatus innuit, opus habent, præsertim in Missionibus: vbi, alternis vicibus, in solitudine, reficiendæ sunt vires, & spiritus innouandus. Quamobrem locum aliquem suadeo, vt sibi deligant; *Ad quem*, vt Carmelitæ Discalceati præcipiunt, *more alatorum animalium, quæ vidit Ezechiel, iterum atque iterum reuertantur, nouo concepto feruore, nouisque virtutum radijs coruscantes*. Hoc videtur Saluator præcepisse discipulis, à prædicatione redeuntibus, cùm ait apud Marcum: *Venite seorsum in desertum locum*. Vbi Euthymius; *Docemur hinc*, ait, *oportere Magistros Ecclesiæ non semper exponere se ipsos multitudini, sed cùm datur opportunitas, retrahi, ac solitarios esse, mentemque ab exteriore distractione reuocare*. Clariùs Victor Antiochenus: *Per hoc Christus Dominus, Ecclesiæ Doctores, & Pastores monet, ne externis turbis perpetuò se dedant; sed priuatim sæpè, secretóque agentes animum colligant, eundemque à publicis negotijs,*

Congreg. S. Eliæ an. 1632.

Mar. 6. 25.

Euthym. Mar. 6.

Victor Antioch. Mar. 6.

& occupationibus, quantùm res patitur, identidem seuocent. Lucæ autem verba, in rem nostram, sic interpretatus est Beda: *Qui regresso de agro dicet illi statim, transi, recumbe, &c. Seruus de agro regreditur, cùm intermisso ad tempus opere prædicandi, ad conscientiam doctor recurrit: atque à publico locutionis, ad curiam cordis rediens, sua secum secretus acta, vel dicta retractat.* His similia multis habet in locis sanctus Gregorius, Prædicatorum verba siccari docens, atque frigescere; nisi sæpè ad contemplationis ignem fontemque recurrant: ad eosdem enim applicans ea verba Iob, *Numquid mittes fulgura, & ibunt;* hæc ait: *Mittuntur, & vadunt, cùm de abscondito speculationis intimæ, in actiuæ vitæ latitudinem diffunduntur: sed reuertentes dicunt Deo, Adsumus; quia post opera exteriora, quæ peragunt, semper ad sinum contemplationis recurrunt: vt illic ardoris sui flammam reficiant, & quasi ex tactu supernæ claritatis ignescant. Citiùs enim inter ipsa, licet bona, exteriora opera, frigescerent, nisi intentione solicita, ad contemplationis ignem incessanter redirent.* Sunt etiam qui concionando, & operando laborant, hac interdum quiete donandi, vt corpore ipso, & capite, post, laboribus curisque sufficiant. Fauet ipsum quod diximus, Saluatoris exemplum; qui Discipulis redeuntibus à prædicatione sic ait: *Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. Erant enim, qui veniebant, & redibant multi, & nec spatium manducandi habebant.* In quem locum Theophylactus: *Quiescere facit discipulos Christus, vt sciant Prælati laborantes in verbo, & doctrina, dignos esse, quibus detur sua quies; & nō semper intendant laboribus.* Conuenit Victor Antiochenus: *Docet* (Saluator) *per hæc eadem etiam in Verbi ministerio desudantes respirare, & interquiescere; se seque & corpus suum tempore suo curare, ac reficere debere: maximè verò post ministerium absolutum.* Ideò S. Aquilinus, Ebroicensis Episcopus, vt tradit Surius, quòd magis prodesset populis orando, quàm concionando, interdum ex Vrbe secedere consueuerat in secretum locum, vt prolixiùs diuinæ commentationi vacaret. Et Gonzalus Silueria ex Societate Iesu in Indico Collegio Cocinensi, cui præerat, pauciores esse volebat solito à Paschate conciones, vt Concionatores ipsi, secreto cubiculo inclusi, per dies aliquot cum Deo agerent, atque ex animo depellerent, si quid sordis ex consuetudine hominum inhæsisset.

Beda l. 5. c. 68. in c. 17. Lucæ.

S. Gregor. l. 30. moral. c. 2. al. 4.

Mar. 6. 31.

Thoph. Mar. 6.

Vict. Antioch. ib.

Sur. 6. Iunij in vita c. 6.

DISQVISITIO NONA.

De spiritualibus Exercitijs obeundis, & ritibus obseruandis, ab eo; qui habiturus est Latinam Orationem, ad Patres, in Capitulo Generali.

50 Concionem, quæ institui debet ad Patres, Comitiorũ Generalium tempore, habemus inter M.S. Ordinis decreta præscriptam. Eandemque præscripsere Prædicatores *in Cærem. tit. de processſ. Capituli Gen. fol.* 517. Eremitæ Augustinienses *Const. par. 3. cap. 3.* Cartusiani *in Ordinar. par. 1. dist. 1. cap. 9.* Cælestini *in Rituali Mon. lib. 5. cap. 13. fol. 249.* Capucini *in Cærem. par. 3. cap. 1. fol.* 469. Clerici Regulares S. Pauli *in Cærem. lib. 3. cap. 1. fol.* 165. Clerici Regulares Minores *in Cærem. par. 4. cap. 16. fol.* 182. & Societas Iesu *in Const. par. 8. cap. 6. num. 4.* vbi ita decernit: *Ad campanæ pulsum, qui suffragium habent, ad locum Congregationis vocentur: & vnus eorum Concionem habeat.* Imò mandant Vrbanæ Minorum Constitutiones, *accersendos esse celebriores Ordinis Concionatores: quibus à Generali Ministro, pro cuiusque dignitate, locus, & ordo congruè præscribendus.* Apud S. Augustini Eremitas, hanc Concionem *Procurator Ordinis habet.* Apud Clericos Regulares Minores, *habetur sermo à P. Generali, vel ab alio, cui ille commiserit.* Et vel à P. Generali, vel à Capitulo ipso, qui Concionem hanc obeat, eligendus. Ita in prima Congregatione Generali Societatis, apud Sacchinum *in histor. par. 2. lib. 2. num. 26.* idem munus obseruo multorum suffragijs P. Canisio demandatum. Sed apud Cartusienes sermonem facit *ille, qui in tabula præteriti Capituli signatus fuit.*

Vrb. Const. Min. S. Frãc. in cap. 8. reg. tit. 1. num. 2.

Erem. S. Aug loc. cit.

51 At quisquis Orator sit, quomodò ad hoc munus se comparabit? Spiritualibus Exercitijs: quæ quidem in secessu, ac feruentiùs solito obire debet, vt ab Deo ignem imploret, quo & ipse intùs ardere, & alios accendere possit, & ad omnem perfectionem extimulare. Ideòque talis esse deberet, vt ipsa eius authoritas graue pondus verbis adijceret, & quoslibet auditores quàmmaximè ad sanctitudinem, & ad procurandam Dei Gloriam excitaret. Nec solùm in secessu, & oratione cum Deo, quicquid dici oporteat, expendendum, sed cum grauioribus viris communicandum, ne aliquid temerè effutiatur. Cõcionator hic *aget* (inquiunt *cit. in lo.* Eremitæ Augustiniẽses) *vel de noua electione, si fieri debet, in genere tamen; vel de totius Ordinis moderatione, ac reformatione.* Et ad optimum Generalem creandum

conscriptos Patres maximè hortandos esse, Constitutiones Societatis expressè mandant: *Vnus Concionem habeat, qua in genere, nullo dato signo, quo particularis aliqua persona significatur, ad electionem eius Praepositi, qui ad maius Dei obsequium conueniet, exhortetur.* Quod etiam Sacchinus aduertit citatis in historijs, hunc in modum: *In concionibus illud sedulò cauebatur, vt eorum qui lecturi Magistratum erant, sic animi ad summè idoneum legendum incitarentur, vt interim certus quispiam designari ab Oratore nullo pacto videretur.*

Const. S. I. loc. cit.

Sacchin. to. 2. hist. S. I. loc. cit.

52 Praedicatores Concionem hanc audiunt, *inter Missarum solemnia*: Capucini *in refectorio*. Caelestini praescriptum habent, *quòd si erit* concionandum, *post Euangelium, siue post Missam, immediatè Concio habeatur*. Similiter Cartusienses, vt Ordinarium iubet, *in maiori Ecclesia*, Capituli sermonem instituunt. Fortasse vt Episcopos in suis celebrandis synodis imitentur; de quibus videndus est P. Castaldus *in praxi Caerem. lib. 1. sec. 10. cap. 9. num.* 15. Verùm haec Declamatio à nostris, non publicè, sed priuatim, atque in ipso creandi Generalis conclaui, sanctiùs obeunda. Sic Clerici S. Pauli, post renunciatum Praesidem, immediatè ante Generalis electionem, genuflexi ante Crucifixum, qui est in mensa scrutinij, dicunt hymnum, *Veni creator Spiritus. Mox surgunt, & sedent. Et qui habiturus est sermonem, petita benedictione, vt fit ordinariè in Capitulo, ascendit pulpitum superpelliceo indutus sine stola.* Sed à Clericis Minoribus (qui magis mihi ritus arridet) primò omnium sermo, ante Capituli inceptionem, habetur. *Vespere*, inquiunt, *dato signo prolixiori per extensum, cum campanula Exercitiorum, ita vt ab omnibus, qui in domo sunt, exaudiri possit, omnes Patres congregantur in locum Capituli; & ante omnia, pro inceptione Capituli, habetur sermo.*

Praedic. Capuc. Caelest. & Cart. loc. cit.

Cl. S. P. & Cl. Min. loc. cit.

53 Libuit nostris, in consessu tantorum Patrum, *Latinè* hanc Concionem haberi. Eandemque Latinè obit Societas Iesu in Comitijs suis. Sic de prima generali Cógregatione Sacchinus: *Cardinalis Paciecus aduenit* (à Paulo IV. Pontifice missus) *interestque Latinae Concioni, quam secundam, vti Constitutiones monent* (nam Vicarius habuerat primam) *Canisius suffragijs Patrum demandatam habuit.* Caeterùm vt finiam, Defectus Ordinis grauiores, vniuersales, ac publicos, qui longè debent exterminari, si nullus externus adsit, neque scandalum inde vllum possit oriri; vt ego arbitror, Oratori, generalibus verbis insectari, & coarguere licet; quod factum in Synodis & Concilijs obseruamus. In postremo enim Lateranensi (cùm noster penè Ordo institutus est) Ægidius Viterbiensis, Augustiniani Ordinis Generalis, declamauit, his verbis: *Vidimus Christum in nauicula obdormientem:*

vidimus ventorum rabiem, Hæreticorum furorem in candida Veritatis vela irruentem: Vidimus malas cupiditates, diram auri, atque habendi sitim: Vidimus perditam malorum audaciam, aduersùs iura, auctoritatem, maiestatem Ecclesiæ sæuientem: Vidimus, inquam, vim, rapinas, adulteria, incestus, omnem denique scelerum pestem, ita sacra profanaque miscere omnia, ita in sanctam nauiculam impetum facere, vt penè scelerum fluctibus illa latus dederit, ac propè mersa & pessumdata sit. Hactenus Ægidius; cui subiungo Archiepiscopum Sipontinum, apud eiusdem Concilij Patres, corruptos eorum temporum mores sic exprobrantem: *Quòd si, vt nonnulli prædicant, finxere quondam poetæ, post Saturni tempora, cùm sensissent iustitiam à rebus humanis abesse, offensam vitijs hominum recessisse à terra, in Cælumque migrasse, & ad Iouis regnum se contulisse. Bone Deus! quas nugas, quas fabellas, excogitaturos eos fuisse arbitramur, si nostrorum temporum scelera, si flagitia, si facinora, si abiectum Christianæ religionis cultum, si vesanam dominandi libidinem, si nefandam rapiendi licentiam: si inauditam in ijs impietatem, sæuitiam, ambitionem, quos pietatis, caritatis, integritatisque exempla esse oportebat, conspirarentur? Cui non id maximè horrendum nedum deplorandum videri debeat?* Maximè autem Capituli Generalis Orator Conscriptos Patres adhortetur, vt Dei cultum promoueant: vt Theatinam Paupertatem studiosissimè tueantur: vt destinatis nostris domibus recessui ac solitudini faueant: vt quotquot eò secedere cupiunt, non impediant: vt nostrarum Theatinarum Sanctimonialium profectui (cùm ipsorum intersit) inuigilare non negligant: vt Indicas, & Ibericas, aut alias certatim Apostolicas Missiones & Expeditiones adaugeāt: vt multos Venerabiles Viros ac Virgines nostri Ordinis, in catalogum Sanctorum, referri curent: vt nemo vnquam de Gradibus, Prærogatiuis, ac Magisterijs, in Ordinem introducendis, agere quicquam audeat: nemo de simplici cantione, nemo de statione, qua in nostris Odéis vtimur, immutanda, nequidem verbum, vel vnquam cogitationem admittat. Iuuatque Patrum Minimorum laudare sanctionem editam, vt finiam, hunc in modum: *Si quis in eodem Ordine introduxerit Cantum cum nota, vel aliàs vbicunque officialiter cantauerit, si talis Prælatus sit, etiamsi Generalis existat, ipso facto ab Officio deponatur, & ad omne officium huius Ordinis de cætero inhabilis reddatur, &c.*

Vide nostrū 1. vol. de sac. cærem. opusc. 4. disq. 17. fol. 395.

Codex Minimus S. Ordinis Minimorum S. Fr. de Paula V. Cātus fol. 33.

DISQVISITIO DECIMA.

Quomodò vanus aliquis Concionator, spiritualibus Exercitijs in secessu, facilè ad bonam frugem adduci possit.

54 SED esto, ais, malè diu Pharisæi, non Concionatoris officio functus sum; Apostolicum prædicandi munus vanissimè obiui: blandiri auribus, non animas lucrari; delectare, non corda conuertere; verbo dicam, hominibus non Deo placere contendi: age me, quisquis es Præceptor, institue, vt in concionandi munere saluus fiam. Planè eiusmodi fuit Ioannes Thaulerus è Prædicatorum Ordine; quem siue sanctitudinem, siue sapientiam spectes, clarissimum, & illuminatum Theologum dices. Verùm, cùm prædicando scientiam ostentare, & sui admirationem, non Dei amorem ingerere studuisset; à Laico quodam admonitus ad se redijt: & vitæ suæ rationes disponere meditanti, iterum Laicus, vt secessum suaderet, hæc ait: *Oportet, vt acuto, subtili, ac pomposo intellectui tuo, quem è scripturis tibi comparasti, renunties: nec iam ampliùs ad tempus aliquod lectioni aut studijs incumbes; sed nec conciones habebis. Cùmque illi, qui tibi confiteri soliti sunt, ad te pro Confessione facienda venerint, quandam præ te simplicitatem feres, ita vt Confessione facta, statim ab eis recedas: nihilque eis loquaris, nec aliquod consilium præstes, sed dicas eis: priùs ipse discam, quo pacto mihi consulere debeam; & vbi id probè didicero; deinde etiam vobis consilium impendam. Et si quæsierint, quando concionari velis, poteris citra veritatis iniuriam simpliciter respondere, habere te aliquid negotij quod agas, atque ita paulatim ab hominibus te abalienabis.* Sed iam studio, inquis, concionibus, confessionibus, & consuetudine hominum interdictus, solus & in secessu quid agam? *Ad cellam tuam, te recipies, & preces tuas horarias leges, easdemque vbi poteris, in choro cum cæteris persolues. Omni quoque die, nisi aliquod iustum habueris impedimentum, Sacrum facies, siue Missam celebrabis. Deinde verò si quod tempus superfuerit, illud in Meditatione vitæ, Passionis, & exemplorum Christi expendes: considerando diligenter, quàm vita tua illius vitæ dispar sit. Interim quoque, omnes annos tuos, & omne præteritum tempus, in quo te ipsum malè amasti, recogitabis in amaritudine animæ tuæ: attendendo quàm modicus erga Deum fuerit amor tuus: & contra, quàm ingens illius erga te dilectio. In his, Domine Magister, humiliter studebis. Sicque fieri poterit, vt ad veram paulatim pertingas humilitatem; & à veteri conuersatione, & priscis consuetudinibus tuis, in melius commuteris. Deinde vbi tem-*

Vita D. Ioan. Thauler. hist. fol. XV.

Ibidem.

Isa. 38.

pus illud aduenerit, quod Deus benè nouit, repente in virum alterum, & nouum hominem te mutabit: ita vt ex ipso nascaris denuò, & omnino nouus homo fias. Attamen antequam ipsa regeneratio in te peragi queat, priùs omnia quæ possides, diuendas oportet, eaque Deo humiliter resignes; hoc est, vniuersæ sensuum, ac intellectus tui curiositati, ac subtilitati, & quicquid hoc est, vnde tibi honorem aut delectationem conquirere posses, & omni denique illi delectationi, quam hactenùs in natura tua possedisti, & in qua secundùm naturam inordinatiùs quieuisti, prorsus renunties oportet, humiliterque cum Beata Magdalena Domini tui pedibus te prosternas.

55 Hæc, & plura alia, eximium Concionatorem Thaulerum Laicus edocuit: imò & Alphabetum aureum illi dedit, vt se corrigere inciperet; quod omnes, & præsertim Prædicatores, vt in secessu primùm edіscant, & factis exprimant, huc adijcio.

ALPHABETVM CONCIONATORVM.

Ibid. A. Aggredienda tibi in primis est vita bona, pura, spiritualis, non quidem leuiter, aut pueriliter, sed strenuè, & animo virili. B. Bonum facito, & malum declinato, idque sedulò, ac diligenter. C. Congruum, ac temperatum, in omnibus, medium seruato. D. Disce, & intùs, & exteriùs, modestiam, & humilitatem, præ te ferre. E. Extirpa funditùs, & abnega propter Deum propriam voluntatem tuam, vt possis vnitus in Deo manere, & Deus in te. F. Fortiter ac seriò continuè in Deo perseuera. G. Gaudens simpliciter, ac studiosè obedito, & ad omnia quæ Dei sunt, sine murmure, voluntarium te præbeto. H. Haud quaquam retrò, vel ad seculum, vel ad naturam, vel ad creaturas, & actus earum, respicias. I. Intùs in corde, diuina, ac spiritualia meditari, ac ruminare, tuamque veterem vitam lachrymis abluere, & te plangere, consuesce. K. Constanter, & audacter diaboli, mundi, & carnis, tentationibus resiste. L. Læto, ac forti animo per temporalia ad æterna contende, ac penetrato. M. Maneat semper in te dilectio Dei, & proximi. N. Nullius omnino bona, qualiacunque sint, concupisce. O. Ordinatè omnia in meliorem, non peiorem, partem trahas. P. Pœnitentiam, siue pœnam peccati, vndecunque ea tibi obueniat, siue à Deo, siue à creaturis, pro peccatis tuis, libenti animo, suscipias. Q. Qualescunque te vnquam offenderunt, seu læserunt, cogitando, loquendo, quærendo, eis omnem iniuriam, ex animo, remittas. R. Retine tibi, omni cum diligentia, corporis, & animæ castitatem. S. Serua in omnibus mansuetudinem, ex omnibus stude melior fieri. T. Tene fidem, custodi veritatem erga quosuis, absque dolo, simulatione, & fraude: & exerce te in operibus misericordiæ cùm corporalibus,

Lib. 2. Disq. 17. tum

tum spiritualibus; prout poteris. V. Vide diligenter, ne vel in edendo, & bibendo, vel qualibet alia re, modum, & mensuram excedas. X. Xpi vitam, atque doctrinam semper animo reuolue, eamque pro viribus imitare: & iuxta eam, vitam tuam institue. Y. Intemeratam Virginem Matrem deuotis pulsato precibus, vt auxilio tibi sit, in perdiscenda hac institutione mea. Z. Zelosus consuesce voluntatem, ac sensualitatem tuam sub disciplina continere, ac cohibere, vt pacificè consentiant in omnia, quæ Deus euenire tibi permiserit, aut egerit tecum.

DISQVISITIO VNDECIMA.

Episcopi, Parochi, & Pastores omnes, quàm expendere debeant, spiritualibus Exercitijs in secessu, num pascant Dominicum ipsi Gregem, Verbo, & bonæ Conuersationis exemplo.

56 EPiscopos, Parochos, & Pastores, opus habere, maximè omnium, recollectione ac secessu, docet Sperellus, Episcopus Eugubinus. Idem ex his, quæ hactenus diximus, ac dicemus, luculenter eruitur. Narratque Venerabilis Beda, Cuthberto, & Eadberto, Episcopis in Anglia, secedendi in Insulam quandam morem fuisse. Idemque ab eodem Beda refertur de S. Patricio Episcopo; qui Mosaicam, Eliacam, & Christianam disciplinam custodiens, ac ieiunans & orans, diuinaque responsa frequenter accipiens, perstitit in quodam monte quadraginta diebus. S. Zenobitas, Episcopus Florentinus (vt Ioannes Archipr. Aret. in vita narrat) quotannis se populo subducebat, recondens in Monasterio suburbano S. Laurentij, in quo versatus fuerat paulò ante S. Ambrosius. Eundemque seruasse morem, ex Sacræ R.E. Cardinalibus, S. Carolum Mediolani: Paulum Aretium Theatinum, Neapolis: ac Robertum Bellarminum ex Soc. Iesu Antistitem Capuanum; abundè referunt eorundem vitæ scriptores. *Beda lib. 2.*

57 Cùm verò, qui Dominico Gregi præsunt, ipsi secedunt, & in recollectionem incumbunt; discutere primùm conscientiam debent, & lacrymis sibi sordes eluere: & cùm emendare & ordinare vitam aggrediuntur, hoc studiosissimè expendant, ac summa vigilantia perscrutentur, num ipsi monitum Apostoli adimpleant: *Esto exemplum fidelium in Verbo, in conuersatione, in caritate, & castitate.* *1. Trimot. 4.*

Quisquis enim est Pastor, vt suo ministerio satisfaciat, Gregi Domini cibum animæ, mentis pabulum, ac cælicam alimoniam exhibebit. Aliter illis Prophetæ verbis redarguetur: *Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semet ipsos. Nonne greges à Pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, lanis operiebamini, gregem autem meum non pascebatis.* Hos Zacharias idolum mutum appellat; *O Pastor*, inquiens, *& Idolum!* Vel vt alij legunt, *O Pastor nihili!* Quasi dicat: O Pastor nullum gregi fructum ferens; qui tamen propriam quærens gloriam, quasi Idolum mutum vis honorari! Proindè graui verborum pondere Timotheum Apostolus sic adiurat: *Testificor coram Deo Christo Iesu, per aduentum ipsius, & regnum eius, prædica Verbum.* Et Dominus Pastores speculatores appellat: *Fili hominis, speculatorem dedi te, audies de ore meo Verbum, & annuntiabis eis.* Speculatores sunt, quia in sublimi constituti, versantur in specula, vt inuigilent alijs: & quaquà versum circumspicientes, quicquid ad salutem eorum spectat, annuntient. *Speculatorem dedi te*, dicit Dominus. Sed si non annuntiaueris, *sanguinem animarum de manu tua requiram.* Dicetque tibi per Ieremiam: *Vbi est Grex, qui datus est tibi? Pecus inclytum tuum? Quid dices in die quando visitaberis? Nonne dolores quasi parturientis apprehendent te?* Vtraque enim tibi commissa est, ex S. Bernardo, & tua & proximi conscientia. *Vtriusque à te exigitur custodia: & in hoc pondus timoris, quòd neutra satis nota, vtraque obscura, vtraque inscrutabilis, vtraque quasi nox est. Vnde & illud Isaiæ dirigitur ad te: Custos quid de nocte? custos quid de nocte?* Tunc enim securus esses, si posses respondere quod docuit Augustinus. *Tota ratio*, inquit, *quæ nos securos faciet erit: Tu scis, Domine, quia clamaui: scis quia non tacui: scis quo animo dixi: scis quia fleui tibi, cùm dicerem, & non audirer.* Caueant ergo sibi Pastores, & Emmanuelis Sà sententiam audiant, & animo imprimant, qui sic ait: *Negligentia magna Parochi in docendo ad salutem necessaria mortalis est, & passim magnus abusus eorum, qui contenti docuisse symbolum Latinè, non explicant populo rudi mysteria fidei, præsertim Trinitatis & Incarnationis, tantoperè ad salutem necessaria. Væ Episcopis, væ Parochis, væ Prælatis.* Hæc ille.

Ezech. 34.
Zach. 11.
Ezech. 3.
Ier. 3.
S. Bern. ser. 3. de Adu.
S. Aug. ser. 47. de verbis Dom.

58 Nec verbo solùm Pastor Gregem pascere debet: sed & *esto*, inquit Apostolus, *exemplum in conuersatione.* Debet vita Sacerdotalis, vt ait Iacobus Marchantius, *tanquam virga Aaronis, non tantùm folia, sed & flores, & fructus producere: debet non tantùm doctrinam, sed & conuersationem odoriferam habere.* An doctrina proderit quicquam, si prauæ conuersationis exempla oppositum sonent? *Pascite*, inquit Apostolus Petrus, *qui in vobis est Gregem, forma facti Gregis ex animo.*

March. in collat. de off. Past.
1. Petr. 5.

mo. Quem locum explicans D. Thomas; Forma, inquit, ad cuius aſpectum informentur alij, & concipiant fœtus ſimiles diuerſarum virtutum: ſicut ad aſpectum virgarum in canalibus, oues Iacob concipiebant agnos diuerſi coloris, iuxta colores, quos ante ſe in virgis illis conſpiciebant. Quocircà ſapientes Ægyptij Sacerdotis vitam per Horologium exprimebant, cuius cauſa ordinatè viuimus, & ex ordine gerimus omnia ac operamur. Ideò ad Sacerdotis veſtem quatuor tintinnabula iubentur appendi, vt ſuo etiam inceſſu ſonitum edat, & alios doceat moneatque. Nos igitur circumſpicere oportet, vt rectè ac ritè viuamus, *Nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum*. Ac illud D. Gregorij iugiter expendendum: *Nullum maius præiudicium, quàm à Sacerdotibus tolerat Deus: quando eos, quos ad aliorum correctionem poſuit, dare de ſe exempla prauitatis cernit: quando ipſi peccamus, qui peccata compeſcere debuimus. Nulla animarum lucra quærimus: ad noſtra ſtudia vacamus: terrena concupiſcimus: humanam gloriam intenta mente captamus*. Non igitur iuuat verbum, ſi conuerſationis exemplum deſit. *Vox quidem, vox Iacob eſt, ſed manus ſunt Eſau*. Pij viri vox, ſed opera ſunt hominis impij. ſunt literæ Vriæ, quæ mortem non vitam ferunt. *Literæ ſunt ſine ſigillo, ſcientia ſine vita; & ideò*, ex S. Thoma, *non creditur eis*. *Cùm puriſſimam aquam biberitis*, ait Dominus, *reliquam pedibus turbatis: & oues meæ, quod pedes veſtri turbauerant, hæc bibebant*. Quod D. Gregorius ſic exponit: Aliqui enim ex ſacris fontibus ſcripturæ puram aquam hauriunt, ſed greſſu mali operis, & prauæ conuerſationis, quaſi pedibus illam turbant, ſicque turbatam ouibus proponunt: & de his conqueritur ibi.

Gen. 30. *Exo. 28.* *S. Greg. ho. 17. in Lucæ 10.* *Gen. 27.* *Ezech. 34.*

59 Clamabatur antiqua lege teſte Iſaia: *Mundamini qui fertis vaſa Domini*. Mundamini per caſtitatis ſanctificationem. Sed vtinam, inquit Marchantius, non reperiantur aliqui, qui hæc vaſa indignè & immundè tractent. Vtinam non reperiantur eò prorumpentes audaciæ, vt non vereantur eodem ore contingere, iiſdemque manibus contrectare, de nocte filiam Veneris, & de die filium Virginis. Hi ſunt, qui cum Nadab & Abiu, accedunt ad ſacrificium in igne alieno, cum concupiſcentiæ libidinoſo igne: & ideò vereri debent, ne ſicut illi, flamma à Domino egrediente abſumantur. Hactenus ille; qui ad Paſtorum præcipuè documentum, *Homini mortali ad immortalitatem adſpiranti, æternitatis beatæ candidato*, ipſo operis frontiſpicio, *ſpeculum* proponit, his verbis: *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Loquar ad cor tuum pauca, ſi vis, ò Homo incola terræ, Cæli Ciuis. Statuam faciem tuam ante faciem tuam: te an-*

Iſaiæ 52. *March. in collat. ſac. de off. Paſtor.* *Pſ. 76.*

te te. Ecce enim speculum, in quo consideres vultum Natiuitatis tuæ. Rogo te, ne celeriter transeas, statim oblitus qualis fueris. Quæ est origo tua? Iac. 2.
Ier. 18. *Descende in domum figuli & scies. Quod nomen tuum? Homo de Humo, Adam de Adam, lutum de luto. Quæ parentela? Putredini dixi, Pater meus es, soror mea vermibus. Quis tuus finis? Cinis est: Vide ne sit ignis. Quid ipsa Vita? Ad mortem currit etiam inuita. Sed cur dico ad mortem? Nauigat ad Æternitatem. Et quidem prosperè, plenis velis, si ita velis. Fides sit Anchora, spes Velum, Crux sit erecta in malum. Non collidêris, non impinges in malum. Sic enim instructa, Fluctuat at nunquam mergitur illá ratis. Dirigit Nauem Vector in fine sedens, sit tu vitam. Attende exitum, præcaue exitum. Vt non impingas in scopulum, respice semper scopum. Quò tendis? Ad immortalitatem. Quâ viâ? Per mortis tramitem. Si sæpè respicis vmbram Occidentis tui, pertinges ad veram lucem Orientis æterni. Sed Væ illis, quibus factæ sunt vmbræ longiores vesperi, inquit Propheta. Illud væ, tu caue. Quomodò cauebis? Cogita dies antiquos, & annos æternos in mente habe. In illis excita te scopens, fodiens, sarriens. Scopebam, inquit, spiritum meum: Legit D. Hieronymus, fodiebam, sarriebam. Opto tibi talem sarculum, quo omnem expungas infelicem surculum. Sic enim fiet, vt ab illa Securi sis securus, quæ est ad Radicem infructuosæ arbori. Excitare ergo sarriens, sed & fodiens. Quomodò fodiens? Audi ex ore Domini: Fili hominis fode parietem, vt inuenias abominationem. Sagacitum scientiâ scrutare Conscientiam: Quære te in te, & quære à te illud Ionæ. Quod opus tuum? quæ terra tua? aut quò vadis? Cogitabam ait nocte, Nunquid in æternum proijciet Deus? Illud Æternum sæpè meditare, & quidem cum corde, cum gemitu columbæ. Etenim si Pondus ignis deuorantis, si flatum venti impios inuoluentis, vitare cupis, illud pondera, hunc mensura. Descende in infernum viuens, si non vis descendere moriens. Et sic cogitans Annos Æternos, reuoca diem, qui præterijt. O si viam Adolescentiæ, viamque Nauiculæ tuæ inter mirabiles elationes maris cognoscere possis & dicere: Recogitabo tibi annos in amaritudine animæ meæ. Voluitur Annus, & reuoluitur: Voluimur & nos mirè sed inuoluimur, in vijs deuijs, in circuitu ambulamus. Quamdiu in hoc Orbe agimus, in orbem agimur, instabiles velut in versatili Rotâ, velut in cæci Sampsonis Molâ. Quid ampliùs? In labyrintho degimus: quò magis progredimur, magis intricamur. Quid consilij? Iuuenis ille olim facilem inuenit viam, ducente filo, quod Regia virgo illi tetenderat. Te ergo, quicunque in hac lubrica & implexa via anxius cespitas, aduoco. Et ne despondeas, Virginum Virginem Ducem spondeo. Hæc felici filo præducet, & ad optatam Æternitatem perducet. Ad hanc profugus refugias, deplorans exilium, implorans auxilium, offerens ei hunc gemitum Columbæ Ecclesiæ Matris tuæ. Ad te*

Iob. 17. Iier. 7. Psal. 27. Ezech. 8. Ioan. 1. Psal. 27. 4. Esd. 4. Prou. 30.

clamamus exules filij Euæ, ad te suspiramus in hac lacrymarum valle. Illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende. O Clemens, ò Pia, ò Dulcis Virgo Maria.

DISQVISITIO DVODECIMA.

De Spiritualibus Superiorum Exercitijs, vt bonum regimen auspicentur.

60 QVàm hæc Recollectio Superioribus congruat, innuũt Constitutiones nostræ, cùm monent Præpositum Generalem, vt *peruigilet, quasi rationem pro animabus subditorum redditurus*; & quemlibet alium Præpositum, vt *omnibus se præbeat exemplum disciplinæ*. Quod satis experti Eremitæ Discalceati S. Augustini, quotannis, singulos fratres, sed præsertim Professionem emissuros, Sacerdotio initiandos, Concionaturos, Superiores omnes, atque ipsum Generalem, ad secessum adigunt, hisce verbis: *Vt omnes vires spirituales resumant, præcipimus, vt quilibet, tam Prælatus, quàm subditus, semel in anno, per octo dies ad minus, ab omnibus feriatus, in cella solitaria, ad hoc deputata, Deo, & animæ suæ vacet: quod idem faciet, ante Professionem, ante primam Missam, ante cursum Quadragesimalium Concionum, & tam Vicarius Generalis, quàm alij Superiores, in initio suorum Officiorum*. Id ipsi, vt arbitror, didicerunt ab Societate Iesu; quæ inter Ordinationes Generalium Præpositorum, à quinta Congregatione recognitas, ita statuit: *Proderit etiam, ad spiritus laxitatem arcendam, si Visitatores, & Prouinciales curent suauiter, vt qui in Superiores eliguntur, ij antequam Superiorum officium adeant, se se ad dies aliquot recolligant, vt Spiritualibus Exercitijs vacent; & maiore cum spiritus alacritate, Officium suum aggrediantur, seque ipsos reddant aptiora instrumenta, quæ à Christo moueantur*. Idem sexta Congregatio sic suadet: *Porrò illorum* (Spiritualium Exercitiorum) *vsus summoperè nostris à Congregatione commendatur: præcipuè verò Superioribus, qui non modò cæteros exemplo suo præibunt, sed omnibus superatis difficultatibus, tempus singulis commodum attribuant, quo cum fructu peragantur*. Et in Ordinationibus, à Septima recognitis, hæc inuenio: *Qui in Superiores eliguntur, antequam Superioris officium ineant, se se ad dies aliquot Spiritualibus Exercitijs colligant*. Proinde, Baltassar Aluarez, Præpositus Toletanæ Prouinciæ designatus, vt Ludouicus Pon-

Const. Cler. Reg. p. 3. cap. 7. & 91.

Erem. discal. S. Aug. cõst. p. 1. cap. 2. nu. 6.

Ordinat General. cap. 15. §. 3.

VI. Congr. decr. 48. can. 5.

Ord. rec. in VIII. Congr. §. 1. n. 6.

Pont. in Vita Alu. c. 84.

tanus tradit, *Hoc nuncio accepto in Quadragesima, statim se recepit per aliquot septimanas ad Spiritualia Exercitia facienda, vt diutiùs in oratione recollectus hareret; & à Deo impetraret id, quo indigebat ad tale onus ferendum, quod omnibus praecedentibus grauius iudicabat.*

Instr. cap. 3.

61 Eos autem Superiorum nomine intelligo, qui quodcunque munus exercent; & qui præsertim aliorum cura, negotijs, siue secularibus, siue spiritualibus, implicantur. Sic quædam instructio Eremitarum Excalceatorum sancti Augustini: *Ij quàm maximè Spiritualibus Exercitijs opus habent, qui plus cæteris cum secularibus hominibus conuersantur, & se mundi rebus immiscent, vt sunt plerunque Superiores, Procuratores, Confessarij, Quæstores, & similes.* Quocircà Patres Carmelitæ Discalceati; *Vt feruor spiritus*, inquiunt, *& deuotionis magis accrescat, hortamur Religiosos omnes, tàm Prælatos, quàm subditos, vt quotannis spiritualibus Exercitijs, saltem per vnam hebdomadam, piam operam impendant.* Quod tamen Procuratoribus, & alijs similiter occupatis, bis concedi posse decernunt. Qui enim cum secularibus frequentiùs agunt, contrahunt sæpè animi sordes, & has subindè necessum est, vt in solitudine abluant, & abstergant. Sic sanctus Franciscus, vt *extergeret si quid pulueris sibi in conuersatione hominum adhæsisset, interdum se in solitudine colligebat.* Idem in more habuit Petrus, dictus peccator, sed vita, & moribus venerabilis: qui Beato Ioanni Dei, in Xenodochiorum administratione, successit. Relicto enim domi Vicario, qui omnem ægrorum curam opportunè subiret; in asperi montis cauernam, præmissa primùm ad fratres exhortatione, se concludebat: ibique abditus ad plùrimos dies, oratione, ac meditationibus sacris, diuinum in se amorem feruentiùs accendere conabatur: seque adeò Spiritualibus Exercitijs saginabat, vt viribus virtutum refectis, maioreque spiritus robore confirmatus, ad pristinos labores, cum ingenti aliorum vtilitate, ac lucro, rediret. Ob id, Augustinus le Scellier, Abbas Generalis Præmonstratensis, in Cœnobio de Ardena de Communitate antiqui rigoris, hæc sanxit: *Pastores, & quicunque Beneficiati, Ordinem nostrum professi, qui Curas, & Beneficia, ab hoc Monasterio dependentia administrant, singulis annis per tres ad minus dies, sepositis alijs occupationibus, diebus à Patre Priore designandis, huc conueniant, vt distractam per varia negotia mentem Spiritualibus Exercitijs collecturi, Deo & animarum sibi creditarum obsequio, maiore cum fructu possint applicare.* Idem præcepit in Visitatione Monasterij de Gentilis: *Omnes Beneficiati, singulis annis, statutis, aut à Patre Priore præfixis diebus, sepositis alijs occupationibus, in hoc Cœnobio Spiritualibus Exercitijs totos se dedant; vt inde vegetiores ad ouium sibi commissa-*

Const. Carmel. Disc. par. 1. cap. 3.

S. Bon. in vita S. Fran. c. 13. Fr. de Castro in vita Io. Dei cap. 24.

rum Curam reuertantur. Quod experti Carmelitæ Diſcalceati, ſtatuerunt; vt qui *ad proximorum ſalutem in alium Conuentum migrauerint, ne ijs exercitijs ab interna cum Deo vnione alieni fiant; ad Eremum interdum, de Præpoſiti, ſeu Prouincialis venia, ſe recipere poſſint, vt ſpiritus vires reſumant*. Memores S. Patris Eliæ; qui, vt ſanctus Ambroſius loquitur, *duratus ad patientiàm in ſolitudinis incolatu, & tanquam paſtus, ad virtutis adipalem, agreſti alimento, proceſſit fortior*. Sed Procuratoribus, cùm hi maximè omnium recollectione opus habeant, Excalceati Ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum Congregationis Gallicanæ, quotànnis, bis ſeceſſum ſuadent. *Religioſi omnes*, aiunt, *tam inferiores, quàm Prælati, ſemel annis ſingulis, decem dierum ſpatio, Spiritualia Exercitia faciant*. Et ſubdunt: *Quæ, bis Procuratoribus, & alijs Religioſis, in rebus exterioribus occupatis*, concedi poterunt.

Conſt.p. 2.c. §.4.

S. Amb. ep 15. ad Eccl. Vercel.

Conſt.p.1. c. 7.§.4. nu.4.

62 Age ergo, quiſquis aliorum cura, & ſolitudine fatigaris: quiſquis ipſa Sacramentorum adminiſtratione, in próximorum tuorum profectum, & animæ ſalutem incumbis: *quoniam dies mali ſunt, ſufficit interim*, Diui Bernardi verbis, *admonitum eſſe, non totum te, nec ſemper dare actioni, ſed conſiderationi aliquid tui, & cordis & temporis ſequeſtrare*. Audi Apoſtolum ſuadentem: *Attende tibi, & doctrinæ*. Non enim alios regere, docere, & iuuare dumtaxat; ſed tibimet ipſi primùm, & interdum attendere ac vacare debes. Si te aliquis remoretur, & impedire contendat; dic cum Iacob Patriarcha: *Dimitte me; iuſtum eſt, vt aliquando prouideam etiam domui meæ*. Hoc planè Ioannes Gerſon vnumquenque noſtrum admonuit, Chriſti verbis: *Vade in domum tuam*; quibus ſapientis Poetæ dictum adijecit, *Tecum habita*. Nimirum, vt hac tui cura, introſpectione, ac diſcuſſione, ne dum tibi ipſe, ſed & alijs omnibus vtilior fiàs: quò enim probior, eò magis alijs prodes; & quò deterior, eò magis cæteris noces. Ne ergo putes, quiſquis es Superior, in ſeceſſu, tuorum curam omittere: imò, vt verè dicam, non tuum ſed commune omnium tuorum negotium fermè agis. Audi L. Senecam: *Hoc nempe ab homine exigitur, vt proſit hominibus; ſi fieri poteſt, multis; ſi minùs, paucis; ſi minùs, proximis; ſi minùs, ſibi. Nam cùm ſe vtilem cæteris efficit, commune agit negotium: quomodò qui ſe deteriorem facit, non ſibi tantummodò nocet, ſed etiam omnibus ijs, quibus melior factus prodeſſe potuiſſet: ſic, ſi quis benè de ſe meretur, hoc ipſo alijs prodeſt, quod illis profuturum parat.*

S.Ber.l. 1.de conſid. ca.7.

1.Tim. 4. 6.

Gen.30.

Gerſ.t.2.col. lat. de duab. domid.Matt 9.Mar.2.11

Perſ.ſat. 4.

L. Sen. l. de vita be. c.3.

63 Ad hæc, ex Diuo Gregorio, qui aliorum curam gerunt, non ſemel ad aliquot dies aut quotannis, vti eſt dictum, ſed ferè quotidie, ſi res exigat, quoties diuino lumine eſt opus, ſaltem aliquo tempo-

ris ſpatio, ſecedere, ac ſe colligere debent. *Hoc quotidie boni Rectores faciunt*, inquit, *cùm ſe res dubias diſcernere non poſſe cognoſcunt: ad ſecretum mentis, velut ad quoddam tabernaculum reuertuntur; diuinaque lege perſpecta, quaſi coram poſita arca, Dominum conſulunt, & quod priùs intùs tacentes audiunt, hoc foris poſtmodùm agentes innoteſcunt.* Exemplo Moſis, vt docet, qui crebrò in rebus dubijs ad tabernaculum rediens, ibique ſecretò cõſulens Dominũ, quid certi decerneret, agnoſcebat.

S.Greg.l.23. Moral. c.12. al. 21.

DISQVISITIO TERTIADECIMA.

Quid quotidiano in ſeceſſu, pro recta Domus adminiſtratione, à Superiore conſiderandum. Et quodnam ipſe diſcere debeat, ac exprimere moribus, Alphabetum.

64 CArolus Scribanus monet Superiorem, vt diebus ſingulis mediam minimùm horam ſecedat; videatque, num in aliquo, verbis, rebuſque, deflexerit: num quæ res operam ſuam deſideret. Obeat animo capitatim domeſticos omnes, cogiterque ſecum, num qua opus monitione, accuratiore vigilantia: num adhibenda currentibus fræna, tepentibus calcaria, delinquentibus pœnæ, maliſque minitantibus aut iam enatis remedia: ac quæ, quibus, quo tempore, per quos adhibenda; per ſe, an alium. Quo etiam proximorum, ſibi quocunque modo cõmiſſorum, res loco ſint. Num quid ad illorum ſalutem propagandam, timorem, ſpemque futurorum prouocandam occurrat: quibus modis, amor illis diuinorum, contemptus temporalium, peccatorum deteſtatio, curarum proſecutio, prouida prudentique manu, inſpargi, ac inſeri poſſit: quibuſque vitia, prauæque, ac inolitæ conſuetudines, habituſque, extirpari ac erui radicitùs queant. Nec dimidiæ horæ ſpatium, ſed integram horam, alternis ſaltem diebus, huic recollectioni, Claudius à Societatis Superioribus impendi curauit. *Horam conſiderationi*, inquit, *Superiores locales quotidie, aut certè alternis diebus impendent: in qua ſecum & cum Deo conſiderent, quomodò ſe habeat ſtatus Domus, vel Collegij: quomodò ſubditi in ſpiritu, & virtutibus proficiant: quid impedimenti, & diſtractionis habeant, quo ſpirituali morbo hic vel ille laboret: quo remedio iuuari poſſit, vt adhibeatur: quomodò Præfectus rerum ſpiritualium, ac cæteri Officiales ſuis officijs fungantur: quomodò Regulæ, Ordinationes, religioſa diſciplina ſeruetur: quis erga proximos per miniſteria noſtra fructus colligatur. Denique præter examen ordinarium, examinent hoc impenſiùs defe-*

Scrib. in Super. Relig. l. 2.c.22.

Claud. Aquau. Ordinac. pro Super. Local. nu. 5.

ctus circa gubernationem, legant Regulas Viſitatorum, & Superiorum iuſſa, nihilque horum omnium perfunctoriè, ſed accuratè omnia in Domino exequantur.

65 Quod ſi alia magis ratio placeat, diuidi ſuadet Scribanus hebdomadam in ſingulos dies: vt ſingulis certa per horæ medium capita decurrat, ne tot vno tempore obruatur: propiùſque certiùſque ſingula perſcrutetur, & diſpiciat, hunc in modum. *Feria II.* res familiæ ſibi commiſſæ temporarias diſcutiat: videat, quo illæ loco: qua induſtria domi foriſque egeant: quibus anguſtijs premantur: qua copia, qua inopia laborent: qua fide, prudentiaque, à domeſticis externiſque pertractentur: quo emolumento damnoque domus. Quid vniuerſim, quid ſingulis, ad religioſam vitam tuendam, fouendamque, neceſſarium: num quid religioſæ moderationi ſuperſit: num quid neceſſitati deſit: temporine res parentur. Vt ante prouida quadam ſolicitudine diſcat aſſueſcatque futuris proſpicere, reſque ſuis locis temporibuſque parare. Luſtret deindè non raro domeſticas officinas omnes, vt earum conditionem perſpectiſſimam habeat, nihilque omnium illum fugiat, quæ quoquo modo temporariam rem tangant. Dati proindè acceptique rationes omnes ſciat, & intelligat, debitaque, creditaque, ac fortunas omnes, earumque conſtitutionem, vt omnino nihil illarum rerum illum lateat. *Feria III.* Singulorum munia, & occupationes percurrat. Qua illa ſinguli fide, qua ſolicitudine, qua circumſpectione, religioſaque moderatione obeant: quo Confeſſarij, Concionatores, Profeſſores, Fratres ſinguli, ſtudio diligentiaque agant: quo illa modo peragant, ſeculari, religioſo, prouido, prudenti, maturo, ſubito, imprudenti, frugali, prodigo: quo in illis fructu, damnorumque, ac emolumentorum tam ſpiritualium, quàm temporalium periculo, ac ſpe, verſentur. Quid vniuerſim, quid ſingulatim timeri, quid ſperari ab illis poſſit: qui in impoſito munere continuandi qui remouendi, quæque remedia ſubſidio egentibus adhibenda ſint. Quæ denique vtriuſque ſpiritui, ſpirituales ac corporales exercitationes in primis vtiles, ac neceſſariæ ſint: aut cui quiſque muneri maximè idoneus: aut in quo maiore fructu, minoreue ſuo aliorumue damno occupari poſſit. *Feria IV.* Quæ conſeruandæ ac tuendæ omnium ſingularumque valetudini neceſſaria, conſideret: num quis ſupra vires pluribus tam ſpiritualibus, quàm temporalibus diſtineatur, ne aut ſuccumbat oneri, aut temporalium multitudine ſpiritus ſuffocetur, aut pietatis ardor extinguatur: num quis longè infra vires occupetur, ne variarum ex otio tentationum materia fiat. Num quæ ad religio- *Scrib. l. cit.*

ſum victum, veſtitum, habitationem, neceſſaria ſubminiſtrentur: quæ ægrotantium, aut laboribus ſenioue fractorum cura habeatur: quo affectu, promptitudine, beneuolentia, illorum neceſſitatibus proſpiciatur: num quis aut ingraueſcentis ætatis, aut tenerioris valetudinis, aut grauium laborum intuitu, peculiari re quapiam indigeat: num quid publicè priuatimque deſit, quod & parari poſſit, & religioſæ modeſtiæ, ac paupertati non repugnet. *Feria V.* Perpendet ſeriò, magnaque circumſpectione; quæ ſpiritui cuiuſque magis commoda, ac opportuna, quæque ad ſpiritualem profectum neceſſaria, auxilioque, ac incitamento eſſe poſſint ad maiora: quæ ſingulorum malis animique morbis remedia adhibenda: quo quiſque quantoque fræno, aut calcaribus egeat: quem fructum referat, quæue damna meritò timenda ſint: quo etiam ardore aut tepore per virtutum ſemitam ſinguli decurrant. Num quæ impedimenta conſequendæ perfectioni obiecta: num quæ vitia ſiue priuatim ſingulos, ſiue familiam totam occupent: num quæ occulta mala plures pauciores ue poſſideant: quibus hæc modis vinci, ac domari poſſint, quibus radicitùs euelli: quo ardore fructuque, tam publicè ab omnibus, quàm priuatim à ſingulis, orationis, ac meditationis diurnæ ſtudium pertractetur. Quantis ſinguli in ijs, ac in mortificationis in primis exercitationibus, progreſſibus creſcant, quantiſque retrogreſſibus decreſcant: quo amore, feruore, tepore, languoreque ijs incumbant: qua diligentia, aſſiduitate, negligentia. *Feria VI.* Quæ domeſticam tangunt diſciplinam, Conſtitutionum, Decretorum, Ordinationumque obſeruationem diligenter excutiat: vigeatne an iaceat primæuus ardor in tuenda religioſa diſciplina. Si iaceat, quæ ſit cauſa proſtratæ diſciplinæ, qui auctores duceſque ad illam: media deindè erigendæ diſciplinæ cogitet, ſuoque in primis exemplo ad accuratam regularum omnium etiam minimarum obſeruationem ſuos impellat: nec ante verbis, quàm factis prælucead. Omnem deindè occaſionem diſſoluendæ diſciplinæ prudens Paſtor amoueat: omnem excitandæ, ac erigendæ adhibeat. Videat, qui ad illam erigendam fouendamque accõmodatiore ſint ingenio, quibus præeuntibus, ſubſequantur reliqui. Laudet obſeruatores, damnet violatores, ac pœnis etiam coerceat, omnibus quaqua parte intentus, ac minimis etiam, quorum tranſgreſſiones gradus ſunt ad maiora, & via ad illa: ſingula proindè diſpiciat, vigilemque in omnem partem animum oculoſque intendat, domeſtico in primis ordini, quem non patiatur impunè violari. Quòd ſi in alterutro peccandum, plus de rigore quàm de nimia indulgentia oſtentet: me-

dium tamen tenuiſſe tutiſſimum, vt rigori miſta clementia, & benignitas ſit: nec vlla eat ſeuerior admonitio, nulla pœna ſine linimento, vt non à iudice, ſed à patre profectam ſentiat, qui monetur, ac patitur: *Sabbato*, circa ſalutis proximorum propagationem, quomodò ſe habeant ſui, diſpiciat: qua religione, moderatione, circumſpectione, prudentia, zelo: aberrent à fine aut medijs: ardeantne, feranturque imprudenti æſtu, & calore, an ignauo quodam tepore ignaueſcant, otijque amore, & commodorum ſuorum teneantur, laborum ſudorumque pertæſi: Quibus excitari modis poſſint, orationum frequentia, aliorum exemplis, laude, ſpe præmiorum, operis nobilitate, pœnarum pro neglectu metu: quæ res ſaluti promouendæ vtiles, quæ neceſſariæ, quæ ſingulorum ingenijs pro conditionum varietate accommodæ, quæ nobilitati, quæ viris doctis, quæ diuitibus ac in dignitate conſtitutis, quæ militiam ſecutis, quæ populo infimæque plebi, ac egentibus: quæ Vrbium incolis, quæ agrorum cultoribus: quæ deindè in ſingulis ſaluti procurandæ impedimenta ſint, à quibus poſita: an ab ingenio cuiuſque, an ab alio nata, vt tollendi illa modos viamque diſquirat, ac in omnem ſe partem vertat, quò optatis fruatur: per eos, res maximè aggrediens, quos commodiſſimos arbitrabitur: cùm plurimùm referat, quid cui committas: & magna victoriæ pars ſit, commodum ſaluti alterius inhortantem nactum eſſe. *Dominico*. Quæ perſonæ ſuæ munerisque ſibi impoſiti propria ſunt, quæque regulis ſibi præſcripta, diſquirat: quo ſe in illa amore ferri ſentiat, quoue neglectu: qua diligentia illa tueatur ac intacta ſeruet, quãtumue in ijs ſibi indulgeat prior ipſe in illarum obſeruatione, an poſtremus: exemplo ſuis præeat, an ſolis verbis, aut ne verbis quidem: quanta damna è negligentia ſua, quanta è diligentia commoda ad omnes profluant. Non poteſt ad munerum expletionem alios inhortari, qui in ſuo torpeat: minùs etiam pœnis regere, qui primus regularum ſuarum tranſgreſſor audit. Excitet proindè ſe, animetque, ad accuratam omnium obſeruationem, tantò habiturus obſequentiores, regularumque ſuarum ſtudioſiores, quantò ipſe in impoſito ſibi munere fortiùs progredietur. Omnium deindè ſubditorum ſibi in munere conſtitutorum regulas percurrat, & familiariſſimas eas ſibi ac domeſticas faciat, nec quidquam illarum ipſum lateat, aut memoriam ipſius effugiat; ne dum illarum ignoratione laborat, ad earum ſuos obſeruantiam prudenter impellere non poſſit.

66 Cæterùm, quamplurima alia Superioribus monita præſcribuntur, à nobis in Alphabeti modum intexta: iuuatque in

secessu sedulò expendere, quæ sic habent.

ALPHABETUM SUPERIORUM.

A. *Ad te* quouis tempore *accedentes* facilè ac vultu hilari *admittes*: nec reijcies in aliud tempus, nisi impedimentum aliquod grauissimum *adsit*. Et dum te *alloquitur* subditus, ne illum contemnere videaris, tunc ipse nihil aliud scribas, aut legas, aut facias, sed illi solùm *attendas*. B. *Beneuolum* te cunctis ostendas: neminem paruipendas: semperque *Deum benedicere* in tuis sermonibus assuesces. C. *Conuersare* ità cum domesticis, vt non des illis occasionem *cogitandi*, quòd non æquè omnes ames, sed plus aliquos sine maiore causa maioris amoris, qualis non esset, si minimè in ijs notabiliter virtus magis *conspicua* videretur. Quocircà de quauis re extraordinaria vel inducenda, vel immutanda, vel emendanda, ab alijs Patribus, & præcipuè senioribus, *consilium* petes. Imò ad *consultationem* adducas, quascunque res minimas, quas vis facere, vel introducere, vel mutare, tùm ob maius lumen percipiendum, tùm vt murmurandi alijs occasionem eripias. Nec vlli aperias iudicium de subdito tuo, quod si resciret ille, *contristaretur*. Experientia enim quotidiana docemur, vix aliquem reperiri, qui talia silentio premat. Estque monitum multorum Philosophorum, ac præsertim S. Francisci Xauerij, nihil esse narrandum alteri à te, quod ei non narrasses, si præuidisses, cum postea offensum fore, & quod ab offenso sciri nolles. D. *Diligenter* attendas, vt omnes in suis occupationibus animes, eorum functiones laboresque laudando. Hac enim Superioris gratitudine res difficiles faciles fiunt: & subditi ad aspera quæque subeunda plurimùm excitantur. E. *Externis* præsentibus subditos tuos factis honores, verbisque commendes: nec *eos* vt famulos tractes, sed vt fratres adultos, natu minores. *Excita* te maiorum nostrorum *exemplis, & æquum* in omnibus *exhibeto*. *Ecclesiæ* cultum studiosè promoueas: libenter tribui mandes pauperibus *Eleemosynam*: diligenterque iubeas *ægris* præsertim ac cunctis fratribus necessaria ministrari. *Alioquin*, inquit Lancicius, *si hac in re, vti & in vestiariæ rebus concedendis parcus sis, certò magna damna patieris, vel in Messe, vel in Vinecis, vel in Piscinis, vel in morte pecorum, vel per incendia, domi, aut in prædijs, vel per deuastationes militum, vel alijs modis: vti & experientia docet, & historiæ Ecclesiasticæ. E contrario liberalibus benedicit Deus abundè: quandoque etiam miraculosè suppeditando & augendo necessaria, ac multiplicando, vt ex vitis Sanctorum patet*. F. *Facilis* sis & liberalis, in licentijs concedendis; quæ sine peccato, & manifesta dissolutione religiosæ disciplinæ, & malo exemplo concedi possunt. Et S. Ignatium imi-

P. Lancic. to. 2. opusc. 12. cap. 19. nu. 44.

 teris,

teris, qui ne quidem Laicum stare coram se, præsertim aperto capite permittebat. Non minuet hæc humanitas authoritatem, & debitum tibi Superiori respectum: sed in subdito erga te amorem & confidentiam exaugebit. *Ideò*, inquit ille, *Romæ nec Magistri Nouitiorum,* Lanc. nu.14. *nec ipsi Præpositi Generales permittunt Nouitios coram se stare aperto capite: & si eos sunt diutiùs allocuturi, iubent sedere tecto capite: Sacerdotibus verò aduentantibus etiam assurgunt.* G. *Gloriam* Dei quære non tuam: eius te ministrum considera: & vt Domini *Gregem* ritè pascas atque custodias, humillimis ab eo precibus auxilium pete. H. *Habeas* rationem eorum, qui plus solito operantur atque laborant. I. *In* cubiculum tuum nullum *iuuenem* voces, nec non vocatum admittes: sed ad portam, vti alios externos, expedias. K. *Coqui* cibos iuxta tuum palatum non iubeas, vetando vel substantiam vel qualitatem eduliorum, quæ tuo gustui non arrident: sed communem Prouinciæ consuetudinem sequere, quæ seruatur in alijs domicilijs. Nec tantùm necessaria in cibo & potu, sed quadam cum varietate suppedites, quæ honestam possint communitati recreationem afferre. L. *Lectioni* tuarum regularum sedulò incumbas: omnesque Ordinationes ad tuum munus spectantes memoria teneas. M. *Mense* quolibet omnia cubicula visites, & cunctos singulatim interroges, an ipsis aliquid desit: & quæ necessaria erunt, statim prouideri procures. N. *Nunquam* vllum reprehendas, aut moneas, aut punias tunc, dum te sentis iratum: etiam si iusta causa sit irascendi: sed id facias (si faciendum esse recta ratio dictauerit) postquam iræ motum sedaueris. S.Chrys. ho. 26. ad pop. *Siue increpes*, inquit S.Chrysostomus, *siue commoneas, siue quid facias, absque ira fiat & furore. Si enim increpans Medicus patiens est, quomodò poterit alium curare, qui se priùs afflixit, semet ipsum non sanans? Si quis Medicus alterum curaturus accederet, priùs habens suam manum vulneratam, ita ne curationem obibit? Absit. Similiter & tu ne tunc increpes, ne commoneas.* Si verò habueris aliquid contra aliquem, non diu id coquas intra te: sed vbi te liberum senseris ab omni commotione animi, & videris subditum bene dispositum, eo aduocato, placidè & benignè, etiam quoad speciem vultus, interroges priùs, an ita se res habeat: & si videris rem veram esse, tunc primùm moneas, vel corrigas alia ratione, sine irati animi signo: vt subditus non ægrè iustam admonitionem vel correctionem acceptet. Des quidem operam domi, ne vlli publici sint defectus contra obedientiam, & caritatem, vti sunt irreuerentiæ erga aliquem è Superioribus etiam minoribus, verbo vel signo aliquo declaratæ, & denigrationes famæ alienæ: & si quid tale accidat, punias, sine humanis respectibus.

Sed modum habeas pœnas iniungendi suauem & lætum, sine vlla demonstratione animi irati vel perturbati, & cum amoris significatione erga puniendum. Ita enim fiet, vt & pœnæ alacri animo subeantur, & amor ac confidentia erga te Superiorem remaneat. O. *Orationi* præ cæteris incumbere debes. Sed caue ne des *Occasionem* cogitandi tuis, quòd suspicionibus labores, aut alicui non fidas. Occasiones huiusmodi esse solent, si sine causa rationabili suspicandi, inquiras à domesticis, vel socijs exeuntium, quid hic vel ille egerit, dixeritque. *Cauenda hæc in re*, inquit Lancicius, *nimia iustitia: qua si carueris, per se alij non interrogati referent de alijs quæ dici oportet. Amor enim & confidentia erga Superiorem citiùs & faciliùs referenda referet; quæ suspiciosa inquisitio vel non assequetur, vel nonnisi cum magna perturbatione, & diffidentia subditorum.* P. *Pœnitentiam* aliquam inflicturus, præsertim grauiorem, vt est, in terra comedere, vel disciplinam subire, nunquam iniungas, non priùs subdito audito, & interrogato. Qui si neget culpam à se commissam, & conuinci non possit, satius est abstinere à *puniendo*, quàm inuitum cogere ad *pœnam*, ex qua coactè suscepta, non sequitur emendatio, sed amaritudo cordis, & auersio à Superiore; quæ longè maiora sunt mala, quàm bonum sit coacta *punitio*. Si verò subditus suam culpam agnoscat, & se iudicet *pœna* dignum, imponat ei sine vllo signo commoti animi, sed potiùs ex amore conseruandæ disciplinæ, vel satisfaciendi pro scandalo, vel impediendi ne ab alijs similia committantur. S. Ignatius, vt scribit Ribadeneyra, si quid à quopiam esset commissum, quod pœna expiandum iudicaret, studiosè dabat operam, vt qui in culpa esset, culpam agnosceret: eamque non verbis, sed rerum pondere exagerabat. Tum vt pœnæ modum ipse sibi statueret, qui deliquerat: de qua tamen pœna, si grauis videretur, multum ipse detrahebat Ignatius. Ita fiebat, vt integra beneuolentia, nil tamen esset impunitum. Se verò ab errore reuocantes æquè complectebatur & suscipiebat, ac si nihil deliquissent: vt præsenti beneuolentia illorum minueret verecundiam; & omnem errati memoriam sempiterna obliuione deleret: nec vulneribus modò, sed cicatricibus etiam medebatur. Id verò in obiurgationibus obseruabat, vt, sermonis grauitate adiuncta, acerbitas tamen omnis abesset, neque verbo morderet quenquam, sed rerum seria explicatione compungeret. Neque enim quenquam, cùm asperiùs etiam obiurgaret, vocabat aut non obedientem, aut superbum, aut inertem & pigrum: sed quid cuique inesset vitij rei explanatione ostendebat: multò minus Laicum fratrem Rusticum appellasset. Quæ omnia P. D. Petrus Iardi-

Lancic. loc. cit. num. 21.

Ribad. in vita S. Ign. lib. 5.

na è nostris egregiè, vt in eius vita descripsimus, non sine multorum admiratione cauebat, B. Laurentij Iustiniani monitum sequens: *Frater, mandante Domino, corripiatur blandè ac dulciter: nam mollibus potiùs, quàm duris sermonibus, compungitur animus delinquentis*. Idemque ex S. Isidoro Pelusiota doceris. *Qui enim*, inquit, *optima mediocritate vtuntur, ij nec contumeliam inferunt, nec adulantur: sed verborum libertatem ac licentiam pudore, atque obiurgationem suauitate condientes; ita demum ad eos, qui sui ignoratione laborant, curandos veniunt*. Q. *Quanuis* necessarium sit attendere omnibus, vt suo officio bene fungantur; tamen nihil facies immediatè per te, quod spectet ad munus officialis subordinati: excepto casu, si tunc officialis ille domi non esset, & res non posset sine incommodo vel damno differri. Sed vt scripsit S. Ignatius, instar excelsi cuiusdam motoris, Orbes tibi subiectos, æquabiliter & cum grauitate ciere pergas: à quibus deindè vt à proximis causis, propria vtriusque effecta proueniant. Quod si feceris, & plura, & magis tuo muneri conuenientia, sine tumultu ac trepidatione confeceris. Prætereà illud est, in hac ratione commodi, quòd si quid in agendo peccetur, eius peccati præstat in tuis administris, quàm in te residere culpam: ac multò magis decet, quicquid ipsi deliquerint, corrigi abs te, quàm si tu erraueris (quod perfacile est singula curiosiùs persequenti) te ab inferioribus emendari. R. *Remittendi* animi tempore, summo studio attendas, ne nimij quidam risus siue cachinni, & vox clamosa, ab externis præsertim hominibus audiantur: & ne sermones detractorij fiant, aut valdè contentiosi. Tum si *Religiosum* aut alium Hospitem ad prandium inuitaueris; ex Lancicio, *des ei tuum locum, & ipse inferiorem occupes*. S. *Silentio summoperè studeas*, & *sacristiæ* rebus necessarijs instruendæ. T. *Tales* libros legere in mensa facies, qui non sint difficiles ad intelligendum: vti sunt Annales historici, disputationibus controuersis, & annorum ac historiarum secularium combinationibus intricati: sed qui ad mouendam pietatem, non ad docendum dumtaxat intellectum sint apti. Quocircà non nisi libri merè spirituales diuersorum, ad solam voluntatem pietate instruendam, & pijs affectibus excitandam, communiter hodiè legi solent: vti sunt Vitæ Sanctorum quorumcunque Ordinum, & alij tractatus spirituales: quorum auditione (si lector valde lentè, & non festinanter, & vno æqualique semper tono, nec attollendo nec demittendo vnam syllabam leget) vehementer excitantur animi ad amorem & studia pietatis, non minùs quàm in deuota meditatione matutina & meridiana. V. *Vestes* pro te ex panno meliore non cures, quàm pro alijs Sacerdotibus. Et quantum fieri

B. Laur. de disc. & perf. mon. conu. c. 4. col. 6.
S. Isid. lib. 3. ep. 121.
Maffeius lib 3. cap. 10.
Lanc. lo. cit. num. 28.

poteſt, ipſe potiùs neceſſitates temporales ſubditorum præuenias, quàm expectes vt ab ijs proponantur. Imò quoad neceſſaria & recreatiua ſuppeditanda, omnes à te ſubditi ita tractentur, ſicut tractari ſolent à Parentibus filij paruuli: quoad modum verò agendi & procedendi cum ſubditis, eo à te modo tractandi ſunt, quo tractantur ab honeſtis & diſcretis parentibus filij adulti in matrimonio collocati. X. *Xpi* ſuauem ac leuem iugum, caue, ne tua culpa ſubditis aſperum ac grauiſſimum reddas. *Aſper & grauis eſt Superior*, inquit P. Claudius Aquiuiuus, *cùm, nimiùm credulus, primis quibuſque delationibus tenaciter adhæret, nec ab ijs ſe abduci patitur. Aſper eſt, cùm quaſi omnes tranſgreſſiones æquales ſint, eaſdem minoribus, quas maioribus pœnas decernit. Aſper eſt, cùm ijs, quæ ſola monitione corrigi poßunt, acriora adhibet medicamenta. Aſper eſt etiam, cùm loci & temporis momenta, & opportunitatem expectare neſcit: cùm errata, quæ ſecreta correctione emendanda fuerant, ita palam facit, vt ſubditum confundat: cùm in corrigendo iracundia magis agi, quàm Zelo & caritate duci, ſe oſtendit; verbis, ac geſtibus, incompoſiti ac perturbati animi ſigna exhibens: quæ non modò nihil conferunt ad conſequendum quod ſibi propoſuit, ſed etiam maximè nocent. Nam cùm duo ſint, quæ in ſubditorum animis, cùm caſtigantur, plurimùm valere ſolent, alterum reuerentia, quæ erga Superiorem afficiuntur, ex opinione de illius virtute ac probitate concepta: hæc ſanè opinio debilitetur neceſſe eſt, cùm illum vident hominem ſimilem alijs, non minùs quàm alios, ad paſſionum impetus expoſitum: alterum, perſuaſio, quâ ſe diligi credit: hanc certè minui neceſſe eſt, cùm quis viderit Superiorem, neque paternè, neque amanter ſecum agere. Aſper denique eſt, cùm omnino is, qui præeſt, non oſtendit ſe ex caritate moueri, & deſiderio perfectionis filiorum: cùm reprehenſionis auſteritatem non temperat dulcedine ſpei, quam de illorum emendatione atque profectu præſeferat.* Nec cotemnenda eſt Balthaſſaris Aluarez admonitio: *In paruis rebus non ſis valde ſeuerus, quaſi ipſe valde eſſes iuſtus, nec frequens ſis in reprehendendo. Sic enim gubernatio redditur grauis ac dura, & ex frequentatione vileſcit, nec ſentitur dum adhibetur.* Et demum P. Lancicij monitum audiendum: *Nunquam des, aut dari cures, vel permittas vlli è tuis pœnitentiam tempore cœnæ: alioqui fortè pauperculus malè dormiret, ſed reſerues talia proprandio: niſi quid aliud valdè graue vrgeat, ob quod non debeat differri pœnitentia ad diem ſequentem, quod rarò poteſt contingere.* Y. *Infirmitatem* falſam in Monaſterio, nonnulli ſunt, qui prætendunt: de quibus loquitur S. Iſidorus in reg. 21. & S. Petrus Damiani in opuſculo 49. & exemplum habes in ſermone 9. S. Dorothei: & eiuſmodi melancholicos in Monaſterijs inueniri docent Iulius Nigronus, & Benedictus Haeftenus. Cauet-

Claud. Aquiu. in Epiſt. pag. 103.

Vita B. Al. cap. 23. fol. 267.

Lanc. to. 2. opuſc. 12. & cap. 19. num. 47.

S. Pet. Dam. in epiſt. 114.

que id S. Teresia in via perfectionis *cap.* 11. Et quidem cum talibus seuerè olim Patres agebant, vt patet ex Regula Magistri *cap.69.* sed te benigniorem præbebis, S. Bonauenturæ monitum sequens. Claudius Aquiuiuius has ait esse infirmitates humanas, tolerandas patienter, & curandas suauiter: monetque Superiorem ne virum bonum infirmitatem prætendentem facilè damnet, quasi imaginatiuũ, & fugitantem labores. Sed si ex medicorum relatu, & nonnullis signis, deprehendat aliquid esse admistum imaginationis & otij, tunc cautè procedendum. E nostris verò, Antonius Caracciolus, postquam S. Augustini verba, *Famulo Dei dicenti quid sibi doleat, sine dubitatione credatur,* Vmberti verbis explicuit, Præpositum monet, vt abstineat à subtili quæsitione. Præterquam, cùm viderit è cuiuspiam semper meliùs atque meliùs, nunquam bene se habentis, perpetuis medicationibus, Religiosam Ordinis Obseruantiam pessum ire, & ea illum arte laboribus sanctisque virtutum studijs facillimè se subducere. Z. *Zelo* flagres diuini honoris, ac domesticæ disciplinæ, & præsertim conseruandæ Apostolicæ Paupertatis. Et vt facilè omnem proprietatem extermines, pecunia domus non apud te, sed in arca trium clauium asseruetur. Quocircà Eremitæ Augustinienses ita decernunt: *Bona pertinentia ad Conuentum, seu Eleemosynas, Prior (quantum fieri potest) non recipiat: nullo verò modo apud se retineat &c.* Et Minorum Constitutiones Vrbanæ sacræ Congregationis decretum afferunt, hunc in modum: *Pecuniæ verò aliæque res quæcunque fratrum intra viginti quatuor horas tradantur Superiori in commune Conuentus ærarium reponendæ, triplicique claue custodiendæ: quarum vna penes Guardianum pro tempore existentem, duæ verò aliæ penes duos alios fratres singulo quoque anno per Conuentum eligendos conseruentur.* Idemque hodiè PP. Carmeliti Discalceati, Excalceati Augustinienses, ac multi alij prudenter obseruant.

I. Nigr. ad reg.17. com. Soc.I.nu.12. Aes.lib.11. disq.10. S.Bon.de sex alis Seraph. c.4. C.Aquiu. industr. cap. 12.

S. Aug. reg. c. 8. Humb. cap. 123. Caracc. in const. par.2. cap.4. nu.7.

Const.Erem. S. Aug. par. 3.cap.13.

Const.Vrb.in c. 3. reg. tit. 1.

DISQVISITIO QVARTADECIMA.

De Spiritualibus eorum Exercitijs, qui graue aliquod negotium obire, aut arduum iter agere, aut morum Reformationem inducere debent.

67 IN soluendis arduis, ac difficillimis rebus, eadem recollectione, & oratione opus esse, innuit Marcus Eremita, cùm ait: *Quando causam, aut negotium intricatum soluere animo decreueris, primùm fac in eo quæras, quod Deo placet, atque ita eius negotij com-*

Marc.Erem. c. de ijs, qui putent.

modam solutionem inuenies. Clariùs exprimit hunc secessum sanctus Gregorius: *Sancti viri*, inquit, *qui exterioribus ministerijs deseruire officij necessitate coguntur, studiosè semper ad cordis secretum refugiunt; ibique cogitationis intimè cacumen ascendunt: & legem quasi in monte percipiunt, dum postpositis tumultibus actionum temporalium, in contemplationis suæ vertice, supernæ voluntatis sententiam perscrutantur*. Et alibi de se ipso sic narrat: *Quadam die nimijs quorundam secularium tumultibus depressus, quibus in suis negotijs plerunque cogimur soluere, etiam quod nos certum est non debere; secretum locum petij, amicum mærori, vbi omne quod de mea mihi occupatione displicebat, se patenter ostenderet, & cuncta quæ infligere dolorem consueuerant, congesta ante oculos licenter venirent*. Obrutus aliquando sanctus Augustinus, iactatusque negotiorum his fluctibus, eandem ipse quietem, ac suauitatem captabat: *Hoc me delectat*, inquit, *& ab omnibus actionibus necessitatis, quantum relaxari possum, ad istam voluptatem refugio, neque in his omnibus, quæ præcurro consulens te, inuenio tutum locum animæ meæ, nisi in te quo colligantur sparsa mea, nec à te quidquam recedat ex me*.

S. Greg. l. 29. moral. c. 12.

Idē l. 1. dial. præf.

S. Augustin. l. 10. confess. c. 40.

68 Maximè autem in secessu ad orationem est recurrendum, quoties aut malo premeris, aut graue aliquod periculum imminet, aut insigne aliquod facinus ad Dei laudem vis adoriri. Habeo omnium exempla, quæ addam. Ita Daniel Nabuchdonosoris somnium interpretaturus, vt sibi, ac socijs Babylonijs, vitam seruaret, quos ille morti furens addixerat, *ingressus est domum suam, Ananiæque, & Misaeli, & Azariæ, socijs suis, indicauit negotium: vt quærerent misericordiam à facie Dei cæli, super sacramento istos & non perirent*. In quem locum, Ricardus Victorinus hæc ait: *Ad domus suæ penetralia recurrit: & ad orationis suæ negotia perfectiùs explenda, velut cooperatores quærit, quando instante iam orationis tempore, seu etiam vrgente necessitatis articulo, deuota mens solitam, & in id officij necessariam quietis suæ opportunitatem repetit: & prouidis quibusdam, & in eiusmodi vsum idoneis meditationibus deuotionem suam animare, seu inflammare contendit*: Item necessarium Danieli, ad quietem secedere, & idoneis Meditationibus exerceri. Necessarios etiam in hoc secessu cooperatores dixerat, circumspectionis, discretionis, & deliberationis affectus: *Quoties*, ait, *necessitas vrget deuotæ orationi vehementiùs incumbere; oportet nos ad circumspectionis, & discretionis, seu etiam deliberationis officia recurrere, & eiusmodi studijs, negotiosisque Meditationibus, animum nostrum ad deuotionem inflammare. Et hoc est, Danielem sociorum suorum suffragia in orationis suæ vsum adsciscere*. Vix secesserat; & diem orauerat Daniel; cùm nocte, illi Deus insomnium, & significationem

Dan. 2. 17.

 ape-

aperuit. Sanctus Stanislaus Polonus triduo ieiunijs, & orationi ſe dedit, vt Petrum pagi venditorem è ſepulchro educeret ad iudiciũ. Sic ſanctus Martinus, idolorum fanum euerſurus, cilicio tectus, ac cinere, ieiunans, & orans, per triduum precatus eſt *à Domino*, inquit Sulpitius, *vt quia templum illud euertere humana manu non potuiſſet, virtus illud diuina dirueret*. Rogatus verò à Lycontio, vt domui ſuæ, corporibus ægris oppletæ, ſuccurreret; ſeptem ipſos dies orando, & ieiunando conſumpſit, vt quod exorandum acceperat impetraret. Totidem cum ieiunio orauit S. Macarius, vt, ab iuuene obſeſſo, ingluuiei Dæmonem exturbaret. Sic Alexander, Conſtantinopolitanus Epiſcopus, cùm cogeretur à Conſtantino decepto Ariũ in communionem recipere, multas noctes, ac dies, vt narrat Socrates, in lacrymis precibuſque perſeuerauit, Deum obſecrans, vt Arius meritas pœnas exſolueret. Tum Iacobus, Niſibis Epiſcopus, adiuuans Alexandrum, hortatus eſt omnes, vt ſeptem dies in ieiunium, & orationem incumberent: quas ipſorum preces, inſperatò, mors Arij per viſcerum effuſionem in latrinam, eſt ſubſecuta. Et demum ſanctus Franciſcus Aſſiſias, Regulam contracturus, Vgolini Cardinalis ſuaſu; ſeceſſit in montem Carnerium: vbi, ieiunijs, & orationibus quadraginta dierum, Regulam ſcripſit: quam cùm Fratres non approbarent, redijt Deum conſulturus in montem, & iterum eandem deſcripſit, repugnante cum quibuſdam Fratribus ſeditioſis Elia, qui diuinas voces audiuit, vt Regulam ſine gloſſa ad literam obſeruarent.

Sulp. de Vita S. Mart. c. 12. Idem dial. 3. cap. 18. Pallad. hiſt. laus. c. 19. Socr. l. 1. hiſt. Eccl. c. 25. Card. Bar. t. 3. an. 336. Chron. Mino. 1. l. 2. c. 7.

69. Inter negotia etiam, quę non ſine hoc ſeceſſu, & recollectione, ſunt pertractanda, poni ſolet magni Principis (qualis eſt Pontifex Maximus, Rex, aut Imperator) aditio, pro graui, ac publica cauſa, præſertim ſi eſſet iratus. Et id in Romano Pontifice adeundo, nos docuit ſanctus Carolus; qui Romam ad Gregorium XIII. profecturus, vt grauiſſima ſuæ Mediolanenſis Eccleſiæ negotia pertractaret, primùm ſe ad Camaldulenſem Eremum contulit: vbi, in vnam ex domunculis ſe ſe abdidit; quæ multæ ſunt, in ſummi Montis planitie, ad ſingulorum Eremitarum vſum: & dies aliquot ſolus orauit. Vtque ſanctum Carolum imitati fuerint, è noſtratibus, Franciſcus Olympius, cùm ad Gregorium XV. & Petrus Auitabilis, cùm ad Vrbanum VIII. ſe contulerunt, ſi Deus annuat, in eorundem Vitis deſcribam. De Imperatore, ſancti Martini documentum habemus: qui vt ſibi ad ſuperbum Principem Valentinianum ſeniorem, tentatum ſæpe aditum aperiret; *Recurrit*, inquit Sulpitius Seuerus, Exercitia hæc ſignificans) *ad nota præſidia: cilicio obuoluitur, cinere*

Carol. Ep. Nouar. l. 5. vita S. Caroli c. 7. Gluſſius l. 6. vita S. Caroli c. 1.

Sulp. ſeuer. dial. 2. §. 6.

conspergitur, cibo potuque abstinet, orationes diebus noctibusque perpetuat. Septimo verò die adstitit ei Angelus: iubet, ad palatium ire securum: spondetque, tum regias sponte fores reseratum iri: tum spiritum Imperatoris superbum, durum, emolliendum. De Rege autem monendo, est sancti Ioannis Præcursoris exemplum; de quo hæc sanctus Ambrosius: *Ioannes quoque in deserto adoleuit, & constantiam illic priùs exercuit, vt postea Regem increparet.*

70 His adderem noui Ordinis, aut instituendæ primùm Domus, aut inducendæ Reformationis, initium; cuius rei penè equidem innumera in omnium Religionibus sunt exempla. Et planè olim Seruitæ, cùm in Senarium Montem, colendi Dei solius gratia, Beatæ Virginis monitu, concessissent; demum, post aliquot annorum secessum, non vno cæli prodigio impulsi, vt in proximorum salutem incumberent, Florentiam rediere. Hoc solenne etiam nostris Conditoribus fuit; qui Romæ olim Montem Pincium, Parœciam Sanctæ Euphemiæ Venetijs extra Vrbem, Veronæ Hortos Nazarenos, Neapoli extra Portam Ianuariam domicilium, ad tempus, ob Spiritualia Exercitia, incoluerunt: mox enim, & Thienæus, & Carafa, amplissima Vrbium loca suscipere, & ignem, quem diuinitùs ex alto conceperant, in alios etiam spargere, non sunt veriti. Similiter S. Ignatius, ex Maffeio *in vita lib. 2. cap. 4.* Ribadineyra *lib. 2. cap.* 8. & Orlandino *lib.* 2. §. 15. cum Iacobo Laynio & Petro Fabro in Vicetiæ suburbana domuncula, quadraginta dies orantes & ieiunantes propemodùm latuerunt; vt deinde Vrbem ingressi, Ciues ad meliorem viuendi rationem dirigerent. Sic admirabilis Mater nostra, Eremitarum Monialium Institutrix, in sui Montis secessu fore duodecim Sacerdotum domum prædixit; quibus, & si arcta in solitudine primùm degent, futurum tamen adiecit, vt hominum Reformationem Christianus planè Orbis acceptam ferat. Hoc ipsum Nepti eius ostensum fuit. Subijciam aliquot eius verba, vt certatim omnes, & præsertim nostri secessum ament, & solitudinem quandoque ad tempus petere non omittant: *Ad Eremũ, ait, duodecim Presbyterorum domus est construenda: quos, ego, inquit Dominus, mihi deligo Sacerdotes, similiter, atque delegi olim Apostolos, & super his requiescam, & imbuentur Spiritu sancto. Hi Sacerdotes, futura Vrbis mala prospicient: & à me exorabunt vt parcam, & magnum fructum referent animarum: eruntque veluti inopiarum Vrbis auscultatores. Faciam, vt Antistes, & Prorex, horum consilio moderentur; & longinquarum Regionum homines vt hos consulant in difficultatibus suis. Quin adhuc Pontifex Summus, qui vicem meam gerit in terris, faciam, vt in arduis rebus sen-*

tentiam ipsorum exploret: his quippè me, reuelata facie, demonstrabo: eruntque, veluti indigentibus panis, afflictis solatium, & quasi lampades in rebus obscuris. Itaque tot veluti funalia, coram me, & hominibus erunt: & ob præclara facinora, quæ me operante patrabunt, vocari poterunt perfecti apostoli, doctores, & cari mihi familiares, atque omnibus perfugio erunt. Et quanquam N. versantes in recessu dicentur; suæ tamen quietis ob auxilium animarum obliti, petentibus consilia dabunt: immò sine rogatu palam loquenter quicquid ipsis à meo spiritu demonstrabitur. Et aliquot interiectis, hæc subdit: *Ad horum exemplum, quamplurimi Religiosi congregabuntur, & ab his Mundi Reformatio exorietur.* Faxit Deus, vt hæc, per quoscunque ipse velit, nostra saltem ætate contingant! Vides hinc certè, paucorum capitum secessu, cunctum ferè Orbem ad nouam morum Reformationem impelli. Hoc ipsum in nostris Conditoribus olim fuit, dum in Monte Pincio delitescerent; quod Luthero, impio veteratori, adeò terrorem incussit, vt palam ipse suis inclamauerit, *Magnum sibi Romæ bellum parari.* Fortè relatæ hactenùs prædictioni, Vaticinium quadrat, quod Cornelius à Lapide, apud Petrum Galatinum, in Bibliotheca Vaticana, legisse narrat, *de ætate Pastoris Angelici; qui admirandæ humilitatis, & sapientiæ erit: habebitque duodecim Apostolos instar Christi: cum quibus reformabit, & primo sub Apostolis splendori restituet Ecclesiam.* Hæc ille, qui subdit tamen: *An rectè, & verè, posterorum ætas docebit.* Hanc *Reformationem*, & ipsos etiam *Solitarios Sacerdotes*, pluries prædixit sanctus Franciscus Paulanus, inclytus Patrum Minimorum Fundator, B. Ioachimus Abbas, S. Vincentius Ferrerus, alijque per multi, quorum verba à me alibi referuntur.

Sil. hist. l. 2.

Cornel. in Apoc. c. 20. fol. 285.

71 Planè Clericis Minoribus gratulamur, quòd præter Exercitiorum domos, vt dicunt, Nouitiatus, & Collegia, aliud domicilium instituere debeant, quod *Recessum*, siue *Eremum*, siue *Eremitorium* vocent: vbi prorsus à secularium conuersatione seiuncti, Aediculam intra Claustrum frequentent: & arctiori silentio obstricti, ac Mysticæ tantum Theologiæ studijs occupati, vitam Angelis simillimam colant. Has easdem *Eremos*, habent Carmelitæ Discalceati, vnde quem ipsi spiritus feruorem ac fructum referant, nos pluries indicauimus. Venerabilis tamen Mater nostra hunc secessum in sua primùm Congregatione sic instituerat, vt duodecim semper Virgines, ab aliarum conuictu & consuetudine sequestratæ, & silentium, & orationem vicissim tenerent, ac Sponsi qui suas in solitudinem vocat, suauissimo alloquio fruerentur. Eundem hunc ritum, Panormi, olim, celeberrimi Cœnobij Moniales, quæ inter Cælites

Relatio de Ven. Relig. PP. Cler. RR. Min. Lycij edita 1645. fol. 21.

Constit. Car. Discalc.

Diuam Catharinam Tutelarem, & Ordinis Conditorem Diuum Dominicum colunt, dum earum confessiones audirem, in suo ipsarum Collegio restituere cogitarant. Iamque certatim omnes, & solitarias cellas intra claustrum exædificari, & secessum institui, & deligi virgines, exoptabant: nimirum expertæ, paucorum dierum silentio ac solitudine, qua vel à me vel ab alijs spiritualia Exercitia acceperant, quantus seuerioris disciplinæ ardor ipsarum aliquot incessisset. O vtinam in cunctis seu virorum seu mulierum Monasterijs, ad placandum Diuinum Numen, & ad morum emendationem exorandam, vicissim aliquot excubarent! Planè primæui cuiuslibet instituti vigor iterum efflореret: & passim aboleri radicitùs vitia, germina virtutum erumpere, omnes eripi diabolo vires, & vbique regnare Dei caritas, & sanctitas, Christiana in Republica, videretur. Qui enim, inter Religiosos probioris notæ viros, inuenirentur; qui secessum, quem Camaldulenses, Cartusienses, & alij quàm plurimi perpetuò in vita colunt, si opportunitas ferret, petere aliquãdo, ad breue aliquod temporis spatium, detrectarent? aut quæ inde morum emendatio, Christianæ Reipublicæ vtilitas, & cuiuis Ordini commoda non effluerent? Verùm inuidissimus Dei hostis Diabolus, adeò pertinacissimè hominum reformationem abhorret, vt omnem lapidem moueat, quin eiusmodi recollectioris vitæ Cœnobia, vel Cubicula, instituantur: quippè de his, vt in historijs aliorum obseruo, si plerunque aliquis in Monasterio verba fecerit, statim libertatis, & otij cupidos, & sanctioris disciplinæ, ac vitæ austerioris osores, & alios alioquì probos, at sui Ordinis plus nimio amantes instimulat, vt quasi exitialem, & imminentem iam iam Ordini cladem auertant, exertis vndique viribus opponantur. Putant enim, si ad eas domos probioris vitæ viri secesserint, minùs probos, omnem apud seculares existimationem amittere, & turpissimè in vitia, non amplius fræno coercitos, omnino dissolui. Illis autem, & singularitatis amorem, & nouitatis cupidinem, & superbiam exprobrant, quasi hoc vanissimè tentent, ac passim iactant: Quid opus secessu; si possint etiam inter alios sibi ipsis attendere, & sine turpissima singularitatis nota, si velint, eodem in Cœnobio fieri sanctiores? Sed meo, & aliorum iudicio satis errant. Hæc quippè duarum classium proborum & malorum Religiosorum commistio nihil iuuat; imò altera palam alteri obest: & si vni secederent, si non improbi probi, at certè probi ipsi ad sanctiorem Dei cultum, & disciplinam seueriorem contenderent, magno totius Ordinis, & Christianæ Reipublicæ emolumento. Hoc ipsum didici ex multorum historijs. Sed

hic Ioannes Petrus Carafa, alter nostri Ordinis Conditor, audiendus, cùm F. Bonauenturã, Franciscanæ Religionis Prouincialem Ministrum, quem Venetijs ad Pontificem allegauerat, sic instruxit: *Quod verò ad eos attinet, paucos quidem ac probos viros, qui quod Deo vouerunt, laudabile institutum sartum tectum, seorsim viuentes, volunt; planè id Pontifex nunquam negauerit. Quinimò etiamsi id ipsi non efflagitauerint, posset, & deberet fortasse eos cogere. At quia ignarum vulgus dicet, posse quidem inter ipsos vitam quemque in omni virtutum laude ducere, ipse collato propiùs pede cum omnibus tam bonis, quàm improbis, contendam, huiusmodi esse nunc eius Congregationis statum, vt absque insigni quadam Reformatione, non modò Diui Francisci Regulam obseruare, sed neque de ea loqui quis possit: quod gentium omnium testimonio sensuque manifestius longè est, quàm vt probari argumentis petat. At, ruet prorsus Ordo, si boni ab sodalitate diuellantur. Certè qui hæc sibi persuaserit, sciuerit ille alia quidem multa, huiusce tamen rei pondus videtur prorsus ignorare. Etenim poscit Religionis ratio, vt sint omnes vnanimes in domo; vt de primæua illa felicique Religiosorum Sobole dicitur: Erat cor vnum, & anima vna. atque à dissimili hac mistura morum ita nihil boni sanctique expectandum, vt mali quidem non modò ad bonam frugem non euadant, verùm deteriores in dies fiant. Itaque ad Orbis bonum, ad eorum quæ memorauimus, ad vberiorem feliciorem que optimorum Concionatorum, ac Confessariorum numerum, simul & hunc aditum & misericordiæ viscera, aperiat necesse est Sanctitas sua egregijs pijsque viris, qui synceriorem disciplinam, cultumque complecti cupiunt: quorum sanè voces ad aures Numinis pro Sanctitatis suæ incolumitate, ac Sedis Apostolicæ dignitate perorabunt. Nec illorum dolos, ac deceptiones audiet, qui non quidem meliora afferunt, suadentque: sed Prædecessorum exempla premat, qui cùm corruptam Religiosorum hominum communem rem diuino quodam lumine cernerent, nil priùs habuerunt, quàm vt in illa redintegranda operam ponerent; hoc est, paucos illos viros vnà cogerent, qui absolutam Ordinis disciplinam, & possent, & perciperent obseruare: quorum postea exemplorum luce ad eandem laudem reliquos inflammabant vrgebantque.* Hæc reformandorum Ordinum & hominum peritissimus. Audiant Religionum Protectores, Abbates, Magistri, Ministri, Præpositi, Rectores etiam Generales, & qui priscam iterum disciplinam restituere amant, aut opportunè prospicere, ne sua cuiusque omninò Religio pessum eat.

Sil. hist. par. 1. lib. 3. fol. 105.

DISQVISITIO QVINTADECIMA.

De Spiritualibus Exercitijs ob Persecutionem, siue temporis aut rei alicuius acerbitatem, æquo & miti animo sustinendam.

2. Tim. 3. 13.

72 CVm planè illud verissimum sit, *Omnes qui volunt piè viuere in Christo, persecutionem patiuntur*; si non pateris persecutiones, inquit sanctus Augustinus, *non vis piè viuere in Christo. Vis probare verum esse quod dictum est? incipe piè viuere in Christo.* Hæ autem, nisi oratione, ac secessu, non liniuntur: & ideò qui tribulationibus acti & iactati sunt, & qui mundi scandala, & temporum calamitates, acerbissimè ferunt, hos docet idem sanctus Augustinus, ad solitudinem vehementiùs anhelare. *Plerunque*, inquit, *surgit in animo serui Dei desiderium solitudinis, non ob aliud, nisi propter turbam tribulationum, & scandalorum, & dicit: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* In quem sancti Augustini locum, mirificè quadrat, quod Lucas Vvadingus, de Franciscanorum Patrum more, ab ipso Ordinis exordio, narrat: *Frequenter oriebatur in primæuis illis Minoribus solitudinis desiderium, non ob aliud, nisi propter turbam tribulationum, & popularium scandalorum, à quibus liberari volebant.* Et easdem sancti Augustini pennas, eandem quietem, & solitudinem exoptauit sanctissimus Pontifex Paulus Quartus, dum in purpura esset, & vndique Hæreticorum turbas, hominum peruersitatem, & solutam morum disciplinam videret, nec ferre posset. Itaque, vt docet Iosephus Silos, ad sui amicissimum, Cardinalem Contarenum, hæc scripsit: *Ista rerum omnium perturbatio, in qua peccatorum nostrorum merito versamur, ac, vt vides, nisi Dei benignitatis occurrat, versabimur, ita deiecit animum, ita me ab omni actione non auertit solum, sed etiam deterruit; vt totus iam conuersus sim ad detestandam industriam meam, qua sub sole studiosissimè laboraui. Vndè cessauit, renunciauitque cor meum, vltra sub sole laborare. & dixi cum Propheta: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Sed si vt plurimùm ita ligaris, vt auolare omninò non possis; quod Cardinalis Theatinus dolens iterum adiecit his verbis, *Funes peccatorum circumplexi sunt me*; pete tamen solitudinis quietem ad tempus, & in secretum locum abditus, mœrentem animum spiritualibus Exercitijs consolare. Sic Sara, filia Raguelis, & vxor postea iunioris Tobiæ, audito petulantis ancillæ improperio, septem virorum interfectricem eam appellantis, secessit ad orationem. *Ad hanc quippè vocem*, vt

S. Aug. in ps. 54.

Idem ibid.

Frater Lucas Opusc. S. Frãc. t. 3. collat. 3. fol. 291.

Sil. in hist. cler. reg. lib. 6. an. 1541. fol. 227.

Idem ibid.

Tob. 3. 10.

in sacra habes historia, *perrexit in superius cubiculum domus suæ; & tribus diebus, & tribus noctibus, non manducauit neque bibit: sed in oratione persistens, cum lacrymis deprecabatur Deum, vt ab isto improperio liberaret eam.* Beatus Norbertus, Præmonstrati Ordinis Institutor, eandem ob causam, ad suburbana Religiosorum Cœnobia secedebat. *Sæpius autem*, inquit Vitæ autor, apud Surium, *ad quendam Eremitam, nomine Lidulphum, miræ sanctitatis, & abstinentiæ virum, Clericorum vitam agentem. Ad huiusmodi autem viros confugiebat, causa recreandi spiritum, quotiescunque persecutiones patiebatur ab ijs, quibus verba veritatis erant molesta: tum etiam vt inter eos, & sanctæ vitæ addisceret instituta, & spei cælestis susciperet incrementa.* Sed si Martyrum, & primorum Christianorum historias euoluamus; quid? nonne, quoad plerunque detonaret tempestas, in cœmeteria, in cryptas, & siccas etiam in cisternas, omnes, aut singuli secedebant. Porrò *Elongaui*, inquit Dauid, *& mansi in solitudine*, cùm Saulis persecutionem effugeret, vt est in primo Regum: quod prophetice ita Cassiodorus de Christo, ad nostram eruditionem, intelligit: *Elongauit à persequentibus, vt occasionem iracundiæ insanis mentibus abrogaret: mansit in solitudine, vt imperturbati secreti puritate frueretur. Tali facto nos commonens, vt quando iniquitatis alicuius fasce deprimimur, in secreto conscientiæ quiescere debeamus.* Siue vt habet sanctus Augustinus, hunc eundem locum exponens: *In conscientia, quò nullus hominum intrat, vbi nemo tecum est, vbi tu & Deus es.*

Sur. in vita Norb. cap. 6. Iun. 6.

Ps. 54. 8. 2. reg. 21.

Cassiod. in ps. 54. Mar. 1.

S. Aug. in ps. 54.

DISQVISITIO SEXTADECIMA.

De Spiritualibus Exercitijs, ob Præparationem ad Mortem.

73 QVi bonitatem argenti vel etiam auri, de fodinis eruti, iussu Regis explorant in Occidente, antequam vel distrahatur, vel cudatur in pecuniam, vel deferatur in Europam; inter experimenta illud in primis ponunt, vt argenti particulam primùm accuratissimè expendant, artificis statera iustissima: deindè, vrceolo fictili solidissimæ materiæ inclusam igni vehementissimo recoquendam imponant; tum iterum examinent, eadem trutina: quod si ferè idem pondus reddiderit argenti, idem auri, particula recocta, quod antea; qui huic examini præsunt, argentum aurumque totius massæ, purum purum esse decernunt. At

Ios. Acosta l. 4. hist. natur. ind. cap. 13. ap. Iul. tr. 6. c. 5. nu. 30.

in hac probatione, ſecedunt æſtimatores Regij, in cubiculum à ventis tutum, claudunt feneſtras, lumen adhibent, iubent aſtantes ſilere, vetant teſtes ſe ſe commouere, & verò etiam interſpirare vehementer: ne ſtateræ iactetur examen, ne lances agitentur motu, qui fallat exploratorem, in accurata probatione leuiſſimæ portionis, vnde grandis maſſæ pendet iudicium. Nonnè igitur, in diſcuſſione totius vitæ, in examinando pretio meritorum, in conferenda pœnitentia cum peccatorum numero, ac grauitate, in comparandis bonis operibus cum actionibus prauis, neceſſarius eſt receſſus ab interuentoribus liber, neceſſarium lumen, ſilentium, quies: ne turbetur explorans animus: ne examen agitatum, in errorem explorantem inducat?

Sil. hiſt. l. 10. an. 1559.

74 De Paulo Quarto ſanctiſſimo Pontifice, ac Theatinorum Parente Maximo, hæc Silos: *Curis exoneratus, componere extremam vitam, attentiore quodam ſtudio potuit, cœpitque. In ſacellum recipere ſe ſe, veluti in ſinum tranquillitatis, ibique diuinorum commentationibus ſacriſque impenſiùs operari.* Et quidem his ſpiritualibus Exercitijs, adeò ad æternitatem in receſſu ſe comparauerat, vt inſtantis migrationis admonitus, placido atque hilari vultu cecinerit: *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.* Cùm ſtatim vegeto animo, & corpore, ac præ gaudio exiliens, puriſſimam animam exhalauit. Sic Bernardinus Scottus, Cardinalis, qui Chriſtianum & ipſe Orbem adminiſtrauerat, ac inſignis ille Epiſcopus Aſaphenſis ex Anglia, ſe ſe ſacerdotijs abdicarunt, vt demum in receſſu, ac benè præparati, vitam finirent. Sed noſtris temporibus, Alexandri Peregrini, diuini honoris, zelo ac vitæ innocentia, celeberrimi Sacerdotis, exitus, admirabilis fuit. Romæ, adhuc ſenex, bona ac firma valetudine erat: cùm, in receſſu, ſpiritualibus Exercitijs ita ſe communiuit, & ad mortem bene excipiendam inſtruere cœpit; vt quotidie ſtratus humi vel lecto, atque ad migrationem compoſitus, ſtata hora recitari ſibi à ſuo Directore preces petierit, quas Romanum Rituale, pro omnium agone, præſcribit. Vix Exercitia protraxerat ad quindecim dies: cùm morbo correptus, inſtantem mortem, ijs veluti precibus inuitatam, ſuauiſſimè ſenſim excipere videbatur. Itaque, vt exitus ſui momentum præuidit, annuit ægrorum Præfecto, vt pro more Patres accerſerentur; nam pridem hoc prohibuerat, quòd abeundi tempus non dum adeſſe affirmaret. Coactis igitur ſtatim Fratribus, inter ipſorum preces, lætus, atque hilaris, magna omnium admiratione, deceſſit. Similem in modum, Petrus Auitabilis, Miſſionum Præfectus, qui plures annos pro ſalute mul-

 tarum

tarum gentium in Iberia, & India, laborauerat; cùm sibi lethum instare palam dixisset, secessit ad spiritualia Exercitia decem dies. Sed his in summa, vti solebat, vitæ abstinentia, & corporis afflictatione consumptis; reuersus ad suos, mortem, sibi, quasi propiùs immineret, opperiri alacri animo videbatur. Nulla tamen aut mortis, aut morbi sano homini indicia irrepserant; cùm, pestifera cum repentè febris incessit, & cæteris partim mœrore partim admiratione suspensis, deuexit ad superos. Sed cùm domestica habeamus ob oculos ferè in singulos dies, veterum aliquot exempla, ad nostram eruditionem, intueamur. Franciscus Assisias, vt narrat Diuus Bonauentura, *biennio antequam spiritum redderet cælo, diuina prouidentia duce, post labores multimodos, perductus est in locum excelsum seorsum, qui dicitur Mons Aluerniæ.* Vbi cùm quadragesimam, ad honorem sancti Michaelis Archangeli, ieiunasset; susceptæ contemplationis dulcedine abundantiùs solito superfusus, Crucifixi Amoris vulnera in se recepit. Sanctus Stephanus Iunior, cùm suam ipse migrationem prospiceret, ministram, à qua quotidie panem acceperat, sic affatur: *Ad quadraginta vsque dies prorsus mecum ipse versari, ac memet excutere cupio. Peto igitur abs te vt panem eum & aquam, quæ ad me afferre consueueras, per hos dies ne afferas.* Causam addit: *Noui mihi vitæ finem imminere, ac propterea monasticæ Exercitationis rigorem etiã atque etiam intendere gestio.* Sanctus Cuthbertus, vt est apud Bedam, exitus sui præscius, antequam vita decederet, deposita cura pastorali, secesſit in Insulam, vbi duos menses multo se districtionis rigore constrinxit, & obijt. De sancto Gregorio, Armeniorum Patriarcha, D. Clemens Galanus, è nostris, meus olim Comes ad Iberos (qui exemplo primùm, & verbo, ac editis etiam voluminibus, Armeniam illustrauit) in Reconciliatione Armenæ Ecclesiæ cum Romana, sic habet: *Postquàm denique* (Gregorius) *Armenam ab ipsomet institutam Ecclesiam annos 30. sanctissimè gubernauerat: vt spiritum suum silentio, & cælestis contemplationis dulcedine, opportuniùs in solitudine recrearet; in secretiores Armeniæ montes secessit: vbi arctioris vitæ instituto, assiduo ieiunio, senioque confectus, obdormiuit in Domino supra montem Siepul.* Et demum sanctus Fulgentius, vt alios taceam, *anno ferè antequàm de hoc seculo raperetur, profunda cordis compunctione permotus, reliquit subitò Ecclesiasticas occupationes: & de ipso quoque Monasterio suo secretò secedens, ad Insulam Cirtinam, paucis comitantibus fratribus, nauigauit: vbi, in breui quodam scopulo, cui nomen est Chilmi, vbi iam Monasteriũ fabricari mandauerat, lectioni, & orationi, ac ieiunijs vacans, veluti sciret appropinquare sibi nouissimũ diẽ, sic ex toto corde suo pænitentiã egit.*

D. Bo. in Vita S. Franc. cap. 13.

Autor Vitæ S. Steph. iun. M.

Beda to. 3. in vita S. Cuth. c. 34. 36. 37. Galan. p. 1. c. 2. nu. 74.

Autor vitæ S. Fulgen. ca. 30.

DISQVISITIO DECIMASEPTIMA.

Quo ritu, ob præparationem ad mortem, spiritualia nos obire Exercitia debeamus.

75 NOlim tantùm nostros homines in secessu, incerto vitæ tempore, cùm postrema abeundi dies imminet, exerceri: sanctiùs aptiùsque quotannis, vt paremur ad mortem, spiritualia Exercitia disponemus. Iacobus Aluarus, in suis institutionibus, docet hanc praxim: *In vnoquoque ergo tuæ peregrinationis anno, ò Frater, vnam hebdomadam eliges, in qua huic præparationi ad mortem ex professo vaces. His septem diebus, corporis castigationes, virtutum actiones, sensuum, & affectuum mortificationes, & quicquid boni feceris, Domino offeres, in vnione sanctissimorum meritorum suorum, vt tui misereatur, & sanctam mortem tribuere dignetur. Ex eadem intentione, si Sacerdos sis, eisdem diebus Missam celebrabis; sin minùs, saltem spiritualiter communicabis, & hoc pane cælesti ad emigrandum te communies.* Tempore autem matutinæ, ac vespertinæ orationis, septem illa suadet, quæ Ludouicus Blosius ex Ioanne Thaulero pro decedentium præparatione sic ponit: *I. Ab omnibus rebus huius mundi, intellectu, & affectu, te auertes, & ad Deum Patrem cælestem, & ad illam vitam beatam, quam speras, amore, & desiderio te conuertes; vt in ea ipsum Deum perfectè & incessanter ames, laudis perenne sacrificium immoles, & pro immensis beneficijs acceptis gratias agas. II. Dolebis de peccatis tuis: quia nimirum fidelissimum Pastorem, pijssimumque Dominum, à quo tot tantaq; beneficia recepisti, tam grauiter, ac multipliciter cogitationibus, verbis, operibus, ac negligentijs offenderis. Eumque dolorem, non ob pœnas commeritas, sed ex amore ob Dei offensam, suscipies. III Salutiferis Ecclesiæ Sacramentis te munies, & opere quidem, si potueris, sin minùs voto & desiderio, cum perfecto nunquam peccandi proposito. IV. Simpliciter atque immobiliter Catholicæ Fidei inhærebis, in humili subiectione, & obedientia. Illi, inquam, Fidei, quam Romana Ecclesia prædicat, quam ab Apostolorum temporibus cœtus Pastorum, & Doctorum Catholicorum semper docuit, & credidit. Nec Dæmonis suggestionibus attendes, aut ei dubia proponenti dignaberis respondere. V. Vitam æternam per Christi Saluatoris merita te consequuturum sperabis, & proprijs meritis, vt à te profectis, nequaquam fides. Christi Domini Passionem, vt potueris, recoles: corpus, & animã, & vires, & bona opera, & proprios dolores, & molestias, illius corpori, & animæ, & viribus, & meritis, & passionibus vnies: orabisque ipsum*

Lib. 2. Disq. 24.

Dominum, vt te suo sanguine lauet, virtutibus induat, & meritis ditet. VI. Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus diligas, & ei vniri perfectè, & adhærere desiderabis. VII. Resignabis te ad languoris acerbitatem, ad mortis amaritudinem, ad pœnarum pro tuis peccatis in hoc seculo & in futuro sustinentiam: deprecaberisque Beatā Virginem, & omnes Angelos, & Sanctos præsertim Aduocatos tuos, vt in ea necessitate tibi assistant, & ex hoc exilio ad Patriam perducant.

76 Verùm Ludouicus Pontanus, in hac præparatione, ante omnia, Confessionem Generalem suadet: *Primò igitur, facienda est Generalis Confessio totius illius anni, vt rationes cum Christo Domino ita feliciter conficiantur, atque si ille annus, imò & ipse dies esset vltimus. Si enim serpens singulis annis antiquam pellem mutat, per angustum transiens foramen; quid mirum si tu eius prudentiam imiteris, & singulis annis senectam exuas anni præcedentis; ne te mors apprehendat veteri homine vestitum, qui in igne purgatorio sit omnino comburendus.* Meritò itaque omnia examinabis, in quibus totius anni decursu senectutem contraxeris. Vt enim ait sanctus Gregorius, *à feruore mentis, vel inter spirituales inimicos, vel inter carnales quosque proximos, ipso viuendi vsu, aliquo modo veterascimus, & assumptæ nouitatis speciem fuscamus.* Si etiam, vt ipse inquit, *orando, legendo, bene viuendo, renouamur (quia vita nostra dum lacrymis lauatur, sanctis meditationibus tenditur, ad nouitatem suam sine cessatione reparatur)* cur ad orationis, meditationis, & annuæ Confessionis exercitia non recurras? iuxta Pauli Apostoli monitum: *Expoliate vos veterem hominem cum actibus suis, & nouum induite.* Concludes demum, ex Pontano, *hanc præparationem, sacra Communione, atque si verè sumeres Viaticum.* Et in his, *octo aut quindecim dies* suadet impendi. Pontano, & Aluaro, Robertus Cardinalis Bellarminus subscribit.

Pont. de Christ. ho. perf. tr. 5. cap. 9. §. 2.

Colos. 3. 9.

Bell. in præp. ad mort.

77 Nos verò, in hac Domo Recessus & Solitudinis, spiritualibus Exercitijs à Generali Capitulo destinata, præparationem ad mortem ita præscribimus obeundam: vt quisquis huc secedit, veluti graui morbo æger, in Solitudinem, ceu in Valetudinarium inducatur: illic à Medico, idest, spiritualis vitæ Duce ac Directore curandus. Et prima quidem die, suademus, vt omnes ægritudines animi, & conscientiæ suæ vulnera, syncerissimè expandat, & aperiat Directori: omniumque terrenarum rerum affectum exuat, & abijciat, spirituale Testamentum instituturus: sed & interim ad quodcunque mortis & morbi genus, quod Deo libeat, se animo resignet atque disponat. Secunda die, Solitarium admonemus, vt sedulò, ac cum vehementi dolore, multisque cum lacrymis, si potest, Confes-

ſionis obeat Sacramentum, vt ſi verè eſſet hinc abiturus. Tertia die, ſanctiſſimum Chriſti Corporis Sacramentum, veluti Viaticum, ſumma cum humilitate ac deuotione ſuſcipiat. Quarta die, veluti pro extrema Vnctione, omnium ſenſuum delicta, intimo dolore recogitet: Spiritus ſancti opem & vnctionem imploret: & eius fortitudine roboratus, cordis ſui duritiam exuat, & animi imbecillitatem expellat. Quinta die, ſtudeat, cum Crucifixo Domino, ſpiritualem omninò mortem obire. Sexta, veluti ad nouam viuendi formam, cum reſurgente Domino reſurrexerit, Angelos & Cælites imitari cōtendat. Et ſeptima, vel extremis demum diebus (ſi vltra hebdomadam ſeceſſus inſtituatur) propoſita concepta diſcutiat & ſtabiliat: Vitæ ſeriem, atque gerendarum rerum ordinem notet: & immaculatè Conceptæ Virginis Scapularium (ſi ante non ſuſceperit) induens, Deo Deiparæque ſe dedet, atque ſtudioſiſſimè mancipabit. Quæ omnia vt ante oculos habeat, ac faciliùs memoria complectatur, carmine etiam innuimus, hunc in modum:

Si quis fortè cupis mores componere: in æde hac,
Septem ritè dies, ſis latitando ſilens.
Primâ, ceu fueris correptus febribus æger,
Deſere quicquid habes, omnia vana putans.
Altera det lacrymis te crimina cuncta fateri,
Eſſes hinc Cæli, vt verè habiturus iter.
Tertia mirificum tibi Chriſti Corpore robur
Confert. Te & veluti Chriſmate quarta linit.
Præſtat quinta mori. Dat ſexta reſurgere: mores
Atque nouos hilari uiuere mente docet.
Septima Conceptæ Scapularia Virginis indit:
Datque tibi, ut poſthac cuncta gerenda notes.

78 Sed apud alios eundem planè ritum obſeruo. Paulus quippè Alemānus ex Ordine Minorum S. Franciſci ita dies totius hebdomadæ diſponebat. Lunæ die, monebat, vt Dei ſeruus grauiter ſe ægrotare, ac decumbere cogitaret. Martis die, exiſtimaret, acutiſſima veluti ſe febre correptum eſſe. Die mercurij, diligenter veluti moriturus, peccatorum omnium Confeſſionis Sacramentum obiret. Die Iouis, ſe componeret, veluti è Chriſti manu ſacratiſſimum Viaticum accepturus. Die Veneris, ad extremam Vnctionem ſe compararet: & omnes conſcientiæ ac vitæ ſuæ maculas, Ieſu Chriſti Vulnerum cruore detergeret. Sabbato, reputaret, ea die omnino ſe moriturum, & euaſurum vermium eſcam, nec ampliùs de ſe cogitatum iri. Die verò Dominica, reſurrecturum ſe eſſe, in cæleſtem

Prat. Florid. par. 2. lib. 1. cap. 101. & Sylua hiſt. lib. 12. ex. 2.

Patriam ingressurum, atque fruiturum Deo summo Bono.

79 Non integram hebdomadam, sed quinque solùm dies, in hac recollectione ob præparationem ad mortem, Cartusienses impendunt; quorum priscum ritum Ioannes Lanspergius exponit, his verbis: *Sunt qui velut præsentem mortem, quotannis, sibi exercitio quodam præfigunt: seque non aliter, atque si iam forent morituri, ad mortem parant, idque ad quinque dies continuos. Primâ die, meditantur pœnas, atque infirmitates, mortem præcedentes, atque horrorem mortis; ad quæ omnia se resignant. Secundâ die, de peccatis suis cogitant, illa tanta diligentia atque sedulitate confitendo, ac si post Confessionem statim forent morituri. Itaque illam diem, gemitibus, & fletibus, transigunt. Tertiâ die, ad sacram Eucharistiam, quasi Viaticum, pro exitu huius exilij sumentes, quanto possunt feruore, accedunt. Quarta die, pro Vnctione sancti Spiritus, qua illuminentur, atque emolliatur cordis sui duritia, Deum rogant assiduè. Et hoc faciunt pro extrema Vnctione. Quintâ die, Deo feruentissimè supplicant pro morte spirituali, qua mundo & sibi ipsis perfectè moriantur, viuant autem Deo.* Hactenus Lanspergius. *Lansp. Min. Op. l. 9. coll. Ies. Chr. can. 14.*

80 Sed Ioannes Chrysostomus, Abbas Præmonstratensis, sancti Michaelis Antuerpiæ, huic præparationi, ad recolenda *tria priora Nouissima, quæ ad salubriter compungenda etiam quæuis duriora corda magnam vim habent*; trium dierum spatium destinauit, *adeò vt, primo huius Recollectionis die, obiectum considerationum nostrarum sit Mori, 2. Maledici, 3. Ardere.* Et monet Exercitatorem (sic solitarium vocat) *quòd illud purissima intentione in gloriam dirigere debeat sanctissimæ Trinitatis.* De Tridui secessu, nos in loco dicemus. Sed & alij septem diebus Hebdomadæ sequentes Meditationes assignant. *Iter. 3. diorn. introd.* *Alu. lo. cit. lib. 5. cap. 14. §. 3. fol. 826. & seq.*

81 *Pro prima die*. I. Positus ante Dominum, & eum tibi intimè præsentem oculis fidei aspiciens, considera eum esse vltimum finem tuum, cuius gratia creatus es, & in esse productus. Creauit te ille, vt ipsum agnosceres, super omnia diligeres, vt ei in omnibus obedires, eum imitareris; atque in eo, tanquam in centro, requiesceres. Animaduerte quoque creaturas esse tanquam instrumenta perueniendi ad Deum; quæ, si aliter eas aspicias, aut in vsum assumas, sunt instar tribulorum, & spinarum, animam tuam pungentium, & à quiete deturbantium. II. Prope est tempus cessandi ab itinere, & ad finem itineris perueniendi. Instat dies finiendæ nauigationis, & ad portum tutissimum appellendi. Linques ergo eo animo, ac ea voluntate omnia creata, quo iter agens, aut nauigio vectus, solet molestias itineris, aut nauigationis pericula deserere, vt iam tandem cum suis in propria domo quiescat, & fructum suorum laborum

percipiat. O Domine Deus meus, qui hæc omnia creata mihi dediſti, vt adiumenta veniendi ad te: iam ea, parentes, cognatos, amicos, & reliqua, libentiſſimè propter te, intellectu, & affectu relinquo. Non hæreat in illis cor meum: non ligetur illis cogitatio, aut affectio mea: ſed per creata ad creatorem tranſeam, & ad te finem meum peruenire cupiam. III. Aſpice ciuitatem cœleſtem vt Patriam dulciſſimam tuam, ad eam deſiderio te conuerte, & affectus perueniendi ad Dominum elicere ſtude, vt eum inceſſanter diligas, vt perennes gratias agas, vt ei te in holocauſtum offeras, & iam nemo te deſpiciat. Ora ipſum Dominum, vt te amore creaturarum expediat, & vt deſideria relinquendi hanc vitam miſerijs plenã immittat. Quod per merita Chriſti petes, & per interceſſionem Beatæ Virginis, & omnium Sanctorum, impetrare curabis.

82 *Pro ſecunda die*. I. Aſpicies Dominum vt creatorem, & benefactorem, & iudicem tuum. Creator eſt, qui te fecit: benefactor eſt, qui ſanguine vnigeniti Filij ſui te redemit, & innumeris beneficijs affecit: iudex eſt, qui donorum ſuorum arctam rationem exiget; & in lucernis, id eſt, in exactiſſima ſeueritate, angulos Ieruſalem, id eſt, animæ tuæ receſſus inueſtigabit. II. Nulla eſt ratio euadendi à ſeueritate huius iudicis, & eius beneuolentiam conciliandi, niſi per peccatorum deteſtationem, & dolorem. Nam *cor contritum, & humiliatum ipſe non deſpicit*, *& ſpiritum contribulatum* in gratiſſimũ ſacrificium admittit. Deteſtaberis ergo omnia peccata tua cogitationum, deſideriorum, verborum, operum, & omiſſionum, eo feruore, ea veritate, ac ſi iam nullum tempus ea deteſtandi ſupereſſet. Odio, inquam, habebis illa, non ob aliquam infamiam, aut pœnã, imò ad omnem pœnam ſuſtinendam te offeres, ſed ob malitiam illorum, & quia ſunt offenſæ ſummi Dei. Dolebis de illis tanquam de plagis, & vulneribus animæ tuæ. Pudebit te, quòd tam indigna, & fœda patraſti: deſiderabis te (ſi iam eſſet poſſibile) nunquam peccaſſe, & firmiter in poſterum emendationem propones. III. Humillimè veniam peccatorum petes, Dominumque obnixè rogabis per merita dilecti Filij ſui, ne ab eo loco orationis, in quo es, abſq; plena indulgentia, ac remisſione diſcedas. Itémque ne peccata tua te in hora mortis inquietent, ſed ſpe diuinæ miſerationis erectus ſis, & à tua cogitatione diſcedant. Ad id conſequendum Beatæ Virginis, & omnium Sanctorum interceſſionem adhibebis.

83 *Pro tertia die*. I. Chriſtus Saluator noſter eſt ſummus Eccleſiæ Pontifex, Paſtor, & Epiſcopus animarum noſtrarum, & magnus omnium ſacerdotum Sacerdos. In hoc ergo die de manu eius fructum

Lib. 2. Diſq. 24. ſacra-

sacramentorum, id est, abundantissimam gratiam, desiderabis accipere. Accede ad eum tanquam ad pastorem tuum, qui habet primam ac præcipuam potestatem dimittendi peccata; & non voce corporis, sed clamore mentis confitere ei peccata tua. Non quidem sigillatim, sed generaliter, quia nimirum peccasti cogitatione, desiderio, opere, & omissione. Quia bona opera tepidissimè præstitisti, & eis innumeras imperfectiones miscuisti. Quia fratres tuos malis exemplis læsisti. Quia gratiæ talentum in sudario ignauiæ ligatũ tenuisti. Et quia ob nimiam ingratitudinem tuam eius indignationẽ prouocasti, luge in conspectu illius, & roga eum, vt qui Magdalenæ, & latronis peccata dimisit, tui misereatur, peccata tua deleat, & plenissimam absolutionem, ac indulgentiam tribuat. II. Ipse Dominus est cibus tuus, *panis viuus*, *qui de cælo descendit*, panis intellectu, & libero arbitrio pollens, & cui vult ipse se donat, & præsentia, ac gratia sua animam pascit, & roborat. Desiderabis ergo, vt ad te veniat, vt in anima tua hospitium eligat. Offeres illi cor tuum à labe mundum, in quo quiescat: memoriam tuam, qua eius iugiter recorderis: intellectum, quo eum contempleris: voluntatem, cuius affectibus complectaris. Offeres illi sensus, & vires tuas, & quicquid es, & vales, vt omnia tua illi seruiant, & se in tanti hospitis obsequium impendant. III. Ipse solus est, qui habet pyxidem olei sancti, olei lætitiæ, repositorium gratiæ, & sanctitatis. Si sacerdotes visibiliter fideles vngunt, ab eo gratiã, qua inuisibiliter animã vngant, accipiunt: constitue te ante ipsum, & humiliter roga eum, vt te vngat gratia sua. *Vt*, inquam, *vngat oculos tuos, ne videat vanitatem*, & ne aspicias, quod ipsi displiceat, vtque indulgeat tibi, quicquid peccasti per visum. Vt vngat aures tuas, ne vana, & inutilia audias, & indulgeat tibi, quicquid peccasti per auditum. Vt vngat linguam tuam, & ostio circumspectionis claudat, & indulgeat tibi quicquid peccasti per eam. Sic pro cæteris sensibus, & membris tuis gratiam, & auxilium postulabis, quò & peccata præterita deleantur; & ipsa membra ad sancta opera, & ad resistendum tentationibus roborentur.

84 *Pro quarta die*. I. In hac die profiteberis Catholicam fidem, in qua per infinitam Dei misericordiam viuis, & in cuius confessione, & credulitate, mori desideras. Nunc ergo pro hora mortis te ante Dominum statue, eúmque summam veritatem, & summam ac primam bonitatem esse cognosce. Qua infinitè bonus est, neminem vult fallere; & qua infinitè verax, neminem potest decipere. Et vide, quàm iustum est, & debitum, vt eius dictis simpliciter credas,

& in nullo primæ veritati contradicas. II. Credes actu, quanto conatu, & quanta adhæsione potueris, vniuersa quæ Deus reuelauit, & nobis credenda proposuit, & per singula actus fidei producendo discurres. Credes, Deum esse vnum, vnam simplicissimam substantiam, atque naturam: esse Patrem, esse Filium, esse Spiritum sanctum: esse Creatorem, qui omnia ex nihilo fecit: Saluatorem, qui Christi Filij sui sanguine nos redemit: Glorificatorem, qui æternam gloriam in præmium bonorum operum dabit: Credes ea, quæ ad nostræ redemptionis œconomiam pertinent: quòd Filius factus est homo, conceptus de Spiritu sancto, natus ex Virgine, passus, mortuus, & sepultus: quòd secundùm animam descendit ad eam partem inferorum, vbi sanctæ animæ clausæ tenebantur, vt eas educeret, & in cœlestem Patriam inueheret: quòd resurrexit, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris, & venturus est iudicare viuos & mortuos. Credes omnia, quæ sacra Scriptura continentur, in eo sensu, quem Romana Ecclesia prædicat, & quicquid traditionibus acceptum credendum proponit: ac sigillatim ipsius Ecclesiæ vnitatem, sanctorum communionem, peccatorum remissionem, vitæ quam speramus æternitatem, & siquid aliud credendum est. III. Positus in conspectu Domini, & omnium Angelorum, & Sanctorum, hanc fidem confiteberis: eos tuæ confessionis testes facies: paratum ad confitendam istam fidem coram omnibus gentibus te exhibebis, in éáque te mori velle magna asseueratione dices. Rogabis Dominum per intercessionem B. Virginis, & omnium Sanctorum, vt habitet per fidem, non solùm in intellectu tuo, eum in veritate continendo, sed in corde tuo ipsum ad se, & ad res fidei afficiendo, & secundùm quod fides præscribit, vitam tuam, actusque tuos ordinando.

85 *Pro quinta die*. I. Deum, vt prouidentissimum Regem aspicies, qui in hoc regno mundi nihil mali sine debita pœna, & nihil boni sine debito præmio esse permittet. Et spera ab eo, quòd per merita vnigeniti Filij sui opera tua bona, quæ præcipuè sua sunt, atque ex sua gratia profecta, æterno præmio cumulabit, & te in cœlestem Patriam inferet, vt eum cum Angelis, & Sanctis clarè videas, vt perfectè & semper diligas, eóque fruaris. Vtque corpore immortalitatem, impassibilitatem, pulchritudinis claritatem, & cæteras dotes possideas. II. Ad Christum Dominum mente accedes, & eius pedibus prouolutus, pro acerbissima passione sua, quam pro te sustinuit, gratias ages, & eius sacratissima vulnera deuotissimè salutabis. Corpus, animam, vires, cogitationes, verba, & opera

tua illi offeres in vnione ſanctiſsimi corporis, & puriſsimæ animæ, & perfectiſsimarum virium eius, nec non & in vnione cogitationum, verborum, & operum ipſius. Et quicquid adhuc paſſus es, & in futurum, ac præcipuè tempore mortis, moleſtiarum, & afflictionum es paſſurus, ſanctiſsimis eius laboribus vnies, vt magis meritoria, & grata ſint in conſpectu æterni Patris. III. Poſtulabis à Domino Ieſu, vt te ſuo ſanguine à peccatis lauet, virtutibus ſuis animam tuam induat, & meritis ſuis te ditet, vt diues, & ſtola nuptiali ornatus, & mundus effectus, ingrediaris in regnum cœlorum.

86 *Pro ſexta die*. I. Deus ſummum bonum eſt, & ipſa bonitas, in quo ſolo humana voluntas quieſcere poteſt. In eo eſt omne bonum, vel ipſe eſt omne bonum, quod voluntatem noſtram potenter trahit. Ad ipſum igitur affectibus amoris nunc tende, & ab amore creaturarum te diſſolue, vt ad illum ire incipias, cum quo poſt mortem ad tuam felicitatem perfectè copulaberis. 1. Ex amore Dei, deſidera languere vtiliter, à rebus creatis te ſubtrahendo, & tanquam ſapienter ægrotus, quæ antè placebant, auerſando. Iam vt languidus nolis ad illicita progredi, nec per ſuperbiam erectus ſtare, ſed per humilitatem iacere. Amareſcat tibi peccatum; & dum aliter, quàm antea operaris, amor mutet pulſum, & per mortificationem auferat colorem mundanorum, id eſt, omnem exteriorem exceſſum. 2. Deſidera quærere inſtanter: id autem facies, ſi Domini perfectiones, quæ te ad amandum alliciant, inquiras; ſi lumen ad illum cognoſcendum petas; ſi de eo, & modo quærendi, Patres ſpirituales roges; ſi in nullo, quod Deus non eſt, cogitatione, aut affectione perſiſtas. 3. Deſidera operari indeſinenter: & dum vides, quia tempus breue eſt, omnem lapidem moue, vt in ſingulis virtutibus te exerceas, & nullam proficiendi occaſionem amittas. Magna recepiſti, ad magna te extende: vt, pro modulo tuo, eius, qui te dilexit, amori reſpondeas. II. Deſidera ex amore ſuſtinere infatigabiliter, ita vt, propter Dominum, iniurias, contumelias, opprobria, & omnia aduerſa æquanimiter, & delectabiliter perferas; & ea, ſi non acciderint, tibi prouenire percupias. 2. Appetere impatienter, ita vt præ deſiderio virtutis, & rerum cœleſtium, quaſi fame tabeſcas. Nam animus amore creaturarum vacuus, & viſu, ac aliquo guſtu cœleſtium illectus, quid mirum, ſi in ea impatienter feratur, & nulla re mundi delectetur. 3. Currere velociter, vt ſcilicet magno feruore in Deum tendas, & omnem torporem, ac negligentiam abijcias. III. Deſidera ex amore audere vehementer, ita vt motus, & impulſus à Domino, magna poſtulare, & ardua pro eo aggredi au-

eas, ſicut ille, qui poſtulabat: *Oſtende mihi faciem tuam*. 2. Strin-
ere indiſſolubiliter, vt ſcilicet intellectu, & affectu, & imitatione
:mper Deum teneas, & nihil poſſit te ſeparare à caritate Chriſti. 3.
ırdere ſuauiter, vt præ amore igneſcas, atque liqueſcas, & dulci-
:r ardeas, & ad Spiritus ſancti motus mobilis fias. 4. Aſſimilari per-
:ctè, ſic nimirum, quòd Dei perfectionibus induaris, & eius puri-
ıtem, prout in hac vita fieri poteſt, imiteris. Hos decem gradus
moris, à Bernardo, & Thoma Aquinate latè explicatos, deſiderijs,
ɛ poſtulationibus habere curabis, vt Deus te in die mortis fidelem
ıueniat, qui ad hoc te creauit, vt ad hunc amorem aſpirares, & per
um ad perfectam cuſtodiam ſuæ legis, & ad gloriam peruenires.

87 *Pro ſeptima die*. I. Deus eſt Dominus tuus, non ſicut domi-
i huius ſeculi, quià mancipijs ſuis ſolas actiones externas poſſunt
xigere, ſed Dominus ſubſtantiæ, & vitæ tuæ, & virium, & omnium
ctionum externarum, & internarum tuarum. Ac proinde nihil
:quius, quàm vt eius voluntati te accommodes, & ad quodcunque
oluerit, in manibus eius te relinquas. Hoc in conſpectu ipſius con-
ıteberis, de hoc impensè gaudebis, & ei, ad quodcunque de te vo-
ıerit, ſiue in tempore, ſiue in æternitate, te ſubijcies. II. Reſigna-
ıis te hodie ad cuiuſcunque languoris, quem tibi inferre voluerit,
cerbitatem, ad mortis amaritudinem, & ad deferendam hanc vitam
ıortalem, cùm te ad ſe vocare diſpoſuerit: item, ad ſuſtinendas
ıuaſcunque pœnas in hoc, aut in futuro ſeculo, quibus à tuis pecca-
is plenè purgeris, & in oculis ipſius mundus ac purus inueniaris. III.
)rabis B. Virginem, & omnes Angelos, & Sanctos, per choros eo-
ım diſcurrendo, vt in hora mortis, ſuo adiutorio, & interceſſione
bi aſſiſtant, & ex hac peregrinatione ad Patriam æternam perdu-
ant. Angeli autem cuſtodis tui auxilium, & præſentiam humiliter
fflagitabis, vt animam tuam tueatur, quò conſpectui Domini præ-
:ntetur.

88 Haſce meditationes, atque affectus, poteris hoc colloquio,
ue oratione cōcludere, magna ex parte à Ioanne Gerſone deſump-
ı. *Deus miſerationum Domine, qui in omni tempore, ſed præcipuè in ho-
ɛ maioris neceſſitatis, nobis aſſiſtis, da mihi indigniſſimo peccatori, ſed de-
ıa benignitate confidenti, continuè mentem ſanam, ne ſeducatur dæmonis
luſionibus, ne abſorbeatur curis, aut concupiſcentijs corporalibus, & ne
ɔſideatur inimicorum ſuorum oppreſſionibus. Da pœnitentiam veram; in
ntritione, per deteſtationem peccati, & amorem iuſtitiæ; in confeſſione, per
ıaniſeſtationem mearum iniquitatum; in ſatisfactione, per exercitium ab-
inentiæ, orationis, & eleemoſynæ. Da communionem ſacram, & vn-*

ctionem extremam re, aut affectu susceptam. Da remissionem plenam, ex tua immensa liberalitate, ex clauium ecclesiasticarum potestate, & Ecclesiæ caritate. Da Sanctorum contra aëreas potestates consolationem. Da in exitu vitam æternam, quæ patria est, ad quam suspiro, quam desidero, quam in lumine fidei contemplor, & à longè saluto. Redeat, Domine, spiritus ad eum, qui dedit illum, & ingrediatur domum æternitatis, claritatis, & felicitatis. Domine Iesu Christe suscipe spiritum meum, qui vtique tuus est iure redemptionis, adoptionis, & gratuitæ desponsationis. Ac proinde dat spem firmam bonitas adoptantis, veritas promittentis, & potestas coronantis. Tibi gloria in secula. Amen. Adsis mihi ò Virgo benedicta, in auxilio opportuno, & vltima necessitate. Adsis mihi & tu Angele mi, adiutor præcipue. Adsint & cæteri Sancti, quos nunc inuoco, & sæpius inuocaui. Ne, quæso, deseratur pauper vester, si virtus sua defecerit, si mens conturbata nihil cogitauerit, si corpus velut mortuum languerit. Sed confortate virtutem, illuminate mentem, & seruate sensualitatem. Amen. Io. Gerson. lo. sup. cit.

DISQVISITIO DECIMAOCTAVA.

Quod spirituale nam Testamentum condi posset, & spiritualis Confessio, in præparatione ad mortem, posset obiri.

89 IVuat etiam, inter hos dies, si Spirituale Testamentum aliquod condas, quod sæpe recogites, relegas, & ratum velis. Huiusmodi sunt, quas sancti Caroli Cardinalis Protestationes adijcimus. Age, Lector: si hoc quandoque libello vteris, initio, tuum illis nomen inscribe. *In nomine sanctissimæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ego infelix, & miser peccator, protestor in præsentia tua, Angele Dei, à Diuina Maiestate mihi in custodem assignate, & in tua præsentia mi Pater spiritualis, quòd velim ac summoperè desiderem mori in hac vera, & Catholica Fide, quam S. Ecclesia Mater Romana, & Apostolica tenet, & confitetur; in qua omnes Sancti mortui sunt: nec vllum momentum vlterius viuere, aut vitam meam prolongari volo, quàm eius Diuinæ Maiestati placuerit, cui omnem meam voluntatem submitto. Similiter protestor, O Angele Dei, quòd sub tua protectione, & auxilio diuinæ gratiæ, desiderem, ac velim ab hoc mundo separari, & mori absque vlla desperatione, aut dubitatione in Fide, propter multitudinem, aut magnitudinem peccatorum meorum, quæ me in baratrum desperationis pertrahere possent, certissimè credens, quòd minima* Protest. S. Caroli.

guttula pretiosissimi Sanguinis Iesu Christi, in arido trunco S. Crucis effusi, sufficiens fuisset pro redemptione totius generis humani, si ita Diuinæ eius Maiestati collibitum fuisset. Similiter protestor, quòd si, pusillanimitate spiritus, tremendum Dei iudicium, cui præsentandus sum, cogitans, aut tentatione diabolica, aut perturbatione rationis (quod Deus auertat) in aliquam desperationem incurram, aut de Fide dubitem; id nunc mente sana, mihique præsens reuoco, irrito, annullo, & pro non facto habeo, eò quòd non procedat de animo sano & deliberato: sed in omnibus & per omnia me diuinæ pietati & misericordiæ submitto. Protestor præterea, quòd cùm diuina misericordia nulli peccatori contrito, & confesso denegetur, toto corde desiderem ac rogem, vt dignetur me facere participem suæ misericordiæ, mihique concedere remissionem peccatorum meorum, per merita amarissimæ suæ Passionis, & mortis, & virtutem pretiosissimi sanguinis, in duro ligno Crucis effusi, & per merita sanctissimæ Matris suæ, & omnium Sanctorum, & Electorum. Vlterius etiam protestor super petitione mea, qua humiliter requiro, vt diuina pietas dignetur me recipere in illorum numerum, quos ab æterno in extremo Iudicij die saluandos ordinauit; & inter eos etiam qui propter sua demerita, & peccata, in Purgatorio patientur, ne in æternum misericordia Dei priuentur, aut à vita æterna excludantur. Maria sanctissima, post has meas Protestationes, tibi pro testamento animæ meæ hanc meam vltimam voluntatem, & affectionem commendo: & vt te mediatrice, tria mihi vicissim ex testamento Filij tui concedantur, rogo. Primum est lacrymosus aspectus, & dolorosum suspirium vnum, ex tantis & infinitis illis quæ emisit ipse Saluator mundi, cùm tres horas viuus in Cruce penderet; & vt dolores, singultus, gemitus, & grauissima suspiria quæ me in hora mortis prement, mitigare ac lenire possint. Et vt Mater totius gratiæ dignetur mihi largiri vnum ex dolorosis suspirijs, & lacrymosis aspectibus, & gemitibus cordis sui, quos experta est stans sub sanctissima Cruce, adspiciens carissimum suum Filium, Redemptorem generis humani, qui me recipere dignetur inter illos, qui eius sanctissimis meritis, & precibus, ad minimum in extremo die Iudicij, remissionem peccatorum suorum & salutem animæ suæ consequentur. Secundum est, vt in Angelo Dei mihi succurras, quando cor meum rumpetur, & misera mea anima à corpore separabitur, & vt tunc benignum ac propitium Iudicem inueniat pro sua diuina caritate, in qua cor eius totum amore plenum in Cruce pro salute mundi disruptum est, & anima eius diuinissima à sanctissimo eius corpore separata fuit. Vltimum est, quod tibi sanctissimo Angelo commendem vltimam horam vitæ meæ, exitumque animæ meæ, vt eam protegas atque defendas ab inimico, illud etiam te obsecrans vt vbi & quoties necessarium fuerit, velis esse mihi fidelis testis & protector dictarum protestationum. Amen. Has

protestationes; quas sanctus Carolus in suo secessu studiosissimè repetebat, quisquis aut scripto, aut voce & verbis, edat vt libet; mutet, si velit, aut alias inserat vel adijciat, vt sua cuique pietas suadebit. Testes etiam addat, & appellet B.P.Caietanum, aut si è nostris non sit, suum quisque Ordinis Fundatorem, & Tutelares, præsertim S.Archangelum Michaelem, Diuum Iosephum Beatæ Virginis Sponsum, ac S.Ioannem Apostolum, & Euangelistam; quorum, ad bonam mortem exorandam, multùm valet, cum Dei Matre, patrocinium identidem implorari. Protestetur, se paratum ad quamcunque mortem, & ægritudinem: ignoscat, & benè precetur, ex animo, cuilibet, à quo mala vnquam accepit: veniam humillimè petat ab ijs, quos ipse vnquam offendit: & Sacramenta omnia Ecclesiæ pro mortis articulo instanter exposcat: quæ omnia, vt dixi, multùm iuuat, scripto excipere, recolere, relegere, ac secum ferre.

90 Rem planè dicam admiratione dignam, & veram. Quatuor circiter ab hinc annis Cœnobio Sanctorum Apostolorum Neapolis, Ludouicus Antinorus (Vir celeberrimus, & cui summa inerat, præter sacræ eloquentiæ facultatem, suauitas morum, & animi prudentia) præerat: cùm Iosephus Perronius, Laicus (quem ante actæ vitæ honestas & laus, ore omnium, plurimùm commendabat) apoplesia repentè correptus, destitutus statim ita sensibus fuit, vt, mortuo simillimus, quatuor circiter dies, cùm in lecto decubuisset, omnes ei peccatorum absolutionem impendere vereremur. Actum erat: & quanuis singuli integerrimam viri vitam, laudabiles mores, seuerum ingenium, purissimam conscientiam, vno ore deprædicarent; nullus tamen, horribilissimo, & improuiso eo mortis genere absterritus, Fratris saluti de æterna Beatitudine non timebat. Dolebam ego inter alios eius vicem; & denegatæ primùm absolutionis scrupulo non parum excruciabar: cùm P.D. Antonij Carafæ, amicissimi, & eruditissimi planè viri nunc Episcopi Vxentini oculis, qui Moralem Theologiam explanabat, & de absoluendo sensibus destituto paulò ante in ancipiti disseruerat; dum lychnulum prima nocte extergere vellet, quoddam scriptum folium in cubiculi se foramine obiecit: quod cùm pluries affricans lychno vicissim manibus compressisset; fœdum oleo, è fenestra, in hortum proiecit. Hoc vesperi, vt iam dixi, contigerat: & postridie, illud ipsum folium, non vt pugno compressum, ac districtum; & manu (vt fuerat) ac digitis vicissim arctatum; sed explicatum iam, & longè lateque prorsus expansum, ac benè compositum (non sine quodam horrore animi) ad meam fenestram inuenio: & in ea parte oræ, quam

Anno 1654. Autor scripsit Romæque edidit hoc opusculum.

pro more, duntaxat aperiebam. Scripturam obseruo: & quod censebam Epistolam, spirituale Testamentum multis antè annis animaduerto; ab illo eodem Fratre (proh mirum!) scriptum & editum, qui adhuc viuens sed non loquens, nec audiens (vt putabam) in extremo vitæ agone ac limine laborabat. Illud autem mihi, maximè omnium attonito, stuporem incussit, quod Testamenti eiusdem initio protestatur, se animæ suæ prospicere velle: & quòd contingere poterat, se improuisa morte occupatum, in extremo anhelitu, aut voce, aut nutu, loqui non posse; ideò tunc, pro illa vltima mortis hora, Sacramenta omnia Ecclesiæ, & inprimis peccatorum absolutionem à Patribus, instanter & humillimè deposcebat. Quod quantum me lætitia, & domum admiratione compleuerit, nemo non cogitat. Argumento fuerit, multos certatim illud ipsum Testamentum, vt & periculo cauerent, & sibi consulerent, exscripsisse.

91 Si ergo, lector, religiosè sanctèque vita decedere optas, te quotidie moriturum existima, & vt ille ait: *Omnem crede diem tibi diluxisse supremum*. Tum si non vacat longiores Protestationes emittere: at hoc breuissimum peregrini hominis Testamentum, quod Ioannes Gerson exhibuit, vt Diuinam Misericordiam impetres, quotidiè saltem, & humiliter recitabis. *Pater ecce positus sum hic, & nunc, velut in articulo mortis: quoniam media vita in morte sumus. Comparere coram Curia misericordiæ tuæ: cui me submitto iugiter, & adeo cum fiducia Thronum gratiæ, ut misericordiam consequar, & gratiam inueniam in auxilio opportuno, dum tempus est miserendi, & hora comparendi. Da continuè mentem sanam: da pœnitentiam ueram: da, saltem in effectu, Communionem sacram: da sanctam Vnctionem: da Remissionem plenam: da Sanctorum, contra potestates uarias, Consolationem: da in exitu Vitam æternam. Et quoniam nudus egressus sum de utero Matris meæ, & nudus reuertar illuc; temporalia temporalibus relinquo. Reuertatur puluis in terram suam, unde erat; corpus, precor, ad Ecclesiasticã sepulturam: & spiritus redeat ad Dominum, qui dedit illum. Domine Iesu Christe, suscipe Spiritum meum.*

Gers. to. 2. tr. de testam. cõden.

92 Singulis autem aut nonnullis diebus Præparationis ad mortem, quanta potes cordis amaritudine, effusisque lacrymis, ad Deum, hanc, cum B. Isidoro Episcopo, Orationem vel Confessionem habebis.

S. Isid. ap. Cõstan. Abb. in SS. Isid. Ildef. & Greg. Ostien. Vit. ex M.S. perant. Codice Bibliotb. Cænob. Sublac.

SPIRITVALIS CONFESSIO.

Succurre mihi, Domine Deus meus, antequàm moriar, antequàm mors me praeueniat, antequàm tartara me rapiant, antequàm flamma me combu-

rat, antequàm tenebræ me inuoluant. Subueni mihi, priuſquàm ſine termino crucier. Reus enim, iudicij tui timore terreor; pauore peccati, iram tuam formido; immanitate ſceleris, examen tuum trepidans, conſcientia metuo. Si enim iuſtus vix ſaluabitur, ego impius vbi ero? quid faciam, dum venerit tremenda hora iudicij? cùm examen venerit, quid reſpondeã? quid ero dicturus, cùm ante tribunal Chriſti fuero præſentatus? Væh diem illum, quando peccaui: væh diem illum, quando tranſgreſſus ſum; vtinam non illuxiſſet mihi; vtinam non eſſet ſuper me ortus; vtinam non apparuiſſet ſuper me. O dies deteſtanda! ò dies abominanda! ò dies penitùs nec dicenda! quæ me in hoc ſeculo protulit, quæ mihi clauſtrà partus aperuit, quæ ortus mei oſtia reſerauit. Dies illa à luce in tenebras permutetur, profunda illam caligo confundat, æterna illam cæcitas obruat, amittat temporis ſtatum, omni memoria extinguatur, nullius digna ſeculi memoretur. Melius mihi fuerat non eſſe ortum, non fuiſſe genitum, melius non eſſe in ſeculo procreatum, quàm æternos perpeti cruciatus. Optabam à peccati nexu reſolui, cupiebam à conſuetudine mala retrahi, deſiderabam à vitio recedere: ſed difficile eſt peccandi conſuetudinem vincere. Prauus vſus vix aboletur, aſſidua conſuetudo in naturam vertitur vitij: animus ſceleribus deditus ab his diuelli neutiquàm poteſt. Tanta ſunt mea vitia, vt vix euelli poſſint: vix credo peccata mea vllo ſpatio temporis exoleſcere. Vltrò me miſerum antè vitiaui, ſpontaneo dudum ſtudio me pollui, propria voluntate mea me maculaui. Bonus eràm, ſpontaneè ad peccatum dilapſus ſum. Liber eram, ſpontaneè factus ſum debitor mortis. Infelix ego peccatum ſpontè mihi priùs ipſe paraui: ego priùs occaſionem peccandi amplexus ſum: nunc peccandi vſu adſtrictus teneor: mala conſuetudo me ſibi grauiter implicauit: longa conſuetudo vim ſibi, & legem fecit: peccandi conſuetudine, etiam quando neſcio, ſic delinquo: peccandi vſu, non optando, incurro malum. Volo agere bonum, ſed deſideria conſueta non ſinunt. Prauo vſui contraire nitor, ſed carnis deſiderio aggrauor. Ad iuſtitiam me amor erigit, ſed ad peccatum conſuetudo conſtringit. Flete me cælum & terra: lugete me omnes creaturæ: ingemiſce ſuper me vniuerſum genus, & omne quo præuales vſu, ſuper me lamentum effunde. Peccaui enim crudeliter, lapſus ſum fortiter, cecidi grauiter, corrui miſerabiliter: nullum enim inuenitur peccatum, cuius ſordibus non ſim coinquinatus: nullus eſt enim morbus vitiorum, à quo non contraxerim contagium: nulla ſordium ſentina extitit, quæ in me miſerum non confluxerit. Probroſus, ſceleratus, flagitioſus, cunctis obrutus vitijs, innumerabiliter frequentaui impudicitiam fæditatis. Vt benè viuerem, vltrò promiſi: quod pollicitus ſum, nunquàm ſeruaui. Semper ad peccandum redij, ſemper delicta mea iteraui: prioribus ſceleribus ſemper deteriora iunxi, nunquam in melius mutaui mores, nunquàm à malis factis

meis veraciter recessi: plurimos etiam maculaui: me perdens, plurimos prauis moribus meis in iniquitatem peruerti: scelere meo multæ animæ perierunt: exemplis vitæ meæ subuersi sunt multi: ego multis causa malorum fui: per me multorum propositum maculatum est, per me nomen maculatum est sanctitatis. Obsecra pro me plebs omnis Sanctorum, si fortè misereatur mihi Deus, si fortè recipiat me, si fortè deleat peccata mea, si fortè auferat iniquitates meas, si fortè misericordiam præstet mihi. Iratus est super me nimis, quia creuerunt versiones meæ, quia multiplicatæ sunt præuaricationes meæ. Ideò implorate pro me Dei Omnipotentis misericordiam, omnes Chori Beatorum. Intercedite pro me, omnis multitudo Electorum; ne infundat omnipotens Deus super me iram indignationis suæ, propter multitudinem iniquitatum mearum. Væh mihi Domine, quia consumptus sum: væh mihi, quia deficit anima mea. Cur infelix natus sum? vt quid miser hanc lucem vidi? vt quid misero mihi huius vitæ ortus occurrit? Parce Domine, parce dolori meo: parce, quæso, mærori meo. Da veniam, da indulgentiam. Heu mihi infelici, heu mihi misero in tantis peccatis præcipitato. Quis miserebitur mihi? quis consolabitur me, nisi tu Redemptor animarum? Miserere mei, quia est in tempestatibus anima mea. Vbi es Custos hominum? vbi es animarum Redemptor? vbi es ò Pastor bone? cur spreuisti me? cur auertisti faciem tuam à me? vt quid longè factus es consolator animæ meæ? Reuertere iam Deus meus, & non me obliuiscaris in finem; non me in perpetuum deseras; non me in potestate dæmonum derelinquas. Licet enim offensa sit gratia, tu tamen clemens, tu patiens, tu multùm misericors, nullum relinquis, nullum spernis, nullum detestaris, nullum recusas à misericordia tua: sed vltro offers clementiam: peccantes expectás, vt redeant. Quanti enim scelerati? quanti luxurijs dediti? quanti concupiscentijs seculi saginati, bonitate tua, ad indulgentiam peruenerunt? multis non merentibus gratis peccata donasti. Ostende igitur in me clementiam tuam, pateat mihi venia, pateat indulgentia; non abneges vni, quod plurimis largitus es. Scelera mea non defendo, peccata mea non vendico. Displicet mihi, quod malefeci: displicet mihi quod peccaui. Offensam fateor, errorem confiteor, culpam agnosco, vocem confessionis aperio. Suscipe, quæso, vocem confitentis, attende vocem deprecantis, audi vocem peccatoris ad te clamantis. Peccaui Domine Deus peccaui, miserere mei, parce malis meis, ignosce peccatis meis, dele omnes culpas meas. Si enim iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Ad examen tuum nec iustitia iusti secura est. Quis est enim iustus, qui se audeat dicere sine peccato? Quis præsumat contra te aliquid de iustitia? Nullus enim hominum absque peccato, nullus est mundus à delicto. Ecce qui seruiunt Deo, non fuerunt stabiles, & in Angelis reperta est prauitas. Astra munda non sunt coram te: cæli non sunt mundi in

conspectu tuo. Quantò magis ego abominabilis, & putredo, & filius hominis vermis, qui hausi quasi gurgites peccata, & bibi quasi aquas iniquitates? Qui habito in domo lutea, qui commoror in puluere, qui terrenum habeo fundamentum? Memorare Domine, quæ sit mea substantia; memento, quia puluis sum & cinis. Operi manuum tuarum porrige dexteram: consule infirmæ materiæ, succurre humanæ fragilitati: patent tibi vulnera mea, coram te ægritudo mea: tu vides, quantùm sauciatus sum, & languidus: medicinam, qua saner, tribue; medelam, qua curer, impende: refice infectum vitijs, reforma corruptum peccatis, extingue in me flammam concupiscentiæ: iacula ignita diaboli vltra me non penetrent, & non exardescant in me vlteriùs. Tu enim scis tempestates, quas fero: tu scis fluctus, quos patior: tu nosti turbines, quibus percutior: vbi lapsus sum, vbi defluxerim, vbi infelix demersus sim, tu scis. Incurri enim negligens in ruinam: corrui incautus in turpitudinis foueam: decidi in cœnum flagitiorum: descendi in profundum malorum. Eripe animam meam ab inferis: erue me de immanissimo abysso: non me concludat profundum; non mihi deneget exitum. Ecce dies metuendus iam imminet: iam vltimus dies appropinquat: instant limites vitæ: nihil superest mihi præter sepulchrum. Parce mihi antequam eam: munda me, antequam ab hac vita egrediar: solue, priusquàm moriar, peccatorum vincula, Trinitas sancta qui viuis, & regnas in vnitate Deitatis per omnia secula seculorum. Amen.

93 Persimilem Confessionem, in secessu, obire soliti erant duo perquàm illustres viri, vitæ seuerioris exemplo, ac præsertim exitu, celeberrimi. Alter ipsorum, Hieronymus Vellius fuit: qui, cùm literariam togam maximis virtutibus exornasset; tanto cum eiulatu, anteactæ vitæ suæ scelera deplorabat, vt Religiosum in Cubiculum abditus, nullo impetu cohiberetur, fletu vberi, grauique singultu, cuncto ferè Cœnobio quin obstreperet. Sed ingentem hunc dolorem, & tantam vim lacrymarum, Dei Deiparæque blanditiæ associabant. Quippè, suo in secessu dignus fuit, vt etiam Puerulum Iesum in vlnas exciperet: & ante quàm vitam finiret, à Tutelaribus Diuis, instantis mortis admonitus, in prospectu vidit augustissimam, & speciosissimam sedem; quam suis virtutibus mira præsertim pœnitentia promeruerat. Alter, Iacobus Tornus, Religiosus Sacerdos, è Nostris, erat; qui, cùm sæpe orans, ac silens, veluti quotidiè moriturus, conscientiam suam, sacramentali & spirituali confessione, expiaret: ac semel etiam, vt aiunt, cùm, sex circiter annorum spatio, secessisset; meruit è viuis, vti dicam, summa omnium admiratione, decedere. Et rei seriem, quanquam fidem excedit, ad omnium documentum, ipse qui interfui, prolixiùs enarrabo. Neapo-

Bartholomæus Magius in eius vita.

li, vna eadem ambo die, è S. Mariæ Angelorum, in SS. Apostolorum Cœnobium, immigrauimus. Vbi, cùm in cœpto asperioris vitæ instituto, secessus ac silentij obseruantissimus, pernox, ac perdius, institisset; paucis post mensibus, capitis primùm dolore, mox febri correptus, lecto decubuit, salute breui à medicis desperata. Nox erat, ante lucem Dominicæ Ascensionis: & cùm, ad matutinas preces, omnes Excubitor excitasset: sedulus ægrorum Minister Iacobum adit, auditque (proh mirum!) cum Dæmone colluctantem. Fratrem vt vidit, poposcit Iacobus lustralem aquam: affert Minister; &, vt ille rogat, asperso cubili, iugulum abluit: ne ipsum hostis, vt tentauerat, interceptis vngue faucibus, elisoque spiritu, dirissimè strangularet. Mox, subitò placida lætaque fronte, ijsque gestibus nutibusque, qui expulsum Cacodæmonem, & Cæli adesse Incolas, indicarent, monuit Ministrum, cubiculo excederet, & clauderet fores; caussamque addidit: *Vt satiùs cum his Patribus loquar*. Paruit extemplò Minister; & omnibus stupore attonitus referebat, Iacobum hospites, sed à se non visos, in cubiculo habere: misceri vtrinque sermones; sed ægri tantùm excipi voces, hoc est, responsa, vel postulata, non aliorum. Sic alter, qui ad Chorum accurrebat, eò pertransiens, Iacobum audiuit (quasi Conditores nostri Ordinis interessent) varias protestationes obire, tanto cum verborum lepore, animi sensu, & cum amoris affectu editas, vt ipse, admotis ostij rimulæ auribus, obstupuerit; dolens, calamo se carere, quò eas excribere licuisset. Ergo, post Odei pensum, Pater, cui omnem is conscientiam expandebat, Iacobum conuenit, monetque, vt quicquid contigerit, sibi narret. Paret ille, aperitque perpaucis, se Virginem Deiparam, pluresque è nostris iam cæli ciuibus, aspexisse: imminentisque adhuc certaminis haud ignarus, se omnium precibus humillimè commendabat: tum Confessionem, quam diximus, (appellitans se hominem nequam, & longè post natos contaminatissimum) iterauit. Sed, ingrauescente iam morbo, Sacramentis ritè expiatus, hoc vnum à Patribus iterum humillimè studiosissimèque poposcit; vt, postquam vita defunctus esset, per literas, nostrorum domibus, de more significarent, impium improbissimumque hominem excessisse: totusque absorptus in Deum, & corde exæstuans, identidem ingeminabat has voces, *O amorem, amorem!* Cùm repentè, ægri custodes erumpunt, clamantque; Iacobum miserè exagitari, ac longè acrius cum inferis bellum agere. Eò igitur confestim accurrimus, omnes carissimo sodali, quas possumus, suppetias allaturi. Vtque inspeximus ægrum, orciniana legione vndique circumseptum, miserè laborare, mirisque

P.D. Franciscus Maria Rossi, vir sacræ eloquentiæ professor.

P.D. Hieron. Caracciolus, vir doctus, animam agentibus officiosissimè adstare solitus.

Die 10. Maij

que modis vrgeri, concuti, & exhorrescere; attoniti animis, cum lacrymis, in genua procubuimus; psalmis hymnisque, Deum obsecrantes, ne strenuus Christi Athleta, fracto animi robore, fœdissimorum lemurum suggestioni succumberet. Sed, subitò, omnes magna admiratione conspeximus Dei pugilem, à stygio furore defensum, vultu hilari, lætaque fronte, fixisque oculis, intueri alacrem agmina Beatorum. Cùm P. D. Hieronymus Caracciolus, vir planè doctus, qui ægro à confessionibus proximè adstabat, rogauit, an Deipara in cubiculo adesset? Annuit æger: ac sciscitantibus, vbi esset: primùm oculis, mox manu, locum indigitauit: omnesque humilem in pietatem, venerationem, ac precationem effusi, sanctissimam Dei Matrem, prona humi facie, salutauimus. Post Litanias, & Orationes, iterum is rogauit, an BB. Caietanus, Andreas, Ioannes, an Iacobus Tornus eius patruus, num Andreas Castaldus, Iacobus de Stephano, & Franciscus Olympius, interessent? Affirmauit æger. An Tutelaris Angelus? Et magno deuoti gratique animi sensu, quem in vultu expresserat, affirmauit. His acceptis, vt Nouitiorum cupidini, qui mecum aderant in cubiculo, satisfacerem; insusurraui P. D. Hieronymo, vt posceret, an Paulus IV. sanctissimus Pontifex & Ordinis Conditor, præsens, in eo Cælitum numero, inueniretur? Petijt Pater: æger audit, & inueniri, respondet: idque aliàs à P. D. Hieronymo Pignatello, viro sibi ob eximiam integritatem, & animi modestiam acceptissimo, & amicissimo, interrogatus, iterum, & tertiò confirmauit. Ad hæc, quæro, num adsit Mater nostra Vrsula Benincasa; cuius ipse Theatinis Virginibus à Confessionibus fuerat? Et quòd ab ea multum sensisse opis conijcimus; mira reuerentis animi significatione, respondet, adesse. Instat Caracciolus, & an adsit S. Ioannes Baptista, Christi Domini Præcursor, interrogat. Abnuit hìc æger. An B. Virginis Sponsus adsit? Et adesse, affirmauit. Multos ne insuper, an paucos, è nostro Ordine, videat? Et circumspicere satis multos, lustrato vndique oculis cubiculo, dixit. Hìc verò, ne ampliùs molestia æger afficeretur, neue curiositati explendæ quisquam vacaret, eiusmodi sciscitationibus finem, & silentium imposuimus. Nec tamen inuasionibus Dæmonum, aut spectris cælestibus finis fuit: ita vt eius cubiculum mali primùm genij, mox, alterno impetu, etiam agmina Cælitum occuparent; qui Iacobo, agenti animam, ad extremum vsque spiritum adstiterunt; vt omnes discerent, in secessu; Religiosi viri quàm admirabiles Christi pugiles, & bellatores euadant: & qui sæpe hominum consuetudinem fugiunt, terguntque lacrymis labes, atque humili sæpe conscientiam confes-

Obijt die 12. Maij, feria 6. 1649.

ſione perpurgant, dignos fieri, qui Beatorum conſortium, & Paradiſi gaudia, vti vidimus, etiam in terris attingant. Quæ omnia confirmat Silos, his verbis: *Dum hæc ſcriberem, anno videlicet labentis ſeculi nono & quadrageſimo, Maio menſe, exceſſit è viuis* (Iacobus Tornus iunior) *in Neapolitana ſanctorum Apoſtolorum Domo; planè non ſine maiore quadam virtutum teſtificatione, ac pompa. Extinguitur nempe lumen vberiore lumine. Cæleſtium præterea fauor, atque oſtenta, viri merita comprobarunt. Adfuere ſiquidem in ſupremis laboranti Diuorum cœtus, quibuſcum auditus ſermones trahere: teſtatuſque ipſe tunc eſt, dignatum ſe inter cæteros ſanctiſſimi Parentis Caietani, ac B. Andreæ præſentia, in quorum complexu animam efflauit.* Lege Stephanum Pepium, in certamine agentium animam, parem de P.D. Clemente Alonſo, Venerabili & Apoſtolico planè viro pugnam, ac diſertè victoriam enarrantem. Quæ etiam à Silo refertur in libro 7. fol. 348.

Ioſ. Silos p. 2. lib. 5. fol. 348.

Pepe inceſt. Agoniz. cap. 23.

LIBER III

De tempore Spiritualibus Exercitijs impendendo.



Actenùs de Perſonis, & Cauſis, quæ huiuſmodi Recollectione opus habent. Sed quoties, & quo potiſſimùm anni tempore, ſit eundum in ſolitudinem: quæ ſit ſecedendi neceſſitas, ac Spiritualium Exercitiorum Nomen, hìc exponemus.

DISQVISITIO PRIMA.

De inſtituendo Seceſſu in ſingulos annos.

94 VT QVOTANNIS. Fieri hunc ſeceſſum in ſingulos annos, communis eſt hodiè ritus multorum Ordinũ quem præſertim inuenio, apud Carmelitas Excalceatos: quorum Conſtitutiones Superiorem, ad Spiritualem profectum ſubditorum curandum, monent: *Det operam, vt fratres ſinguli, quotannis, ſemel ſaltem Spiritualia quæ vocamus Exercitia faciant.* Societas Ieſu quo-

Cõſt. cap. 25. p. 3. n. 24.

tannis Exercitia fieri mandauit, vt vidimus; & annua vocat, hoc ſeptimæ Congregationis decreto: *Detur opera, vt annua Exercitia ſpiritualia, nono canone Congregationis ſextæ præſcripta, exactè ab omnibus fiant, omni omninò excuſatione ſepoſita, ac ſuperata*. Sic Clerici Regulares Minores, Barnabitæ, Eremitæ Diſcalceati ſancti Auguſtini, Excalceati ſanctiſſimæ Trinitatis, Monachi Reformati ſancti Bernardi Ordinis Ciſtercienſis, Prædicatores, Præmonſtratenſes, & alij quorum ſparſim in opuſculum mentionem iniecimus. Singuli enim, vt i dicam, ſemel ſaltem, quotannis, Recollectionem aut ſuadent aut mandant. Et planè ſanctus Carolus, vt Autor vitæ habet, non ſemel, ſed *bis ſingulis annis, ab Vrbe diſcedebat, ſeque in remotis ſolitarijſque locis colligens, plures dies totos, ab omni alia occupatione liber, tum ſuperioris temporis errata delebat, tum ſe ſe ſpiritualibus diuiniſque contemplationibus, ad maiorem ſanctitatem incitabat. Inde, cæleſti pabulo refectis animæ viribus, ad ſua curricula recens alacriſque deſcendebat*.

Decr. 25. §. 4

Car. Ep. Nouar. l. 7. c. 14. Glus. l. 2. c. 16 & l. 8. cap. 5.

DISQVISITIO SECVNDA.

De Tempore Aduentus & Quadrageſimæ, ſpiritualibus Exercitijs opportuno.

95 TEmpora huic Recollectioni, præſertim in noſtro Ordine, iunioribus, ac Nouitijs deputata, ſunt Aduentus, & Quadrageſima: cùm vt ieiunio etiam comites orationem, & ſenſuum mortificationem adiungant, inambulatio extra Vrbem, & menſtrua remiſſio animi, interdicuntur. Inuenio hunc ritum in priſcis Patribus. Nam de Quadrageſima, inſigne habeo, apud Bedam, Ioannis, Epiſcopi Haguſtaldenſis Eccleſiæ, teſtimonium; qui ſecretiorem manſionem in nemore habebat, vallo circundatam, amne ſeparatam, ab vrbe ſeſquimilliare diſtantem, cum cœmeterio ſancti Michaelis: *In qua Vir Dei ſæpius, vbi opportunitas arridebat temporis, & maximè in Quadrageſima, manere cum paucis, atque orationibus, ac lectioni, quietus operam dare conſueuerat.* De Quadrageſima autem, & Dominico ſimul Aduentu, inuenio apud eundem Eadberti Epiſcopi ſanctiſſimi morem. Cùm enim Fratres, Cuthberti, prædeceſſoris eius, ſepulchrum aperuiſſent, vt honorificentiorem in locum oſſa transferrent; poſt vndecim annos, corpus integrum repererunt: ac rem mirati, *Feſtinarunt*, inquit Beda, *referre Antiſtiti quod inuenerant: qui tunc fortè in remotiore à monaſterio loco, refluis vndique maris fluctibus*

Beda lib. 5 hiſt. Angl. c. 2.

Beda in vita S. Cuthberti cap. 42.

bus cincto solitarius manebat (in hoc etenim semper Quadragesimæ tempus agere, in hoc quadraginta ante Dominicum Natalem dies, in magna continentiæ, orationis, & lacrymarum deuotione ducere consueuerat) in quo etiam venerabilis præcessor eius Cuthbertus, priusquam Farne peteret, sicut & supra docuimus, aliquandiu secretus Domino militabat.

96 Vtrumque verò tempus, ob Spiritualia Exercitia, in Vrbe complexi sunt Minores Hiberni strictioris obseruantiæ; qui sanctū Carolum imitati, in statutis Collegij sancti Isidori *tit. de Oratione, ieiunio, & disciplina*, sic habent: *Præterea, concedatur tempus Recollectioni fratrum bis in anno, nouem diebus ante Natiuitatem Domini, & à Dominica Passionis, vsque ad Dominicam Resurrectionis: quo tempore, seruetur domi perpetuum vbique silentium: nullusque vocetur ad portam, nisi de licentia Superioris: neque admittantur colloquia externa, nec mittātur foras fratres, nisi ob causas quæ non possunt excusari. Liceat tamen semel in die conuenire fratres ad piam exhortationem, seu collationem spiritualem; quam, pro more, quispiam ex maturioribus, alternis vicibus, habere potest, ex vitis Patrum, aut certè assumpto themate, illudque prosequendo, ad excitandum spiritum.* Hactenus Minores Hiberni.

Minores Hiberni instatut. c. 11. tit. de orat. ieiunio, & disc.

97 Sed his præsertim temporibus, Nouitiorum est mos, vt ad Spiritualia Exercitia incumbant. Frater Ioannes à Iesu Maria, Carmelita Discalceatus, in sua Magistri Nouitiorum Instructione, loquatur. *Præter eā animi præparationē,* inquit, *quæ ante solennissima festa fieri solet, mos inter Fratres nostros inualuit, vt appropinquante Aduentu, Quadragesima, cursuque illo ieiuniorum Ordinis proprio, Magister Nouitios admoneat, & præscriptis Exercitijs internis ac externis, ad vberiorem perfectionem comparandam opportunis, præmuniat. Diebus ergo decretis, illos ad cursum adhortabitur; & ad rem feruentiùs ac fructuosiùs præstandam* (audiat hic quisquis est Superior, quod ab ijs, qui in secessu versantur, vel per se, vel per Directorem, exquirere debeat) *præcipiet, vt quisque, si animaduerterit, actum aliquem communem lentescere, vel obliuione sensim deleri, aut actum aliquem ad perfectionem desiderari, scripto notet, atque ad ipsum deferat, vt perfectionem monasticā promouendam curet. At caueat, ne temerè nouos ritus inducat, vel quicquā immutet.* Hoc, vt dixi, omnium interesset; quod subiungit, Tyrociniorum est mos: *Per hoc tempus, ad spiritum alendum, mitti solent spiritualia Certamina, Magistri ac Nouitiorum omnium nominibus subscripta, ex vno in aliud, aut alia Religionis Cœnobia; quod, ad animos æmulatione sancta exstimulandos, mutuaque caritate delectandos, plurimum ponderis habet. Hæc ergo Certamina Magister obliuioni ne tradat.* Hactenus Carmelita.

Instr. p. 4. c. 4.

98 A Scholasticis verò, laudo, plerunque secessum, æstiuis Vacationibus, vsurpari: vt, Congregationis Clericorum Reg. pauperum Matris Dei Scholarum piarum, audio, morem esse; & in Prædicatorum Ordine, R. P. Gregorius Areylza, vir eiusmodi artis peritissimus, hoc modo præscripsit: *Curent Superiores, vt studentes, ne lectiones amittant, se recolligant tempore Vacationum. Quod si importunitas temporum non permiserit, poterit id præstari, quando habentur lectiones, quibus tantùm inscribendis adsint, per illos decem dies; & ab omnibus alijs exercitijs, dispensari intelligantur.* De Hugone etiam, Linconiensi Episcopo, sic obseruo: *Singulis annis, vt minimùm semel, æstiuis Vacationibus, ad Monasterium suum Voictamiense, se conferre solebat. ibi verò, tanquam in messe fertili menti suæ de spiritualibus prouidit frugibus.*

P. Arei. Ordin. 2.

Vita eius ca. 23.

99 Monent nonnulli, vt Ioannes Suffrenus ait, ne fiant Exercitia, summis hyemis frigoribus, aut æstate maximè calenti. Parùm enim apta videntur hæc tempora meditationibus benè instituendis, & excludendæ omni conuersationi. Sic ille, in Circo Perfectionis; & subdit: *Alij secedunt mense Nouembri, qui Anni Ecclesiastici postremus mensis est.* Vt igitur prosperè nouum hunc Annum, cuius exordium est à Decembri, ineant, recipiantque fructum Aduentus Filij Dei, seriam totius Anni decursi inspectionem instituunt; & per hæc Exercitia, & annuam Generalem Confessionem, se penitùs restaurant.

Suffr. §. 8.

100 In quouis tamen Ordine, sua cuique opportunitas est quærenda. Sed plerunque religiosæ familiæ secessum instituere amant, insigniora circiter Festa, quæ solenniùs colunt: vt vel ad ea ritè celebranda se comparent; vel illorum solennitate, feliciùs nouæ vitæ initium auspicentur. Sic Theatinæ Virgines ab hebdomada ante Deiparæ Conceptionem incipiunt, & desinunt in Conceptionis Octauam. In Ordine Minimorum S. Francisci de Paula; *Memores*, vt Regula ipsorum ait, *quòd puræ, & assiduæ orationis iustorum magna sit virtus*, circiter festum Assumptæ Virginis, Recollectionem instituunt: vt suorum veterum Eremitarum morem retineant; & Baltassaris de Auila, Correctoris Generalis vigilantissimi, Ordinationem non prætermittant. Sed Clerici Regulares Matris Dei, vt singuli alternatim opportunèque secedant, satis putant, quatuor circiter, aut quinque mensium spatium, Recollectioni omnium deputatum, ante Natiuitatem Beatæ Mariæ Virginis inchoare. Ita ergo decernunt: *Quotannis singuli à Kalendis Septembris, vsque ad Septuagesimam, per hebdomadam, in cubiculum secedant, vt illis tradantur Exercitia Spiritualia, & Generalem totius Anni Confessionem habeant.* Ioannes verò Leonardius, Venerabilis ipsorum Fundator, Assumptionis festum, quod,

M. Vr. in reg. Congr.

Reg. Minim. sc. 8.

Const. p. 1. ca. 4. num. 6.

ut Pater Hippolytus Marracius narrat, *toti Congregationi vniuersale ac solenne esse voluit, peculiaribus piarum meditationum per hebdomadam Exercitijs, praeueniebat:* Quem morem Pater Cæsar Franciottus, eiusdem Lucensis Congregationis lumen & laus, editisque ingenij monumentis clarissimus, ante Beatæ Virginis partum, est imitatus. Carmelitæ tamen Excalceati, Eremitis suis, tria Recollectionis, & solitudinis arctioris tempora designarunt; cùm inter Constitutiones hęc mandant: *Recedent aliquot Fratres, de Prioris venia, ad cellas Eremi separatas, in Quadragesima præsertim, & Aduentu, & ab Ascensione vsque ad Pentecosten, ita ibi mansuri, vt Prior, iustis de causis, eos ad Monasterium reuocare, mutare, & cætera disponere possit, pro vt ei in Domino videbitur expedire.* Verùm Minores de Obseruantia, Mediolanensis Prouinciæ, plura alia tempora destinarunt spiritualibus Exercitijs, bis aut semel saltem instituendis; quem etiam ipsorum Ritum S. Sedes Apostolica, subiecto Diplomate, confirmauit:

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam. Exponi nobis nuper fecistis, dilectus filius Iosephus Redaellus, Commissarius Generalis Curiæ fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Obseruantia nuncupatorum, quòd aliàs, in aliquibus Ordinis præfati Prouincijs, fuerunt introducta Exercitia Spiritualia ad præscriptum Constitutionis fel. rec. Pauli Papæ V. &c. inter quas Prouincias cùm Prouincia Mediolanensis eiusdem Ordinis valdè cuperet Exercitia huiusmodi amplecti, decreto filiorum Ministri Prouincialis, & Diffinitorum dictæ Prouinciæ die XXIV. Aprilis M.DC.XXXXII. emanato statutum est, vt Exercitia prædicta, iuxta morem veterum SS. Patrum, & constitutionem prædictam, denuò instituantur: decretoque huiusmodi, omnes Sacerdotes, & Laici monentur, & rogantur, Clericis verò Prouinciæ prædictæ præcipitur, vt dicta Exercitia amplectantur, & in illis se exerceant, bis, vel semel in anno, per decem dies continuos, incipientes vel à Feria IV. Cinerum, vel à die Ascensionis Domini Nostri Iesu Christi, aut Natiuitatis B. Mariæ Virginis, vel S. Francisci, aut die Commemorationis omnium Defunctorum; & huiusmodi Exercitia peragantur, in Conuentibus, ad id per Ministrum Prouincialem, & Diffinitores prædictos designandis, & interim in locis Nouitiatuum, ac Professorijs, & aliàs, pro vt in eodem Decreto vberiùs dicitur contineri &c. Dat Romæ, apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die XXX. Maij, M. DC. XXXXII. Pont. Nostri anno XIX. Refert hoc Diploma Fr. Antonius Daza in Exercitijs Spirit. pro Eremitorijs S. Francisci.

101 Sed & sanctus Bernardus hortatur, vt si non sæpe, saltem nonnunquam, huic recollectioni vacemus: *Memento proindè, non dico*

semper, non dico sæpe, sed vel interdum, reddere te ipsum tibi. Vtere tu quoque te inter multos, aut certè post multos. Quamobrem, apud nos, benè vsus obtinuit, vt præter communem Orationem, quam vnà omnes in templo fundimus, ex veterum ritu, tum Clerici, tum Sacerdotes (quod in Nouitiatu didicimus) quotidie ferè in cellis, breui saltem aliquo temporis spatio, sese colligant, & spiritualibus Exercitijs occupentur. Hunc morem, quem in singulis Ordinibus, apud quoscunque Religiosos viros, extare non dubito, Autor Epistolæ ad Demetriadem, inter S. Hieronymi, & S. Augustini opera, sic suadet: *His tu per singulos dies horis, in secretiori domus parte ora, clauso cubiculo tuo.* Et de S. Bernardino Senensi, hæc lego, apud Surium: *Quotidie, vna hora, vacabat suæ deuotioni, atque interim nulli patebat accessus, neque Principi, neque Regi; sed cogebat expectare omnes.* Hæc Surius, qui Senensem suæ deuotioni vacare dixit, vt non illam communem Ordinis orationem signaret, sed specialem Bernardini secessum. *Epi. ad Dem. cap. 23.*

102 Imò aliquis horariam recollectionem, continentem actum Caritatis, & Contritionis, fieri suadet his verbis: *O Iesu amor meus, & Deus meus, diligo te super omnia propter te ipsum, qui hoc amore meo, omnique alio infinitiès dignus es. Et cur vnquam te offendi, ò summum, & omne bonum? Ah doleo verè ex intimo corde de omnibus peccatis meis, idque solùm, quia diuinæ tuæ displicent Maiestati. O parce propter te ipsum.* Vel: *O Deus infinitæ misericordiæ; doleo ex amore tui, quòd vnquam offenderim te. Amo te ex toto corde meo. Adoro & laudo te per ardorem caritatis & infinita merita dilectissimi Filij tui, vnà cum amore Spiritus sancti, cum desiderio & feruore B. Virginis Mariæ, & omnium electorum tuorum. Petoque vt des mihi continuum tui amoris augmentum, omnes meas actiones præueniendo, & dirigendo ad gloriam tuam.* Ita non nemo è nostris, qui Turcarum in regione versantur, cùm Meschitarum excubitores, & è turri, pro more, horarum spatia indicant, & populum monent, sed Deum potiùs blasphœmant quàm laudant; sese ipse colligit, & vt ritè Deum amet, hæc orat: *Amor æterne, Amor meus; vt quid toties offendi te! Vtinam te per æternitatem amassem! Da vt per æternitatem amem te. Amen!* Hoc à nobis, alibi etiam commorantibus, in horas singulas, cur non fiat? *Diesho. Chr. fol. 11.* *Iac. Merl. in Paradiso se. 4. fol. 233.*

103 Sed alij etiam hominem secularem, vt sese quotidie colligat in quaslibet horas, his considerationibus iuuant. *I. Seriò recordare, te non alio consilio conditum, quàm vt Deo seruias, & vitam obtineas sempiternam. II. Apprehende viua fide, cælum nonnisi vi, & virtute acquiri, peccato amitti. III. Nihil te eorum quæ possides potest à morte* *Dies ho. Chr. fol. 9.* *Eccl. 27. sap. 1.* *Matth. 11.* *Apoc. 21.* *Ap. 14. 2. Cor. 5.*

Io.9.Eccl.11 *comitari, nisi opera; si quidem bona, vt viuas; sin verò mala, vt pereas in æternum. IV. Firmiter tibi persuade, meriti tempus solum esse hanc vitam: hinc qualis discedis, talis tota æternitate mansurus es. V. Frequenter expende, Deum omnia, & singula, intueri clarissimè, cumque renum testem, & cordis intimi scrutatorem. VI. Praueni occasiones, quibus praui motus concitantur, ac tentationi inuitanti fortis resiste. VII. Omninò resolue potiùs quiduis perpeti, quàm animam culpa fœdare lethali. VIII. Si fortè lapsus es, alacrior exsurge: curre ad medelam, præsertim contritionis, & confessionis. IX. Erga proximum misericordiam, erga te ipsum seueritatem, exerce. X. Selige fidelem melioris vitæ, ac salutis Ducem, cui intimos animi recessus aperias; cuius consilijs penitùs acquiescas. XI. Dirige quæcunque tibi agenda, vel perferenda sunt, vt Deo potissimùm placeas. XII. Vt in bono perseueres, cogita hanc primam esse boni operis horam, & audi: Dixi nunc cæpi. Aut certe cogita, esse postremam, & audi: Nouissima hora est.* Alias horarias recollectiones, in Matutinis Exercitationibus, exhibemus.

Eccl.13 Sap.1. Iac.4. Eccl.18. Dan.13. Rom 8. Eccl.17. Ier.3. Luc.6. 1Cor.9. Eccl.6. Colos 2. Corint.10. Coloss.3. Psal.76.1. Ioan.2.

DISQVISITIO TERTIA.

De recollectione animi habenda tempore mortis. Et de ijs, quæ tunc præstariri debent à nobis.

104 SI secessu ac recollectione opus habemus cùm vegeti & incolumes sumus, vt ad mortem paremur; quantò magis cùm ægri sumus, ac lecto decumbibus, mortis periculo & articulo proximi? Suadetque hanc recollectionem Hadrianus Lyræus, Christi Saluatoris exemplo. Vix dum, inquit, ferali arbori affixus impios inter pependerat, qui peccatores veneret in filios adoptare, cùm subitis inuolui tenebris cælum, & nox omni nocte nigrior, in ipso meridie, cœpit picea quadam caligine condensari, sole in plenilunio, quod hactenus inauditum, singulari prodigio deficiente: luna, quæ tunc ab eo remotissima erat, insolito, eoque velocissimo cursu, ad solem accurrente, seque ei, ab hora sexta, ad nonam vsque, subijciente. Vnde factum, diuina potissimùm manu accedente (neque enim luna, cùm sole sit minor, ad hoc sufficiens erat, vt deliquium solis per vniuersam terram conspiceretur) vt totum aerem maximæ tenebræ inuestirent: eas ex proposito ordinante Domino, vt repentina illa nocte superueniente, turbarum motus ac strepitus cessaret, populus in domos suas recederet, atque ita liceret ipsi, maiori quiete ac veluti solitudine, tres illas horas, quas vitæ suæ resi-

Lyr. de imit. Iesu patient. lib.7. cap.1. doc.18.

duas tantummodò habebat, feruentiore prece & lacrymis, pro salute nostra, cùm pro sua non egeret, fundendis expendere. Quod Saluatoris exemplum sanè quàmplures sunt imitati. Nam D. Augustinus lethali iam morbo correptus, ante decem dies quàm mortem obiret, instantissimè postulauit, ne quis ad eum ingrederetur; nisi ijs tantùm horis, quibus Medici ad eum inspiciendum intrarent, vel ei refectio inferretur. Grimbaldus quoque Abbas VVintoniensis, sacrosancto Christi Corporis Viatico instructus, à fratribus petijt, vt solus per triduum, ad iter suum parandum, relinqueretur: quo tempore, in contritione cordis, & lacrymarum imbre, se Deo immolauit: & quarto die, fratribus ad se reuocatis, bene ijs precatus excessit. Dominicus de S. Seuerino, ex Minoribus S. Francisci in Picenis, noluit à quoquam, triduo ante obitum, visitari; propterea quòd in solo animæ suo occupari negotio cupiebat: totoque illo tempore se ad mortem feliciter obeundam expediens; tandem in Domini sui manus spiritum resignauit. Idem præstitit Nicolaus Factor eiusdem Religionis alumnus, neminem in cellam admittens, quòd colloquia sua cum solo Deo iam esse debebant. De S. Simeone Treuirensi testatur Chronicon Hirsaugiense, voluisse requiem per dies aliquot sibi dari, quò plus solito contemplationi vacare posset. In qua quidem requie sibi concessa, die vltima spiritum Deo reddidit. De S. Vincentio Ferrerio Vincentius Iustinianus scribit in vita, susceptis Ecclesiæ Sacramentis, vale dixisse omnibus, ac omninò prohibuisse ne tàm frequentes ad se visendum admitterentur, vt diuinarum rerum contemplationi vacaret. Camillus de Lellis, sacro item Viatico refectus noluit postmodùm vllos in conclaue viros nobiles ad se visendum admitti. Nam cùm mors dumtaxat semel oppetatur, vt bene oppetatur, curandum esse in primis, aiebat. Similiter vidi, audiuique multos è Nostris, grauiter decumbentes; gaudere potiùs silentio ac solitudine, quàm frequentia ac visitationibus aliorum. Sed vnum memorabo dumtaxat D. Petrum Algariam: quem Panormi olim, Romæque iuuenem institueram. Hic alacritate animi, ac ingenij amœnitate, adeò fuit hilaris ac festiuus, vt remittendi animi tēpore, cùm intererat, suis salibus ac lepore, cunctos exhilararet. Cùm se verò lethali ac fatali morbo correptū sensit, valedixit fratribus ac gentilibus suis, suoque extremùm Parenti, qui tunc inter Senatores adscriptus Panormum administrabat: & accersito Patre spirituali D. Ioanne la Rosa, qui post ipse non sine omnium laude & ædificatione decessit; enixè rogauit, vt omnes eo cubiculo excederent. Præstat enim, inquit, vt his diebus, qui supersunt, vnum

Possid. in vita S. Aug.

Io. Molanus.

Marinus in Chron.

Christophorus Moronus in vita.

Autor vitæ P. Camilli de Lellis.

illud animæ meæ negotium agam, quod eſt conſcientiam benè tergere & adornare, vt Iuſto & terribili Iudici me ſiſtere non temerè queam. Et demum, vt fœminas minimè prætermittam, Thuringiæ Principis Vidua, & Andreæ Hungariæ Regis filia, Eliſabetha, correpta vltima infirmitate, antè diem ſui obitus tertium, omnes ſuo cubiculo iuſſit excedere, & vllos in poſterum admitti prohibuit; Volo, inquiens, tumultus externi vacua meminiſſe Iudicis mei, terribilisque cenſuræ, quam breui ſubire debeo. Idemque B. Lyduuina, S. Franciſca Romana, Baptiſta Genuenſis, ac multæ aliæ egregiè præſtiterunt.

105 Illud verò, maximè omnium, in hac recollectione curandum eſt, vt diuinæ nos Voluntati, qua par eſt, demiſſione animi, conformemus. Et Chriſti quidem hæc actio noui hominis inſtructio fuit: naturam vincere, & quod Deus vult, oppidò velle atque perficere: si opes, ſi valetudinem, ſi vitam eripi velit, hoc fieri malle, nec diſputare curiam, cur hoc loco, cur hoc morbi genere moriendum ſit, ſed paratiſſimum ſe habere ad omnia, hoc vnum ingeminando aſſiduè, *quod vult Deus*. Hic magnus profectò animus eſt, ac Chriſto dignus. Contrà, ille puſillus ac degener, qui obluctatur. Mala ad mortem præparatio eſt, mori nolle. Facti autem dimidium habet, qui tunc vult, quando vult ille, qui nobis mali nihil velle poteſt; imò vnumquenque noſtrum (teſte Bonauentura, Hugone, atque Richardo Victorinis, Thaulero, ac Bloſio) tunc euocat, cum maximè nobis expedire cognouit. Igitur & quando, & quomodò Domino viſum fuerit, ſic fiat. Nam, vt benè Apoſtolus ait ad Rom. 4. *Nemo enim noſtrûm ſibi viuit, & nemo ſibi moritur: ſiue enim viuimus, Domino viuimus: ſiue morimur, Domino morimur: ſiue ergo viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus*. Et Lyræus quidem ſcribit ex hac conformatione ſeptem ab ægro elici fructus. Primum quidem, quo ſummum Dei ac Domini noſtri ius in ſe lubens agnoſcit. II. Quo immortali Dei hoſtiam optimam, vitam ſcilicet ſuam, in ſacrificium litat. III. Dum ſingularem, quo Deum proſequitur, amorem manifeſtum facit, vitam ſuam, quantum in ſe eſt, ponendo pro illo. IV. Profitendo liberè Deum ſibi ſufficientem, eius non indigere. V. Dum obligationem beneficij magni, quo Deo deuinctus eſt, agnoſcit, voluntariè vitam ſuam ei donando, in agnitionem eius, quam is antè pro homine poſuit, & prior effudit. VI. Dum lubens omnem voluptatis ſenſum, qui morte finitur, abdicat, quo diuinæ Iuſtitiæ pro peccatis ſuis faciat ſatis. VII. Dum non obſcurè ſpem vitæ futuræ proſequitur, mortem non tam vitæ ſuæ finem agnoſcens, quàm initium

melioris, & peccandi finem. Quæ omnia quantum iuuent, ex Ioanne Thaulero audiemus. *Nullum*, inquit, *exercitium in extremis vtilius esse potest, quàm vt quis Christi exemplo se ipsum ex integro diuinæ voluntati resignet: fieri enim nequit, quin is qui eiusmodi vera perfectaque resignatione, cum sancta erga Deum fiducia, ex hac luce discedit, confestim ad cælestia regna pertingat. Nam sicut nihil omninò pœnæ, nihil ignis purgatorij in Deum cadere potest, ita nec in hominem, qui eo modo per voluntatis conformitatem, amoremque, Deo vnitus est, dicens assiduè cum Vate Regio: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Hoc est, exclamante Bernardo: Paratum ad secunda, paratum ad aduersa, paratum ad sublimia, paratum ad humilia.* Quæ omnia refert Blosius, Lyræus, noster Aloysius Nouarinus, & nos in Crucifixo Ecclesiæ Panormitanæ *num.* 73. Exempla aliquot afferamus.

Io. Thauler. ap. Lyræum fol. c. 74.

Psal. 56. 8. Blos. in consol. pusil. Nouar. in praxi bene mor. præl. 8. Lyræus lib. 7. cap. 1. doc. 6. fol. 474.

106 Decumbere cœperat ex graui morbo Stanislaus Hosius, Cardinalis Varmiensis, cùm audiens, Episcopum publicas pro salute eius preces ac supplicationes instituisse; Magnas, inquit, gratias ago Episcopo, & Virginibus istis, atque omnibus, qui pro me miserrimo peccatore solicitudinem istam ceperunt: scioque magnum pondus habere, apud Dominum, castarum Virginum, & innocentium puerorum orationes: sed nihil aliud ego volo, quàm quod tu vis, Domine, *fiat Voluntas tua*: ne momentum quidem temporis viuere cupio, vltra quod constituit mihi Dominus: *Paratum cor meum, paratum cor meum*. Sed S. Bernardum de fratre suo Gerardo audiamus. *Accitus sum ego*, inquit, *ad id miraculi, videre scilicet exultantem in morte hominem, & insultatem morti*: Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? *iam non est stimulus sed iubilus. Iam cantando moritur homo, & moriendo cantat. Vsurparis ad lætitiam mater mæroris: vsurparis ad gloriam, gloriæ inimica: vsurparis ad introitum Regni, porta inferi; & fouea perditionis ad inuentionem salutis, idque ab homine peccatore. Iustè nimirum, quia tu in hominem innocentem & iustum, potestatem temeraria vsurpasti. Mortua es, ò mors, & perforata hamo, quem incauta deglutisti, cuius illa vox est in Prophetis*, O mors, ero mors tua, morsus tuus ero inferne, *illo inquam hamo perforata, transeuntibus per medium tui fidelibus latum lætumque exitum pandis ad vitam. Gerardus te non formidat, larualis effigies: Gerardus per medias fauces tuas transit ad Patriam, non modò securus, sed & lætabundus & laudans*. Eandem lætitiam habuisse in morte descripsimus Iacobum de Stephano, & Iosephum Caracciolum: eandemque in Vbaldo Pellizzario narrat noster Iosephus Silos. Et hoc animo iustus ille latro moriebatur in cruce: qui non salutem corporis à Domino postula-

Stanisl. Rescius in vita.

S. Bern. ser. 26. in Cant.

Silos hist. p. 2. fol. 348.

it, nec vt à pœnis purgatorij ſeruaretur: ſed animo libenti pro Dei
loria ac peccatis ſuis moriens, totum ſe in diuinam voluntatem con-
cit: totum ſe Chriſto conſignauit, vt is ſecum id ageret, quod Deo
bique congruere non neſciret; *Memento mei Domine*, ſolū inquiens,
m veneris in regnum tuum. S. Caietanus, cùm lecto ex morbo de-
imberet, ac mors ſibi propiùs immineret, totum ſe (vti ſolebat in-
olumis) diuinæ Voluntati omninò permiſit. Saccum, paleis infar-
um, in quo iacebat, mutari noluit; neque Medicos accerſiri, quàm
num illum, qui Domui inſeruiebat. Sacramenta omnia Eccleſiæ
um magna animi demiſſione popoſcit. Veniam ab omnibus humil-
mè petijt: ac cunctos ad Religioſas Virtutes, & Apoſtolicam ad Pau-
ertatem præcipuè colendā hortatus eſt. Deumq; enixè rogauit, vt ne
ui vnquā in mundo memoria remaneret: ac pro populis, qui tunc ar-
nis grauiter inter ſe diſſidebant, obtulit ſe hoſtiā Deo: & pacē in cine-
e & cilicio moriens impetrauit. Carolus verò de Condrē, Præpoſitus
Generalis Oratorij Domini Ieſu in Gallia, cùm Medici ei ſupremum
mminere diem indicaſſent; I. Diem totū elegit & integrū, ad agendas
Deo gratias pro acceptis ab illo beneficijs per totam vitam. II. Om-
ies animi noxas, à puero commiſſas, ſacra confeſſione expiare con-
ſtituit: quam publicè quidem coram vniuerſa Congregatione face-
e decreuerat, vt tanto meliùs, tutiúſque, ea, quam Sacerdoti fa-
ſturus erat peragi poſſet: verùm, cùm aliter ſuperiori viſum eſſet,
eius ſe arbitrio ſubmiſit, ac ſeniori, qui totum cœtum repræſentabat,
ırcana conſcientiæ vniuerſa retexit. III. Veniam praui à ſe dati ali-
quando exempli, noxarumque omnium, ac negligentiarum, inſtan-
tiſſimè petiuit. IV. Cùm magnis febrium ardoribus vreretur, ob-
ulit ſe ad eoſdem vſque ad ſupremum Iudicij diem ſufferendos, eo-
que ſe alacriter diſponebat. V. Iterabat ſæpiùs ſperare ſe à Domi-
no nequaquàm damnandum: idque intuitu ſanguinis eius, tanta ca-
ritate pro ſe fuſi: pœniſque in piaculari animorum carcere, ad vſ-
que Iudicij diem, ſufferendis contentum fore. VI. Sacerdoti Via-
ticum deferenti occurrere voluit ad cubiculi portam, ſed permiſſus
non fuit. VII. Sacram Vnctionem poſtulauit, priuſquàm ſenſibus
deficeret. VIII. Singulos fauſtis precationibus proſecutus, eijſdem
dixit vale. Veni, inquiens, Domine Ieſu, & viue in his famulis tuis,
n plenitudine: & dominare aduerſæ poteſtati; qui viuis & regnas
n ſecula ſeculorum. IX. Petijt omnia ſua ſcripta comburi, vt nihil
ui in hoc mundo reſtaret. X. In Cœmeterio iuxtà crates, quæ limen
empli contingunt, voluit ſepeliri, vt portaret omnes quotquot tem-
plum ingrediuntur: foſſam verò ſeptem pedibus profundam fieri ro-

gauit, vt de ſe nullus loqueretur, nihilque ſui aliquando appareret. XI. Doloribus augeſcentibus, adſtantes magis conſolabatur ipſe, quàm ipſi eum. XII. Monitus inſtare finem, triplici ſe modo ad eam comparauit. 1. Perfectam Ieſu Chriſti Obedientiam adorabat, quam Patri æterno vſque ad ſupremum halitum, mortemque ipſam, exhibuit: ſuamque hilariter acceptabat, diuinæ ſe Prouidentiæ in tempore hoc & æternitate ſubmittens. 2. Se cum Chriſto vniens diuinam cum eo Iuſtitiam venerabatur: ſeque reum agnoſcens, lectum vt ſupplicij theatrum intuebatur. 3. Se Deo optimo maximoque offerebat, ab eo contendens humiliter, ea omnia recipere lumina, quæ, dum morientibus adſiſteret, ſenſerat aliquando. XIII. Gnarus opus eſſe ad benè ſanctéque moriendum ſeparari antè à mundo, peccato, & ſe ipſo, votum fecit hoſtiæ, quo ſe omnibus iſtis auulſum ſoli Deo dedicabat. XIV. Sentire cœpit magnas ſpiritus anguſtias & deſertiones, quas tamen magna animi reſignatione acceptabat, paratus ad finem vſque eas ſufferre. Cùmque Sacerdos inſuſurraret auribus eius: permitte totum te Deo; permiſi totum, repoſuit, & obijt.

107 Eia ergo, huic Diuinę Voluntatis imperio nos omninò ſubdere ac ſubmittere ſtudeamus; & tã morti proximi quàm incolumes, conemur Teſtamentum, quod ſubijcio, ratum velle.

TESTAMENTVM HOMINIS CHRISTIANI.

Proteſtor in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, in præſentia B. V. Mariæ, Angeli Cuſtodis, S. Ioſephi, S. Ioannis &c. voluntatis meæ eſſe viuere & mori legitimum filium Eccleſiæ Catholicæ Apoſtolicæ Romanæ. Deus Omnipotens vellem te heredem ſcribere meum, ſed quid legare poſſim? Eheu! omne meum tuum eſt atque à te profectum. Scio quòd animam meam ames, quam creaſti, & redemiſti: hanc itaque, vbi corpore exuta fuerit, tibi lego, vt facias de ea ad beneplacitum tuum. Interim velim eam in vulnere lateris tui ſepeliri, benedicendo perpetuò lanceæ iſti, quæ ei tam dulce hoſpitium præparauit. Velim tres eius potentiæ tibi illicò reſtituantur. Memoria occupetur recordatione beneficiorum omnium, quibus me tantoperè præueniſti. Intellectus vinciatur repagulis fidei, credendo omnibus, quæ reuelaſti, ſiue ea ſcripta ſint, ſiue non ſint. Virtute huius fidei proteſtor, quòd velim in mortis meæ aditu ſacramenta pœnitentiæ, V. Euchariſtiæ, & Vnctionis recipere: & ſi aliquo caſu hæc mihi impoſſibilia reddantur, ex nunc accuſo me de peccatis omnibus meis, & peto abſolutionem. Voluntas conformetur diuinæ in æternum: in cuius ſignum accepto lubens mortem, qualemcunque tibi placuerit mihi immittere, in ſatisfactionem peccatorum meorum, gratias agens tuæ benignitati, quòd tamdiù me toleràris. Et tu Virgo Beatiſſima Mater Dei,

Lyr. de imit. Ieſu patient. lib. 7. cap. 1. doc. 5. fol. 472.

spes mea post Deum meum, quid à me feres? Humilem recognitionem pendo tibi bonitatis tuæ, qua me agnosco à te adiutum millies, millies damnandum fuisse, nisi immeritum iuuisses: vtinàm quidpiam legare tibi possem dignum te? O si vnam saltem salutationem Angelicam eo respectu & attentione, qua te Gabriel salutauit, relinquere queam? Verùm cùm id facere non possim, spe participationis omnium timentium te, omnia rosaria à quocunque tibi presentata, & in finem præsentanda, lego, cum eo corde & pietate qua recitata sunt. Angele Custos, Tobias Raphaeli mediam partem omnium obtulit: ego tibi lego mediam partem eorum, non quæ modò habeo, sed in Cælis me habiturum spero, auxilium vestrum ac fauorem. Amicis omnibus meis lego pacem Iesu Christi D.N. Inimicis ignosco, vtque eis ignoscat Deus, rogo desideroque. Corpus terræ, vnde sumptum, resigno. Supremæ huius voluntatis meæ testes voco totam Curiam cælestem, Patronos, & Patronas meas.

DISQVISITIO QVARTA.

De Alphabeto Dominicæ Passionis, quod sæpe in secessu, ac sanctiori præsertim Hebdomada, recolendum.

108 INter sacratiora tempora, habemus maiorem siue sanctiorem Hebdomadam, & Octauam Corporis Christi: quocircà Meditationes tam de Christi Domini Passione, quàm de Venerabili Eucharistia, quibus illis diebus vtimur, cùm nobis quocunque anni tempore proficere possint, hìc opere pretium arbitror lectoribus exhibere. Et primas quidem ex selectis Patribus hinc inde studiosè decerptas, ita in modum Abecedarij concinnauimus.

ALPHABETVM PASSIONIS CHRISTI, ET B.V. MARIÆ.

A. Accepta ab Apostolis, & vnà cum ijs à Beatissima Virgine sacratissima Eucharistia (vt tradit Paleotus *de Paß. chorda* 7. *cap.* 11. Christophorus de Castro *in hist. Virg. cap.* 1. Barradas *to.* 4. *in Euang. lib.* 1. *cap.* 17. Sherlogus *to.* 3. *in cant. inuest.* 37. *num.* 20. & alij) quam in Cœnaculo Christus Dominus instituerat; *abijt vnus de duodecim*. Iudas scilicet Apostolus, euasit Apostata, & impiè Christum vendidit. Quàm verò res hæc dura tristis ac probrosa Christo fuerit, non vno Dauidicæ Psalmodiæ in loco memorat, maximè verò psal. 40. *Etenim homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem*. Quod de Iuda proditore Ioannis 13. citauit his verbis: *Non de omnibus vobis dico: ego scio quos elegerim, sed vt adimpleatur*

[Margin: Psal. 40. 10.] [Margin: Ioan. 13. 18.]

scriptura: Qui manducat mecum panem meum, leuabit contra me calcaneum suum. Hoc autem fuit (vt S.Paschasius explicat) *quia eisdem pedibus, quos Christus lauerat, & reuerenter receperat, cum eisdem Iudas ad tradendum iuerat.* Tot ille auctus officijs, tot beneficijs cumulatus: posteaquàm Patrem eius Christus à lepra, Matrem à paralysi curasset: eum verò nihil tale commeritum Apostolorum Collegio inseruisset: horum tamen omnium oblitus, ab eius se schola subduxit: eũ calumnijs, teste Simone de Cassia, nec paucis nec leuibus onerauit: ac tandem illi vitam ereptum iuit. Quæ omnia sanctissima Mater haud ignorabat: ideòque verba filij conferentis in corde suo animam acutissimus doloris gladius pertransibat. Quis considerare valet, inquit Lanspergius, dolorem afflictæ Matris, cùm traditum ab Iuda filium suum dilectum audiuit? *Abijt vnus* ille: & hoc verbum Rupertus expendens, ait: *Verè & veraciter dictum est: Tunc abijt vnus de duodecim. Abijt enim, & totus recessit ab illis: Apostolatum suum dimisit: Episcopatum suum alteri reliquit: abijt in Concilium impiorum: abijt à Deo, stetit cum diabolo.* Caue tibi ne à tuis sodalibus abeas. Audi Ioannem Chrysostomum: *Quando vltima Cœna communicauit Iudas nocte illa postrema, cæteris omnibus recumbentibus, ipse se proripiens excessit. Illum imitantur & isti, qui ante vltimam gratiarum actionem discedunt. Nisi enim exijsset, ille proditor factus non esset: nisi seipsum extra ouile proripuisset, non eum lupus solum offendißet, atque deuorasset: nisi se ipsum à Pastore segregaßet, belluæ præda factus non esset.* Sed hìc cum Ambrosio exclamem: *O Iuda proditor, vnguentum Passionis eius tercentis denarijs æstimas, & Passionem eius triginta denarijs vendis? Diues in æstimatione, vilis in scelere.* O Iuda, qui etiam Christi Corpus in Venerabili Eucharistiæ Sacramento tam impiè contempsisti, vt de te scriptum sit: *Cùm accepisset buccellam exiuit continuò.* Quod Theophylactus exponens ait: *Panem accepit, non comedit, sed occultauit vt monstraret Iudæis, quòd panem Corpus suum vocaret Iesus.* Sacratissimum hunc panem nos adoremus, & tibi ò B.Virgo referamus acceptum: *Quæ facta es nauis institoris, de longè portans* (vt Richardus à S.Laurentio ait) *panem istum tuum: quoniam non poßumus eum habere nisi à te, & per te. Vnde tota deuotione dicimus tibi: Mater nostra, quæ es in Cælis panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

Pasch. Abb. in cap. 26. Matth.

Lansp. & Thipol. in consid. de Pass. tr. 11. medit. 7.

Rup. in cap. 26. Matth.

S. Chrys. in hunc lo.

S. Ambr. lib. de spir. 5. c. 18.

Io. 13. 30.

Theoph. in Matth. 26.

Prou. 4. 5.

Rich. à S. Laur. de laud. B.V.

B. Bonus Iesus, Deum Patrem suum benedicens, extremum vale dicit dilectissimæ Matri. *Cœna igitur facta*, inquit Bonauentura, *vadit Dominus Iesus ad Matrem: & sedet seorsim colloquens cum ea, & copiam ei suæ præsentiæ præbens, quam in breui substracturus erat ab ea; dixitque ei: Mater carissima, voluntas Patris est, & tempus Redemptio-*

Hora 7.

S. Bon. medit. vita Chr. cap. 12.

nis aduenit: modò implebuntur omnia, quæ de me scripta sunt. Dixit igitur Mater, vix valens verba formata proferre: Fili mi, tota perculsa sum ad vocem istam, & cor meum dereliquit me. Imò cor Virginis, acutissimo tunc veluti gladio fuisse transfixum, affirmat Hebronensis Antistes. (Forner. in Parad. mal. pun. com. 2. conc. 23.) *Doloris gladius*, inquit, *cor eius sacratissimum penetrabat, cùm Filius ad passionem iturus, in Bethania, ei vale dicens osculo dato, cum lacrymis ab ea discedebat*. Idemque sentire peritiores Doctores, addit S. Vincentius. (S. Vinc. in parasc.) Si igitur abeunte Paolo, *magnus fletus factus est omnium, & procumbentes super collum Pauli osculabantur eum.* (Act. 38.) Si Dauid & Ionathas cùm sibi supremum vale dicerent, *osculantes se alterutrum fleuerunt pariter*; (1. Reg. 20.) quia *anima Ionathæ conglutinata erat animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam.* (1. Reg. 18.) Si tanto cum dolore deflebat Patriarcha Iacob Beniaminum ab se diuelli, (Gen. 42.) & Anna Tobiam, qui Angelo comite ad Nuptias properabat in Repes: *Cùmque profecti essent, cœpit Mater eius flere & dicere: Baculum senectutis nostræ tulisti.* (Tob. 6.) Si tantas hi lacrymas effundebant; quis animo complectatur, quantus quàmque amarus, in hac Filij separatione, ad grauissimam lanienam abeuntis, B. Mariæ Virginis luctus ac comploratio extiterit? *Plus omnibus dilexit; propterea & plus doluit*, inquit Hieronymus. (S. Hier. ser. de assumpt.) Orem hìc cum S. Bernardo: *Heu heu quò abijt gaudium meum? vbi latet amor meus? vbi est dulcedo mea? cur dereliquisti me, salus mea? heu mihi, Domine! heu miserere animæ meæ! Recessisti consolator vitæ meæ, nec vale dixisti mihi! Quid faciam? vbi te vnicum bonum meum requiram? Et quando te inueniam ego miserabilis? Renuit consolari anima mea, nisi in te dulcedo sancta mea. O Saluator meus! Veniat obsecro tempus, quando reuelatis oculis inspiciam, quem nunc à longè inclamo. Apprehendam, quem desidero, & amplectar: in abysso amoris tui totus absorbear! Nil mihi, quæso, sine te dulcescat: nil pretiosum arrideat mihi. Da mihi, bone Iesu, in te viuere, & pro amore tuo mori, qui pro me dignabaris amaræ mortis tormentum subire.*

(Hora 8.) C. Captiuitas Filij B. Mariæ Virgini nuntiatur: ac tunc B. Albertus Virginem quasi lunam candidissimam contemplatur, *conuersam fuisse in sanguinem, quando intellexit, dulcissimum Filium suum traditum, & captum*. (B. Abb. M. ser. Dom. Adu.) Et hic alter gladius fuit, qui cor B. Mariæ, ex Fornerio, transfigebat: quando Filium captum, laqueis, catenisque, latronis instar, vinctum rapi inaudiuit. Quod & ipsa Dei Mater Cantuariensi Antistiti confirmauit, his verbis: (S. Anselm. diab. de pass. D.) *Venerunt Discipuli currentes, & lacrymabiliter clamantes: O carissima Domina, dilectus Filius tuus, Magister noster, captus est, & nescimus quò ducatur, vel quid fiat. Et tum*, inquit, *propter maternum affectum, doloris gladius animam meam*

pertransiuit. Quando à Philistinis arca Dei capta fuit; venit in Silo scissa veste, & consperfus puluere caput, nuntius: quo audito, vniuersa Ciuitas vlulauit: & Heli cecidit è sella, & corruit mortuus. Et nonnè Christi Humanitas, sacratissima est arca, vt Gregorius, Beda, & Cyrillus ait, purissima carne, & sanguine Virginis, Deo artifice concinnata: quæ non manna, sed Diuinitatem cælabat? Huius iacturam quàm vberioribus lacrymis Mater amantissima deplorauit? Vbi nuntius de Ierosolyma à Sultano capta Romam delatus, Vrbanus Pontifex præ dolore expirauit. Vbi captam Constantinopolim à Turcis Nicolao V. denuntiatum, ille adeò luxit, mortem vt oppetiuerit. Vrbem B. Virgo omnium Vrbium, imò totius Orbis suum Filium Conditorem, quem præ mille mundis diligebat; quanta lacrymarum vbertate defleuerit? Dicam cum S. Bonauentura: *Propter terrores illius commotionis, qua cor tuum contremuit, Virgo Beatissima, quando audiuisti filium tuum dilectissimum ab impijs captum, ligatum, & ad supplicium tractum, & traditum, adiuua nos, vt cor nostrum nunc pro delictis nostris terreatur, & moueatur ad pænitentiam: ne mortis in hora, ad occursum aduersarij, paueat, aut ad aspectum tremendi Iudicis; accusante conscientia, contremiscat: sed potiùs faciem tuam videat, in iubilo delectetur, ineffabiliterque lætetur, præstante eodem Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre &c.* S. Bonau. off. de compass. B. Virg.

D. Ductus est Iesus ad Annam primùm, socerum Caiphæ; & quem ipse Caiphas, vt ait Euthymius, *quasi Patrem honorabat*: cuius consilio cuncta gerere ac disponere videbatur: vt ex eius insinuatione cuncta Caiphas pertractaret & ordinaret. Vel, vt ait D. Cyrillus, eò ductus est, vt ab Anna triginta denarios pro comprehensione sibi promissos Iudas acciperet. Sed vt ad Mariam redeamus; *cuius cor cogitare possit*, inquit Blosius ex Thaulero, *quantam perpessa sit crucem & afflictionem, nocte illa tristissima, qua dilectus filius eius manibus est traditus hominum impiorum, & à proprijs relictus discipulis? Satis quidem credibile est eam (quoniam plena erat Spiritu sancto) vidisse in spiritu omnem dolorem, & cruciatum, quem vnicus eius nocte illa horribili expertus est*. Et tandem in has piè voces exclamat: *O Maria, mœstissima Mater! quàm acerba, quàm tristis nox ista tibi fuit! vt gladius Simeonis sæuijt in corde tuo! quis cogitare queat, quàm ignita verba, quàm feruidas amoris scintillas, tota illa nocte (velut è fornace) ardentissimum cor tuum emiserit? forsitan enim, hoc similiue modo dicebas: O Iesu, fili mi! fili mi, dulcissime Iesu! quis te mihi eripuit? quis Matrem à tam caro separauit pignore? vt quia non video te lumen desiderabile oculorum meorum, quis det mihi Iesu fili mi, vt ego pro te patiar, pro te moriar? O Iesu vnicum cor-* Hora 9. Io. 18. 13. S. Cyr. l. 11. 1. Io. c. 37. Matt. 26. 15. Lud. Blos. marg. spir. p. 3. cap. 6.

dis mei solatium! cur non tecum iui ad mortem? cur non confestim te secuta sum abeuntem? O dulcis Iesu! bone fili, vbi nam hodie pernoctas? in cuius es manibus? quidnam modò pateris? O si furentes Iudæi suam in me crudelitatem commenerent vellent! multo mihi dulcius esset mori, quàm in tantis angu-

S. Hier. in c. 26. Matth.

stijs videre te. Docet sanè Hieronymus, nocte hac, dum Principes Sacerdotum somno indulgerent, ab eorum ministris atque militibus, *tam turpia, tam obscœna, tam nefanda passum* (nam, teste Marco, *fecerunt illi quæcunque voluerunt*) vt ea ob turpitudinem exprimere Euangelistæ noluerint, extremo Iudicij die tamen manifestanda. Et *tan-*

S. Bernard. to. 1. ser. 61. ar. 3. c. 2. Salaz. to. 1. in part. 18. ver. 14. n. 86. Lãsp. Thren. 3. Mariæ preca 4.

tus fuit dolor Virginis, ait S. Bernardinus, *quòd si in omnes creaturas diuideretur, omnes subitò interirent*. Idemque fusè explicat Salazarus. Dicamus eidem Virgini cum Lanspergio: *Eia ergo Domina nostra, mediatrix nostra, aduocata nostra, dulcissima Maria: impetra mihi à dilecto filio tuo, qui te suam Genitricem honorans, nihil negat vnquam, continuam & indesinentem gratiam, vt beneplacitum eius vbique & in omnibus vigilanter obseruem, clarè cognoscam, fideliter & indefatigabiliter impleam: quæcunque illi displicent peccata, & oblectamina carnis auerser: quæ verò placita ipsi sunt, ardentissima alacritate perficiam: omnia aduersa de manu eius gratanter suscipiam, ad laudem & gloriam Dei. Amen.*

Mane Hora 4. & 5.

E. F. G. Eductum ab Annæ domo perducunt ad Caipham, vbi Faciem eius velant ac cædunt, & Genas vellunt. Afflictissima Mater, Cantuariensi Antistiti, olim apparens ait:

S. Anselm. diab. de pass. Dom.

Mane facto, eduxerunt eum de domo Annæ, ad Caipham. Tunc primò, postquam captus fuerat, vidi eum: & accurrens, videbam illam desiderabilem faciem, sputis Iudæorum maculatam: & volens illum amplecti, non fui permissa. Et ipsa

S. Bern. de lamentat. B. Virg.

B. Virgo mellifluo suo Bernardo sic addidit: *Ad Dominum meum veni plorans: cùmque ipsum fuissem intuita pugnis percuti, alapis cædi &c. commota sunt omnia viscera mea, & defecit spiritus meus*. Quin adhuc

Reuel. lib. 4. cap. 70.

piè queritur apud D. Birgittam: *Ad maxillam percutitur ita fortiter, vt sonus percussionis ad aures meas perueniret*. Inter alia verò, alapa, ictu tam valido, ab armata manu percussus fuit, vt concussis dentibus sanguis ex naribus & ore proflueret, & ipse Dominus maiestatis ad terram allisus sit. Hanc ictus vehementiam in se nonnihil expertus Ioannes Marinonius noster ab ara corruit toto corpore & animo consternatus; vt Hadrianus Lyræus è Societate Iesu cum laude me-

Lyr. de imit. Iesu lib. 2. c. 9. fol. 88. Boluit. in vita B. Andr. lib. 1. cap. 5.

morat, hunc in modum: *Notus*, inquit, *à morum sanctitate ac religione Ioannes Marinonius, recusato Archiepiscopatu Neapolitano, maior, quã vnquam mitra pedoque fuisset, quanto hic impudentis scurræ alapam Domino suo impactam senserit, vel hinc liquêre arbitror, dum non semel hanc ad altare Historiam legens, à circumfusa populi multitudine, tanto cordis*

dolore percelli visus est, vt cum percusso Domino in terram deciduus haberetur. Sed à seruo, ad terræ allisum, terræ cælique Dominum ab impio sicario, redeamus. Mirantur sancti Patres, omnia eleměta tunc in vindictam se non armasse. De Cœlo ignis olim exarsit in derisores Eliæ. In Elisæo pueros illudentes, ursi de silua prosilierunt. Deuorauit terra contemptores Moysis. Exaruit manus Ieroboam, quam volebat in Prophetam extendere. Manus, quæ S. Thomæ Apostolo inflixit alapam, ingens molossus præmomordit. Potiori iure, ad hanc Domini iniuriam, exclamat Chrysostomus: *Exorrescat Cælum, contremiscat terra de Christi patientia, & seruorum impudentia! Alapis Deus percuti potuit? O Angeli, qui hæc intuemini, quomodò siletis? quomodò manus continere potestis? quomodò pro Domino vestro non respondetis? An hoc ita facitis, quòd attonitos vos teneat tanta insolentia, & tanta mansuetudo? tãta peruersitas & tanta patientia?* Fertur olim cælestis genius iuueni è prostibulo exeunti alapam impegisse. Proh si hodie Angelus aut diabolus, ex infami Veneris hara prodeuntibus, aut sola cogitatione tam turpi sceleri succumbentibus, infligeret alapam; quot percuti videremus! Sed *Prophetiza nobis Christe quis est, qui te percussit?* Quis est, inquiunt? Origenis Adamantij iudicium audi: *Colaphis*, inquit, *cædit Christum, qui verbis vel actibus suis turpibus, & inhonestis, sub nomine Christiani, lasciuis inuoluitur, & carnalibus concupiscentijs sepelitur.* Dicas & tu cum Lanspergio: *Heu Mater mea dulcissima! heu dolorosa, ac mæstissima Domina, cur adeò ferreum ac lapideum cor habeo, quod compassione ac dolore non scinditur? Cur præ dolore non tabescit anima mea: quãdoquidem, tam immanium dolorum causa est pessima vita mea? Ego alapis cæcidi: ego colaphizaui: ego blasphemaui, conspui, & conculcaui filium tuum, cùm agnum immaculatum, in tam immundum, & impræparatum cordis & corporis hospitium, suscipere toties præsumpsi: imò sordidis cogitationibus conscientiam meam, quam inhabitare cupit, polluendo, in eius faciem sæpius conspui, & per contumeliosa verba alapis cæcidi.*

S.Chrys. ho. 81. in Io.

Orig. ho.27. in cap. 24. Num.

Lansperg. Thr.8.Virg. prec.7.

Hora 6.

H. Herodes Iesum videre cupiebat, & viso gauisus est: sed demum contempsit, & veste alba indutum, ad Pilatum remisit. Theophylactus: *Romanorum legem sequens Pilatus mittit Dominum ad Herodem. Illa enim cauet, vt vnusquisque à Principe suæ regionis iudicetur. Ideò & tanquam Galilæum Iesum mittit Principi Galilææ.* Cùm verò multis sermonibus Dominum Herodes interrogaret: nimirum an esset Messias, qualisnam erat illius doctrina, quinam discipuli, cuius criminis erat reus, quænam esset eius potestas, qua tot miracula faciebat, quorum vnum ipse maximè desiderabat videre; Christus ei nequaquàm respondit. Ita D.Gregorius: *Quia vidit Christus He-*

D.Greg. in cap.31. Iob.

rodem non quærere profectũ, sed signa, vel scientiam velle mirari, requisitus ab eo tacuit. Et Carthusianus; *Noluit respondere*, inquit, *& miraculum facere coram Rege, vt exemplum nobis præberet fugiendi ostentationem coram magnatibus*. Sed de Christo ducto ad Herodem, & de Virgine eius Matre, Bonauenturam, & Ludolphum à Saxonia, hìc audiamus. *Intuere eum nunc benè, dum ducitur & reducitur demisso vultu, & verecundè incedentem, & omnium clamores, conuitia, & subsannationes audientem: & fortè lapidum percussiones, & immunditiarum suscipientem. Intuere etiam Matrem, & suos, cum incredibili mœrore à longè stantes, & ipsum sequentes &c. & dum mittitur* (à Pilato ad Herodem, & ab Herode iterum ad Pilatum) *fit concursus magnus populorum eum sequentium. O Domina qualiter ibas? exemplum doloris eras omnibus Christum amantibus*. Aspice sanctissima Virgo dilectum tuum, vt phanaticum veste alba indutum, & candidum, quem breuì aspicies rubicundum. Dicam cum Ludolpho: *Iesu, qui ab Herode derisoriè multis interrogari sermonibus voluisti: nec ei ad ullum verbum respondere curasti: da mihi amore tuo sermones derisorios patienter audire, meamque iactantiam cum silentio declinare; qui regnas cum Patre &c.*

I. Iniqui Iudicis tribunali sistitur Iesus. *Perpendat qui potest*, inquit Anselmus, *quibus doloribus, quibus gemitibus, quibus suspirijs (Virgo) cruciabatur, quando ad subeundam mortem iudicio Iudicis iniqui, tribunali conspiceret sisti*. Vbi verò ad Pilatum ventum est (Ioannis Lanspergij Carthusiani sunt verba) vnà eum omnes accusare (ò Maria) audiuisti: multa in eum mendacia congerentes &c. Sed filius tuus, velut ouis coram tondente se obmutuit, nec habuit in ore suo redargutiones. Exclamemus aliàs cum Bernardo: *O humilitas virtus Christi, quantum confundis superbiam nostræ vanitatis! Parum aliquid scio, vel magis scire mihi videor: & iam silere non possum*. Sed ad te me conuertam, ò *gloriosa Domina*, & dicam cum S. Bonauentura: *Quæ tua cruciamina, cùm Barabbas dimittitur, & pœnas Christus patitur. Cui ergo similem fecistis Deum? cui assimilastis, & adæquastis, & comparastis filium meum Iesum?* Et cum Ioanne Lanspergio: *Supra cor tuum Virgineum constringebat dolor, quem ingens cæcitas, & insatiabilis Iudæorum ferocitas, atque infelix illa permutatio incussit: dum lupum præ agno, scelestum ac odibilem nebulonem, præ iusto ac innocente filio tuo; impium denique & latronem eligere, & filium tuum reprobare conspiceres, & audires*. Sed cum Fornero, hæc expendens, Virginem immaculatam ita solabor: Bono hìc te animo esse iubeo, ò afflictissima Mater Domini Iesu: ecce quàm multi sunt in hac hominum caterua, quos cæcos filius tuus illuminauit, leprosos mundauit, in deserto miraculosè pauit, verbi

ſui prædicatione refecit: neminem vnquam læſit, omnibus benefecit. Impoſſibile videtur (filio tuo ſanctiſſimo, innocentiſſimo, integerrimo, virtutum omnium prototypo, reiecto, atque damnato) infamen latronem liberari expoſcant. Quis enim hìc hæreat, quis hallucinetur, vter abſoluendus ſit? Res pro ſe loquitur. Iudices ſunt, qui ab iſto damna, rapinas, vulnera paſſi ſunt: qui ab hoc filio meo ſanitatem ſalutem retulerunt: Iudices ſunt, qui illius ſcelera experti, huius beneficia agnouerunt, & palam prædicauerunt. Sed ò perturbatam rationem! ò effrænatam rabiem! ò plus quàm belluinam barbariem! *Vos ò Iudæi virum ſanctum & iuſtum negaſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis, authorem verò vitæ interfeciſtis!* Verè *mendaces filij hominum in ſtateris!* Quid fuit hoc aliud dicere, inquit S. Auguſtinus; *quàm occidatur ille, qui ſuſcitat mortuos, & dimittatur latro, vt occidat iterum viuos?* Dicam cum Ludolpho: *Ieſu, qui non dedignatus es, à Iudæis reprobari: petentibus ſibi Barabbam latronem dimitti, te verò authorem vitæ crucifigi: da mihi te Creatorem meum ſemper eligere præ omnibus, & pro nulla re creata, te vnquam reprobare; qui viuis, & regnas &c.* *Pſal. 61.* *S. Aug. tr. 115. in Io.* *Ludol. lo. cit.*

K.L. Columnam ad marmoream ductus & ligatus eſt Ieſus: viditq; eum Mater impiè flagellari. Huic quoq; truci ſpectaculo affliĉtiſſimam Matrem interfuiſſe, affirmat S. Anſelmus. Et *O Domina*, inquit, *quos fontes lacrymarum dicam erupiſſe de pudiciſſimis oculis tuis, cùm attenderes vnicum filium tuum innocentem, coram te, ligari, flagellari, & carnem de carne tua, ab impijs ita crudeliter diſſecari?* Tum ſubdit: Quis exiſtimare poteſt, quanta triſtitia, & mœrore, & dolore, vulnerabatur cor Mariæ, ſuper vnici & naturalis filij paſſione: quem tam caſtè concepit: tam gaudiosè peperit: tam dulciter aluit? Vidit eum ligatum, & ſoluere non potuit: vidit corpus vulneratum, & vulnus ligare non valuit: vidit ſanguinem in faciem fluere, & abſtergere nequijt. Sed ipſam Virginem audiamus, cùm B. Birgittæ de filij cruciatu ſic ait: *Ductus ad Columnam, perſonaliter ſe veſtibus exuit: perſonaliter ad Columnam manus applicuit, quas inimici ſine miſericordia ligauerunt. Conſurrexerunt autem inimici eius; qui, fugientibus amicis ſuis, vndique adſtabant, & flagellabant Corpus eius, ab omni malo & peccato mundum. Ad primum igitur ictum, ego, quæ adſtabam propinquiùs, cecidi quaſi mortua: & reſumpto ſpiritu, vidi Corpus eius verberatum & flagellatum vſque ad coſtas, ita vt coſtæ eius viderentur: & quod amarius erat, cùm retraherentur flagella, carnes ipſis flagellis ſulcabantur. Cùmque filius meus totus ſanguinolentus, totus ſic laceratus ſtabat, vt in eo non inueniretur ſanitas, nec quid flagellaretur: tunc vnus concitato in ſe* *Hora 9.* *S. Anſel. de compaſſ. B. Virg.* *Reuel. l. 1. cap. 10.*

spiritu quæsiuit, nunquid interficietis eum sic iniudicatum? & statim secuit vincula eius. Inde filius meus induit se vestibus suis. Tunc locum vbi stabant pedes filij mei, totum repletum vidi sanguine: & ex vestigijs filij mei cognoscebam incessum eius: quò enim procedebat, apparebat terra infusa sanguine: nec ipsi patiebantur vt se indueret: sed compulerunt & traxerunt eũ, vt acceleraret. O si lacrymas effundere possem, quas Romæ nostra M. Vrsula Benincasia ad hanc columnam effudit! Vidit planè Virgo vniuersam in filium suum Cohortem irruere quingentorũ quinquaginta quinque militum validissimorum. Tot rabidi canes in teneram damulam: tot carniuoræ accipitres in simplicem columbam: tot sanguinarij lupi in agnum innocentissimum, vngues ac dentes exacuunt. ac primò illud virgineum ac tenerrimum corpus virgis spineis cruentant: 2. loris nodosis, implicitis stellulis, ac vncis ferreis, dilacerant: 3. catenis ossa ipsa & costas diuellunt. Quos inter cruciatus ipse illud dicere poterat: *Dinumerauerunt omnia ossa mea.* Sed, vt Hieronymus ait: *Nullum ictum recipiebat corpus, cui non tristis Echo responderet in corde Matris.* Dicamus tibi, ò Deipara, cum S. Bonauentura: *Propter gemitus & lacrymas, quibus afficiebaris, Virgo dulcissima, quando vidisti filium tuum dulcissimum Iudici præsentari, acriter flagellari, varijs illusionibus & opprobrijs affici: impetra nobis dolorem pro peccatis nostris, & lacrymas salutiferæ contritionis: & adiuua nos, ne nobis possit inimicus illudere, neque diuersis pro libito suo tentationibus flagellare, deuictosque statuere terribili Iudici: sed magis ipsi accusemus, & iudicemus nos ipsos de excessibus nostris, & veræ pænitentiæ disciplinis flagellemus; vt veniam & gratiam in tempore necessitatis, tribulationis, & angustiæ inueniamus. Præstante eodem D.N. &c.*

Engelgr. in Horol. cit.

Psal. 21.

S. Hier. de assumpt. B. Mar.

Hora 10. M.N.O. Manus Iesu ligantur ad arundinem: Nobilissimum eius Caput spinis coronatur: & ostenditur populo, *Ecce homo.* Meus Iesus, ait D. Hieronymus, *calamum tenebat in manu, vt sacrilegium scriberet Iudæorum.* Vel, vt notat D. Ambrosius: *Vt humana fragilitas iam non sicut arundo moueatur à vento, sed operibus Christi corroborata firmetur.* Et vt Theophylactus ait: *Spineam in capite coronam accepit, vt sententiam capitalem, quæ ex spinis peccatorum nobis debebatur, eriperet.* Huic verò nostri Regis inaugurationi sanctissimam Matrem interfuisse, testatus est Metaphrastes. *Licet*, inquit, *considerare, cuiusmodi illa esset, quæ hæc difficilia cernebat: illusionem, flagella, alapas, purpureum amictum, coronæ impositionem.* Refert B. Birgitta sibi Ierosolymis existenti à Deo reuelatum esse, oculos, aures, atque os Domini, cruore è spinarum vulneribus oppleta fuisse. Et tunc, cum Ruperto dicere possumus, quòd *Maria fuit lilium inter spinas: quia*

S. Ambr. lib 10. in Luc.

Metaph. de dormit. B.V.

Reuel. l. 7. c. 25.

Rup. in Cant. 2.

quacunque spinæ filij eandem Matrem confixerunt, & lacerauerunt, vulneribus compassionis. Ideóque D.Bonauentura: *Quæro*, aiebat, *Matrem Dei, & inuenio spinas: quæro Mariam, & inuenio vulnera; quia tota conuersa est in ista*. Sed vltra progrediamur. *Adstabat Maria*, inquit Thaulerus, *cùm eum Pilatus ad populum produceret, dicens: Ecce homo. Sed cuius possit animus capere, quis te dolor inuaserit, cùm eundem Vnicum tuum, tam dirè ligatum, tam ex verberibus, sputis, sanguine, miserandum in modum deformem cerneres, vt penè hominis speciem videretur amisisse? Et quidem omninò verisimile est, amabilem Dominum, dulcissimam Matrem suam, quàm potuit, placidissimè respexisse; quodque verbis nequiuit, amicabili fecisse aspectu*. Ecce homo profundissimæ humilitatis, incredibilis patientiæ, admirabilis caritatis, modestiæ planè singularis. Ecce homo, sed de quo verè exclamare poteris: *Non noui hominem*: quia non est ei species neque decor. Dicam cum S.Bernardo: *Ecce homo, non homo, supra hominem, infra hominem, intra hominem, extra hominem, pro homine, contra hominem*. Quæ perpaucis expono. *Homo*, propter naturam assumptam: *Et homo factus est*. *Non homo*, ob deformatum hominis vultum: *Ego sum vermis, & non homo*. *Supra hominem*, propter diuinitatem: *Primus homo de terra terrenus, secundus de Cælo cælestis*. *Infra hominem*, per humilitatem: *Exinaniuit semet ipsum factus obediens vsque ad mortem*. *Intra hominem*, per amorem: *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum*. *Extra hominem*, per innocentiam: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum*, hunc scilicet hominem, qui est Christus. *Pro homine*, quia ab vniuersis eum malis redempturus aduenit: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis*. *Contra hominem*, expugnando vitia, ac veteris hominis habitus prauos: *Vetus homo noster simul crucifixus est*. *Ecce homo*. Ecce, inquam, *caput*, in quo latent sapientiæ thesauri, spinis coronatum. Ecce *Facies*, in quam desiderant Angeli prospicere, sputis & alapis liuida. Ecce *Oculi*, lucidiores sole, qui contemplantur vbique bonos & malos, nunc in lacrymis & morte natantes. Ecce *Aures*, quæ cælestem illam harmoniam, *sanctus sanctus sanctus*, audire consueuerunt, nunc opprobrijs & blasphemijs oppletæ. Ecce *Os* & *Labia*, quæ dulciora super mel & fauum, mox felle complenda. Ecce *Pedes*, quorum scabellum vniuersus est Orbis, clauis terebrandi. Ecce *Manus*, quæ tribus digitis suspendunt molem terræ, Cruci configendæ. Ecce *Cor* amoris fornax, lancea perforandum. Ecce *Corpus* virgineum, tenerrimum, innocentissimum, tam fœdè laniatum. *Ecce homo*, hic Deus tuus est, Pater æterne: hic est filius tuus dilectus, in quo tibi

S.Bonau.in stim. amor. de planc. Virg.

Taul. exercit. vita Chr. cap. 19.

Symbol.

Psal. 21.

1. Cor. 5.

Philip. 2.8.

Prou. 2.8.31

Psal. 13. 3.

Symbol.

Rom. 6.6.

bi benè complacuit. O Angeli pacis, *Ecce homo*, quantùm minoratus ab Angelis! O Maria (*præsens enim eras*) *Ecce homo, quem de maternis visceribus sine dolore peperisti; vide an hæc, non tunica, sed caro filij tui sit, an non?* Verè *fera pessima* deuorauit eum. Sed ò vesanam & insatiabilem rabiem Iudæorum! Clamauere omnes, *Crucifigatur*. Et in Iesum Pilatus, ablutis primùm manibus, mortis sententiam dixit, quam suis ipsa auribus B. Mater audiuit. Et *estnè aliquis*, sciscitatur Anselmus, *qui queat percipere qualitatem pectoris eius? Væ mihi misero* (vt cum S. Bernardo loquar) *cùm venerit dies illa, & aperti fuerint libri, tunc demisso capite præ confusione malæ conscientiæ, stabo trepidus & anxius, cùm dicetur, Ecce homo, & opera eius.* Dicam ergo cum S. Bonauentura: *Propter angustias, & cruciatus, quos cor tuum sustinuit, ò Virgo Beatissima, quando audiuisti Filium tuum dilectissimum adiudicatum morti, & crucis supplicio: succurre nobis tempore infirmitatis nostræ, quando corpus nostrum dolore infirmitatis cruciabitur: & spiritus noster, hinc propter insidias dæmonum, illinc propter terrorem districti Iudicis, angustabitur; subueni, inquam, nobis Domina tunc, ne damnationis æternæ contra nos proferatur sententia: aut ne flammis gehennalibus tradamur æternaliter cruciandi, præstante eodem D.N. &c.*

Fornerus de pass. Dom. p. 2. conc. 105. — S. Ansel. de excell. Virg. cap. 5. — S. Bern. in medit. c. 2. — S. Bonau. off. de compass. lect. 3.

P.Q. Pilati è Palatio egreditur Christus, ac proprijs humeris crucem portat. *Quem*, ex S. Bonauentura, *cùm Mater eius, Ioannes, & sociæ eius occurrentes in biuio viderunt, sic vituperabiliter, & sic enormiter à tanta multitudine duci, quanto repleti sint dolore dici non potest.* D. Anselmus eundem occursum ita describit: *Maria obuium habet filium; qui benignè inclinans se ad illam dicebat: Aue Mater.* Additque Ludolphus, afflictissimam Matrem, cùm ob turbam accedere non valeret, per aliam viam vt occurreret deflexisse. Guilielmus Neombr. etiam ferentem crucem Virginem meditatur. *Vbi ad hoc ventum est*, inquit, *vt baiulans sibi Crucem Iesus exiret in eum, qui dicitur Caluariæ, locum; tollebat & Maria Crucem suam, & sequebatur eum, crucifigenda cum eo.* Meritò D. Augustinus exclamat: *Grande spectaculum! sed si spectet impietas, grande ludibrium: si spectet pietas, grande mysterium.* Inducitque B. Laurentius ita filium cum Matre sua colloquentem: *Heu heu quò properas, quò venis, Mater? Ad fontem lacrymarum: ad locum miseriarum raperis. Recede Mater, abi, propera: nec enim veniens medelam languori meo ferre poteris, imò dolorem meum augebis. Internè cruciabor magis, cùm te, Mater, mei amore cruciari videro: cruciatu meo cruciaberis, Mater, & ego tuo.* De longitudine verò itineris à Prætorio vsque ad Caluarium agit Adrichomius. *A Palatio*, inquit, *Pilati, vsque ad locum, vbi Crux rupi infixa fuit, sunt gressus mille tre-*

Hora 11. — S. Bon. medit. vitæ Chr. cap. 76. — S. Anselm. dial. de pass. Dom. — Ludolphus de vita Chr. par. 2. cap. 62. — Guil. Neombr. g. in Cant. 7. — S. Aug. tr. 117. in Io. — B. Laur. Iust. in ago. cap. 11. — Adrich. in theatro terræ sanc. in descript. Ierusal. n. 118.

centi viginti & vnus. Et quam ipse viam fusè describit, compendio refert Sylueira, hunc in modum. Incipiens Dominus à Palatio Pilati per viginti sex gressus, ei imposita est Crux. Baiulansque Dominus Crucem per 80. gressus, ibi primùm cum Cruce cecidisse traditur. Idem statim per 60. gressus ad locum venit, vbi sacratissima Virgo Maria, cum Ioanne, filio suo occurrit. Hinc autem per 71. gressus, ad quoddam triuium, vbi Symon Cyrenæus crucem post portare coactus est. Isthinc per gressus 190. & semipedem ad locum accessit, vbi ipsi Veronica occurrit. Atque illinc per 336. gressus, & duos pedes, ad portam iudiciariam venit, vbi rursus cum Cruce lapsus est. Deinde verò ardua, saxosa, atque paulatim ascendente via, versùs septentrionem processit per 348. gressus, & duos, ad biuium quoddam, vbi mulieres plorantes allocutus est. Ac isthinc continuò per 161. gressus, & sesquipedem ad radices montis Caluariæ, vbi vltimò cecidit. Deindè vlteriùs per 18. gressus ad locum venit, vbi carnifices ipsi vestes extraxerunt: vbi & vino myrrhato felle misto potatus est. Dehinc per 12. gressus, vbi clauis cruci affixus est. Deindè postremò per 14. gressus, ad locum venit, vbi de cruce pendens in foramine rupis Caluariæ fixus est. Hæc Sylueria ex Adrich. Concludã cũ S. Augustini verbis: *Vide* (Clementissime Pater) *immaculata vestigia, quæ nõ steterunt in via peccatorũ, sed semper ambulauerunt in lege tua, diris configẽda clauis: & perfice gressus meos in semitis tuis: & fac me odio habere omnes vias iniquitatis: & fac me propitius viã veritatis eligere. Oro te Rex sanctorum, per hunc sanctum sanctorum, per hunc Redemptorem meum, fac me currere viam mandatorum tuorum, vt ei valeam spiritu vniri, qui mea non horruit carne vestiri.*

Sylu. tr. 5. li. 8. c. 12. fol. 530.

S. Aug. lib. medit. c. 6.

R.S. Redemptor meus Iesus clauis cruci configitur: sustollitur crux: & stat sub cruce Maria. *Nequaquàm enim à diro spectaculo Mater aberat*, inquit B. Laurentius Iustinianus: *quæ ob id, vltra quàm credi potest, angebatur pro filio. Audiebat populorum perstrepentium sonitum, & confusas militum crucifigentium voces: audiebat malleorum clauos infigentium ictus, totiesque in corde suscipiebat doloris iacula, quoties super clauos resonabant percutientium verba.* Idemque perpaucis S. Bonauentura, condolens, ait: *Quæ Matris angustias possit lingua fari, cùm videret filium in Cruce clauari?* Verè Hieronymus in Ioannis 19. *Quot læsiones*, inquit, *in corpore Christi, tot vulnera in corde Matris: quot spinæ pungentes, quot claui penetrantes, quot ictus carnem rumpentes, tot erant sagittæ per oculos intrantes, & tot cor & animam Virginis vulnerantes.* Exclamat S. Bernardus: *O dolores inexplicabiles! O ineffabilis reciprocatio sancti amoris! filius patitur, & intùs validè compatitur Matri: Mater Dei*

Hora 12.

Iustin. de agone Chr. c. 16.

S. Bon. in off. passion.

S. Bern. ho. stabat.

verò compassa est patienti filio. Tantus nempè impetus passionis Domini Iesu fuit, vt quasi torrens ipsum impleret patientem: quia teste Psalmista, de torrente passionis in via bibet, vt sic Christo impleto, in Matrem flueret compatientem: qua similiter impleta, ad Filium redundaret inundatio amaritudinis & mœroris. Io. 10. *Nimirum ad locum, vnde exeunt dolorum flumina, reuertuntur, vt iterum fluant.* Sublata verò in altum cruce, *stabat iuxta Crucem Iesu Mater eius*, quam S. Bonauentura sic interpellat: (S. Bonau. in stim. amoris cap. 4.) *O Domina mea vbi stas? Nunquid iuxta Crucem? Imò in cruce cum Filio cruciaris: ibi enim crucifixa es secum. O dulcissima Domina, cur iusti immolari pro nobis? Nunquid non sufficiebat nobis Christi passio, nisi crucifigeretur & Mater?* Eius verò doloris magnitudinem, ac fortitudinẽ dum adstaret, sic exprimit Amedeus: (D. Amad. ho. 5. de B. V.) *Vicit sexum, vicit hominem, & passa est vltra humanitatem: torquebatur enim magis, quàm si torqueretur in se, quia supra se incomparabiliter diligebat thesaurum suum Christũ, vnde dolebat.* Scilicet, ita congruit, vt Euæ Dei Mater opponeretur; quod mysterium Salmeron sic expendit: (P. Salm. to. 10. tr. 60.) *Maria Cruci adstitit, vt humani Generis reparatio, ruinæ mundi congrueret. Vt enim ruina ex eo secuta est, quòd Mulier ad lignum scientiæ boni & mali accedens, comedit: ac proindè mortua & viro tradidit ad mortem ad edendum; ita hinc est à contrario (siquidem contraria contrarijs curantur) Vir primò de ligno amaro Crucis gustauit, at fœmina gustandum præbuit. Et vbi à duobus casus mundi profectus est: ita salus & redemptio à duobus, Christo, & Maria, proficiscitur.* Dicebatque ipsa suo Iesu, vt meditatur Anselmus: (S. Ansel. de lamẽt. Virg.) *Tu mihi Pater, tu mihi filius, tu mihi sponsus, tu mihi thesaurus, tu omne bonum.* Nec immeritò, cum Bernardo, *Mariam plusquàm Martyrem prædicamus.* (S. Bern. ser. de annunt.) Eidemque cum illo dicere põssumus: (Idem ser. de pass.) *Nunc Virgo soluis cum vsura, quod in partu non habuisti à natura: dolorem pariendo filium non sensisti, quem millies replicatum filio moriente passa fuisti.* Nunc & illud possumus intelligere, *Statura tua assimilata est palmæ*; à Guilielmo sic explicatum: (Guil. Neobr. in Cant. 7. num. 72.) *Planè etenim Christus foris, & Maria intùs patiebatur crucem. Stabat Maria iuxta Crucem sui Iesu, atque eo ipso sibi met quodammodò erat in cruce. Erecta stando iuxta crucem filij, ipsa sibi quodammodò, per affectum maternum, facta erat crux. Sic ergo cùm staret iuxta insignem palmam, statura eius assimilata est palmæ.* Nunc illud sanè percipiemus, cur de Virgine dictum sit, (Eccl. 24. 18.) *Quasi plantatio Rosæ in Iericho?* Audi Methodium: (S. Method. in sigillo.) *Rosa significat sanctos Martyres: quos omnes S. Deipara eminentia suæ passionis ita transcendit, vt rosa Iericho alias rosas rubedine, & foliorum multiplicitate præcellit. Cùm enim Dei filium, ex se genitum, tam innocenter in Cruce torqueri vidit, maiorem præ omnibus Martyribus cruciatum in animo sustinuit: vnde & plusquàm Martyr fuit;*

dum alij in corpore, ipsa verò in anima passa fuit. Vnde dicitur: tuam ipsius animam pertrãsibit gladius. Quod & Sophronius in sermone de Assumptione confirmat. *Alij sancti*, inquit, *passi sunt pro Christo in carne: sed B. Virgo in parte sui passa est, quæ immortalis habetur. Et ideò vt uerum fatear, quia spiritualiter, & atrociùs passa est gladio passionis, plusquàm Martyr fuit.* Verè dixit Bernardinus de Bustis: *Sol, idest Christus, uersus est in tenebras per passionem: Luna, idest Maria, uersa est in sanguinem per compassionem.* Facit huc quod Iacobus à Voragine scripsit, Matrem Dei appellari Mariam à mari, *quasi amarum mare*: quia sicut in mari est amaritudo aquarum, ita in ipsa fuit, in passione Filij, amaritudo dolorum. Quæritque Labata, cur dilectus Deo Apostolus fugerit, & Dominum suum deseruerit; posteà tamen reuersus, constanter sub cruce steterit? Et id exemplo B. Virginis, summa animi constantia sub cruce stantis, adscribit. Dicebat enim intra se, mulierem hanc fortem quis non imitetur? Videt filium, vitam animæ suæ, inter acerbissima opprobria & tormenta expirantem, & tamen viriliter agit, & stat, & ego recedam? Quin potiùs accedam: iuxta crucem pariter stabo: & si opus fuerit, moriar pariter cum illa. Excitet & nos hæc inuictissima Heroina ad constantem in aduersis omnibus sub Cruce Domini Nostri Iesu Christi famulatum. Sed hìc ego cum Lanspergio dicam: *O columba mansuetissima! ò Domina mæstissima! rogo te per amaritudinem dulcissimi cordis tui, vt amodò de hoc mundo nihil mihi sapiat, nil me afficiat, nil alliciat, nil cor meum detineat, nisi Filius tuus, & hic Crucifixus: quò in vera deuotione, & profunda cordis gratitudine, in amara contritione, & viscerosa compassione, sedulò rememorem miseriam Domini Dei mei, diem amaram, qua eum languor amoris nostri superauit, & vsque ad mortem perduxit; vt amore eius per assiduam abnegationem, veterem meum & corruptum hominem, cum omnibus concupiscentijs, & vitijs suis, crucifigam.*

Bust. in Mariali par. 10. ser. 1. p. 1.

Iac. de Vor. cit. à Ber. Busto par. 10. ser. 1. p. 1.

Labata, tit. Maria prop. 59.

Lãsper. Thr. 1. Maria prec.

Hora 1.

T. Tactus Latro dolore cordis, nec sine B. Mariæ Virginis ope, à Iesu veniam impetrauit. D. Anselmus scribit, bono Latroni datam esse scelerum veniam, quòd olim de Christo infante, deque Virgine Matre benè meritus fuerit. Abeùntibus quippè illis in Ægyptum occurrit prædonum turba: & bonus latro vt Matrem atque puerum vidit, maius aliquid humana specie ratus, & eorum manibus & periculo eripuit. Sed B. Petrus Damiani latronem Christo redditum censet, quòd inter Crucem Christi ac latronis media B. Virgo interesset. Nam antè illam solis Ecclypsin, vt è situ Crucis apparet, vmbra Virginis dextrorsum fuit protensa versùs latronem, indeque ille salutem hausit. Quod & noster Aloysius Nouarinus affirmans,

Lobb. via vita & mor. cap. 6. §. 2.

B. Pet. Dam. ser. de pass.

Nou. lib. 4. exc. 72. nu. 713.

ait: *Sub Mariæ umbra ac tegmine, fuit bonus ille latro, qui cum Christo pendebat in Cruce: nam ut multorum sententia est: Virginis precipuè precibus ad Christum conuersus est*. Neque semel legitur pia Virgo Deipara peccatoribus, præsertim latronibus, qui eximio aliquo affectu eam fuerint prosecuti, veniam impetrasse. Vide S. Anselmum, Thomam Cantipratanum, Pelbartum, Spinellum *cap.* 34. *num.* 24. aliosque plures. Vnum tamen recentissimum referam, ab Hadriano Lyræo, ex Iulio Cæsare Recupito, ita narratum. Grassabatur paucis antè annis dux quidam latronum, prope Vrbem Italiæ celeberrimã, in ditione Pontificia: cui cùm à sodalibus adducta esset egregiæ formæ adolescentula, ab eo supplex petijt, ne circa ipsam impurum aliquid attentaret: idque postulauit enixè, propter amorem Mariæ. Vicit autem ardorem libidinis quidam in latrone erga Mariam religiosus igniculus: neque solùm intactam dimisit, sed etiam ne ab alijs vllam subiret iniuriam, ad certos vsque fines deduxit incolumẽ: illud, cùm dimitteret, rogans, vt se illi commendaret Mariæ, cui tantoperè esset addicta. Nocte proxima, per quietem, apparuit illi augustissimo vultu Regina: quæ benignis eum intuens oculis, & comiter alloquens, placuisse sibi, dicebat, id, quod ipse pridie gesserat, in sui gratiam: seque illius opportunè & in loco recordaturam. Euanuit mox somnus ab oculis, somnium è mente, quod ille inane & fortuitum existimauit. Paulò post captus, atque in carcerem coniectus est. Nocte, quæ antecessit supplicium, iterum Regina eadem se in somnis exhibens interrogauit, an eam agnosceret? Respondenti meminisse se aliquando eandem imaginem sibi obuersatam, reuocauit in mentem, quæ anteà dixerat: aperuitque illi se Mariam esse, Cæli ac terræ Reginam: in cuius obsequium, ab adolescentulæ sui studiosæ contactu religiosè abstinuerat. Aduenisse se, vt operi præmium redderet, nempè post supplicium, æternam gloriam. Excussit rei magnitudo somnum ex oculis: & iam diuino illo instinctu factus certior, & Reginam sibi Cælorum apparuisse, & æternam salutem esse pollicitam, præ lętitia exiliens vrgebat, vt quamprimùm duceretur ad suspendium, ac trabem; quam nouerat futuram sibi esse pontem ad vitam. Mirari omnes in eo mistum summo dolore par gaudium: cùm & incredibilem pœnitudinem exhiberet de culpis, & non imparem alacritatem afferret ad pœnam. Duci ad necem crederes, non latronem, sed martyrem, commutato in triumphum supplicio. Detexit ille Confessario causam insoliti tum doloris, tum gaudij; potestate facta, vt rem omnibus aperiret. Quod mox ille è scalis præstitit, summa populi gratulatione in lætitiæ la-

...yr. lib. 4. c. ... fol. 242. ...ul. Cæsar ...ec. de præ... est. cap. 20.

Lib. 3. Disq. 29. crymas

crymas effusi, ac summam Deiparæ misericordiam acclamantis: cùm intereà cadauer pendere conspiceretur è trabe, vultu quodam augustiore ac beatitatem spirante. Eia nos Dei Matrem amemus, confugiamus ad ipsam; sed & præcipuè Cruci suffixum Dominum, hac S. Bernardi oratione, imploremus: *O fons misericordiæ Iesu, quem ad te diligendum non moueat, quòd inter opprobria exprobrantium, inter mortis angustias, tuarum miseriarum oblitus, sed tuarum misericordiarum memor, tam piè, tam opportunè ad Patrem pro tuis crucifixoribus interpellas? In ipsa hora incensi, cùm iam virtus holocausti cælos aperiret, concuteret terram, inferos spoliaret; tu summus Pontifex introiens cum sanguine in sancta sanctorum, exaudiendus pro tua reuerentia clamabas: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Quàm dulcis erit diligentibus se, qui odientes & occidentes se, tanta & indebita, tam gratuita, & tam stupenda benignitate præuenit?* S. Bern. l. 3. de amore Dei c. 26.

V. Videns Iesus Matrem, & Discipulum stantem; Mulier, ait, ecce filius tuus. Et *an non tibi* (vt cum Bernardo loquar, ò Virgo) *plus quàm gladius fuit sermo ille, re uera pertransiens animam tuam: Mulier ecce filius tuus? O commutationem! Ioannes tibi pro Iesu traditur, seruus pro Domino, discipulus pro Magistro: filius Zebedæi, pro filio Dei: homo purus pro Deo vero!* Sed cur non Matrem, sed mulierem vocat? *O bone Iesu*, inquit Chrysostomus, *quid Matrem tuam erubuisti, quæ te tam diligenter enutriuit? tam reuerenter tractauit? tam dulciter lactauit? cur ei tam durè loqueris, mulierem velut increpans?* At ipsum sibi respondet os illud aureum: *Ideò factum id esse arbitror, ne materno nomine ampliùs dolorem excitaret: non enim tempus tunc erat Matrem dulciter alloquentis, nec nomen Matris exprimendi.* Quod & suis carminibus Ioannes Baptista Mantuanus ita complectitur: Hora 2. S. Chrys. ho. 84. in Ioan.

Talibus admonuit Matrem, sine Nomine Matris;
Ne materna pium lacerarent viscera Nomen.

Verùm, in tanto Matris dolore, mysterium nos expendere, ac gaudium concipere oportet: propterea quòd, illis eisdem verbis, sanctissima Virgo data fuerit etiam nobis in Matrem. *Maria Mater mea* (inquit Dominus B. Birgittæ) *propter compassionem, & caritatem, facta est Mater omnium in cælis & in terris.* Idque Patres Doctoresque penè omnes affirmant. *Videlicet* (inquit D. Bernardinus) *quòd B. Virgo facta est Mater; & omnis, qui est Discipulus Christi, est Virginis filius constitutus à Christo: & sic dixit ad discipulum, & non ad Ioannem. Omnis vere Christianus* (inquit Origenes) *Filius est Mariæ.* S. Ambrosius: *Maria est omnium credentium Mater.* Rupertus Abbas: *Maria omnium discipulorum Mater est.* S. Bonauentura: *Quod iucundissi-* S. Birg. reuel. l. 8. c. 12. S. Bern. sen. ser. 55. de pass. Orig. in 2. Ioann. S. Ambr. l. de instit. Virg. S. Bonau. in spec. Virg. c. 8.

mum eſt non ſolùm Maria eſt Mater Chriſti ſingularis, ſed etiam eſt Mater omnium fidelium vniuerſalis. Quid plura? Docet Tertullianus, *Traditionem eſſe Apoſtolorum, omnem Chriſtianum verè eſſe filium Mariæ.* Noſque illa ſub Cruce tantis cum doloribus parturiuit. *Sub arbore malo ſuſcitaui te, ibi in doloribus peperit te Mater tua: Quia* (inquit Rupertus) *dolores vt parturientis ſuſtinuit in paſſione Vnigeniti filij ſui, & omnium noſtrum Mater eſt.* Hic bene ſubdit Engelgrauius: O peccator, ò fili prodige, ò fili perditionis! *Ecce Mater tua*, quis deſperet? O verbum dulce! Ipſa eſt enim Mater Dei & hominum, Mater rei & Iudicis: non decet vt inter filios diſcordiam eſſe permittat. Si enim, ò peccator, Maria eſt Mater tua, ergo & Ieſus eſt frater tuus, & Pater eius, pater tuus: ergo & regnum & hereditas tua: ergo gratia Mariæ, quam inuenit apud Deum, eſt theſaurus tuus: ergo dilige eam & venerare, & ab hac hora accipe illam in tuam; & audi D. Bernardum: *Ad Patrem verebaris accedere: ſolo auditu territus ad folia fugiebas. Ieſum tibi dedit mediatorem: quid non ad talem Patrem filius talis obtineat? Exaudietur vtique pro reuerentia ſua: Pater enim diligit filium. An verò trepidas, & ad ipſum? frater tuus eſt, & caro tua: hunc tibi fratrem Maria dedit: ſed forſitan & in ipſo maieſtatem venerare diuinam; quòd licet factus ſit homo, manſerit tamen Deus? Aduocatum habere vis? & ad ipſum, & ad Mariam recurre.* Mater tua, & illius eſt, nos fratres effecit. Pergit D. Bernardus: *O beata ergo fiducia! ò tuum refugium! Mater Dei eſt Mater noſtra! Mater eius, in quo ſolo ſperamus, & quem ſolum timemus, eſt Mater noſtra! Quàm magnum, quàm admirabile eſt, quod video per te euenire nobis! quod videns gaudeo: quod gaudeo, dicere non audeo. Si enim tu Domina es Mater eius, nonnè alij filij tui ſunt fratres eius? ſed qui fratres, & cuius eius? Loquar, vnde iucundatur cor meum! ſed quod credo amando, cur non confiteor laudando? Dicam igitur non ſuperbiendo, ſed gratias agendo: Iudex noſter eſt frater noſter: denique Deus noſter eſt factus per Mariam frater noſter: qua igitur certitudine debemus ſperare, qua deſolatione poſſumus timere: quorum ſiue ſalus, ſiue damnatio, de boni fratris, & piæ Matris pendet arbitrio? quo etiam affectu, hunc fratrem, & hanc Matrem, amare debemus? qua ſecuritate confugiemus ad illos?* Dicam igitur cum Ludolpho: *Ieſu, qui in cruce Maternæ compaſſioni compatiens, ipſam tuo dilecto Diſcipulo, & ei Diſcipulum commendare curaſti: commendo me tibi in illa fide & dilectione, qua eos ad inuicem commendaſti: & ſupplico tibi, vt per tantæ dilectionis pignora, facias me ad amorem tuum veraciter peruenire, & me eorum commenda cuſtodiæ, vt inter huius vitæ diſcrimina, ab omni aduerſitate, & in omni ſanctitate, ac puritate, & caſtitate mentis ac corporis, vitam meam cuſtodiant:*

Tertull. lib. de præſcriptionibus.

Henric. Engelgr. in Dom. infra oct. Natiu. in horolog. doloroſæ Virg.

S. Bern. ſer. 2. ſuper ſignum magnum.

Ludolph. cit. p. 2. cap. 63.

& post huius vitæ exitum, ad te, te miserante, perducant.

V. Virgo Maria videt Vnigenitum in Cruce filium expirantẽ. Agar ne filium in deserto præ fame obeuntem videret, se se ab eo separans ait: *Non videbo puerum morientem*. Sed sanctissima Virgo *vidit suum dulcem Natum, morientem desolatum, dum emisit spiritum*. Ita Chrysostomus ad illa verba, *& inclusit eum Dominus deforis*, causam addit: *Ne posset videre iustus* (Noemus) *generalem interitum*, quem sine magno mœrore & dolore non aspexisset. Sed ille planè hominum interitus erat, quos, Noemus probè sciebat, omnes esse mortales. At proculdubiò est Virginis amorem in filium suum Iesum, auctorem vitæ & omnium conditorem, longè huius Noemi in omnes creaturas exsuperasse. Ideóque illi meritò dicit Bonauentura: *Regina clementiæ, Virgo Mater Christi, cùm videris filium tuum in Cruce mori, nullus dolor similis tuo dolori*. Certè, vt considerat Thaulerus, multò illi fuisset iucundius vnà cum ipso mori, quàm sine ipso viuere, & mortem illius acerbissimam suis oculis intueri. Nec Mariæ Mulier illa Sunamitis est conferenda; quæ tanto dolore oppressa erat, vt nullam consolationem admitteret, dum filium super sinum suum cerneret expirantem. Minùs enim vehementer excruciat mors filij naturalis, quàm violentæ. Nec adeò lugere illa poterat filium purum hominem in sinu, quàm Maria natum suum, hominem & Deum, inter latrones, & infami in patibulo morientem. Dauid audita nece Absalonis tribus lanceis confossi, tametsi perduellis, ac scelestissimi filij, caput operuit præ dolore, ac clamabat: *Fili mi Absalon, Absalon fili mi, quis mihi det, vt ego moriar pro te? Mariã* verò, inquit S. Bernardus, *quoties capite cooperto, ingemuisse putas, lugendo filium*, (tribus clauis confixum) *& dicendo: Fili mi Iesu, Iesu fili mi: quis mihi det, vt tecum & propter te moriar, fili mi dulcis Iesu?* Et vt alibi ait: *Nec lingua poterit loqui, nec mens cogitare valebit, quanto dolore afficiebantur pia viscera Mariæ. Nunc soluis Virgo cum vsura, quod in partu non habuisti à natura: dolorem pariendo filium non sensisti, quem millies replicatum, filio moriente passa fuisti*. Mirum verò erat, quòd afflictissima Mater, in tam vehementi dolore, admirabilem constantiam ac patientiam præ se ferret. *Stabat itaque*, inquit D. Antoninus, *iuxta Crucem Maria, fide & animo constans: oculi quidem lacrymis pleni erant: & dolore ingenti cor eius premebatur: sed sine querelis, sine murmuratione, sine vllo vindictæ sensu in eos, qui filium adeò crudeliter tractarent. Exhibebat se afflictissimæ quidem, sed & patientissimæ Matris exemplar*. Sicut enim Christus non seipsum quæsiuit, sed gratissimam Patris voluntatem: ita & Maria, inquit Thaulerus, Vnigenito filio suo non peper-

Hora 3.
Gen. 8. 21.
S. Bonau. lo. cit.
4. Reg. 4.
1. Reg. 18.
S. Bern. de pass. vitis myst. c. 10.
Idem in lamẽt. B. Virg.
S. Anton. p. 4. tit. 15. c. 41.
Thaul. exer. vita Chr. c. 18.

cit, sed & ipsa cum vltrò ad omnem illam obtulit passionem; quam ab illo Deus pariter exigebat tolerandam: nec attendit doloris gladium, sed totam se in gratissimam resignauit Dei voluntatem: parata omnem ferre pressuram. Vnde benè Arnoldus Carnotensis; *Erat*, inquit, *vna Christi & Matris voluntas: vnumque holocaustum ambo pariter offerebant Deo; hæc in sanguine cordis, ille in sanguine carnis.* Et Deo ambo dicebant: *Fiat Domine voluntas tua!* Quæ nos verba frequenter in ore habere debemus. Sed & rogemus cum S. Carolo Borromæo Angelum Tutelarem, vt nobis impetret vnum Christi lacrymosum suspirium, ex infinitis quæ ipse habuit, dum viuus è crúce penderet, & vnicum Dei Matris aspectum, ex ijs quos habuit ipsa sub Cruce, virgineos oculos in filium vnicum defigendo: quam nos precationem attulimus *in fol.* 104. Pergit mellifluus Bernardus; & ego orem cum illo: *Vtinam*, Virgo beatissima, *dolor ille, quem tunc passa es, sic nunc inhæreat visceribus meis, sicut inhæsit tunc tuis! Vtinam, die, qua assumpta fuisti in Cælum, vt in æternum gauderes cum Filio tuo, mihi, indicares lacrymas tuas, vt per illas cognoscerem, quantum tibi amaritudinis fuerit, cùm Iesum dilectum tibi, heu, heu, & parùm dilectum mihi, clauis in ligno crucifixum, capite inclinato suum exhalare spiritum videres: mihi, obsecro, lacrymas illas infunde, quas ipsa habuisti, dum stares sub Cruce, vt & ego tibi ac filio possim condolere.*

Arnol. Carnot. tr. de laud. Virg.

S. Bern. lo. cit.

Hora 4.

V. Virgo Maria vidit Vnigeniti sui Corpus exanime lãcea vulnerari, quod illi ferrum animam sauciauit; eique scitè mellifluus Bernardus sic ait: *Posteaquàm emisit spiritum tuus ille Iesus, ipsius planè non attigit animam crudelis lancea, sed tuam vtique animam pertransiuit. Ipsius nimirum anima iam ibi non erat: sed tua planè inde nequibat auelli: tuam ergo pertransiuit animam vis doloris, vt plus quàm Martyrem te non immeritò prædicemus, in qua corporeæ passionis sensum excessit compassionis affectus.* Martyr ergo B. Virgo; quæ, vt Engelgrauius ait, plus passa est in corde, quàm Christus in carne; quo sensu, illud Bonauenturæ docet accipiendum: *Hæc maiorem dolorem habuit, quàm Saluator:* si nempè solum corporeum Christi dolorem spectes. Nam, ex communi SS. Patrum sententia, omnes flagrorum malleorumque ictus, & spinarum aculei, cor Virginis Deiparæ penetrarunt. *Hæc omninò*, inquit Metraphrastes, *illam transuerberarunt profundiùs quàm vlli claui: & pro vna filij plaga, innumeris ipsa plagis sauciabatur.* Desijtque Christi dolor in morte: Matris verò recrudescebat: & lancea, quæ Christi mortui latus percussit, viuacissimo sensu cor Matris trãsuerberauit. Quod Cornelius à Lapide satis probat. Et verè, vt Richardus à S. Laurentio obseruat, *Gladius doloris, qui pertransijt animam*

S. Bern. ser. in signũ magnum.

Henric. Engel. lo. cit.

Metaphr. ho. de dormit. Virg.

Cornel. in Ioan. c. 19. n. 26.

eius, in Vnigeniti passione, pro amarissimo ei martyrio computabatur: voluit siquidem filius, vt omnium Sanctorum speciositati participaret Mater sua, imò vniuersam Sanctorum pulchritudinem excederet: & sicut appellatur Virgo Virginum, ita & Martyr Martyrum debet appellari: & vt Ecclesia canit, Regina Martyrum. *Quicquid enim crudelitatis*, vt subiungit eidem B. Virgini Anselmus, *inflictum est corporibus Martyrum, leue fuit, aut potiùs nihil, comparatione tuæ passionis: nec crediderim te potuisse stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere; nisi ipse spiritus vitæ, spiritus consolationis; spiritus scilicet dulcissimi Filij tui te confortaret*. O beatos illos, exclamat Blosius, qui huius sunt vulneris participes, quorum corda sic configit Amoris Christi lancea ac sagitta, vt deinceps feruenti caritate ferueſcant! Venerabilis nostra M. Vrsula Benincasia nil libentiùs dulciúsque suis ipsa oculis intueri cupiebat, quàm Christi Domini effigiem è Cruce pendentis, & sacrum eius Lateris vulnus; quod suum speculum appellabat. Ad idemque S. Caietanus cum B. Aelredo Abbate dicebat: *Plumescat interim Domine Iesu, plumescat, quæso, anima mea, in nido disciplinæ tuæ: pauset in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ: amplectatur te interim Crucifixum; sumat tui dulcissimi sanguinis haustum*. Quod nostro sanctissimo Patriarchæ datum fuisse: *vt os* scilicet, *ad vulnus in Christi latere hians semel applicaret, ad id Crucifixo illum inuitante*, Auctor characterum Euangelicæ Paupertatis affirmat. Vsurpemus & nos piam illam orationem, qua se Deo, ad Crucifixi effigiem, Islebiensis Antistita commendatam volebat: *Domine Iesu, per tuum cor lancea transfixum, transfige cor Gertrudis, diuini amoris tui iaculo; vt quæ mundi sunt exuat, teque solùm diligat, non verbo, neque lingua, sed opere, & veritate*. Id ipsum dicam ego, & cum D. Augustino sic orem: *Deus amore venit ad homines, venit in homines, factus est homo. Amore Deus inuisibilis, seruis suis factus est similis. Amore vulneratus est propter delicta nostra. Tum & firma requies est infirmis & peccatoribus: in Vulneribus Saluatoris securus illic habito: patent mihi viscera per vulnera. Quicquid ex me mihi deest, vsurpo mihi ex visceribus Domini mei: quoniam misericordiâ affluunt; nec desunt foramina, per quæ affluant. Per foramina corporis, patent mihi arcana cordis. Patet magnum Pietatis Sacramentum. Patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Foderunt manus eius, & pedes eius: & latus eius lancea perforarunt. Per has rimas licet mihi gustare, quàm suauis est Dominus eum inuocantibus in veritate*.

X. Xpi, dulcissimi Filij sui, Corpus afflictissima Mater, è Cruce depositum, in suum sinum excepit. Ioseph enim ab Arimathia nobilis decurio, & inter suos honoratus ac facilè princeps Nicode-

Rich. à S. Laur. lib. de laud. Virg.
S. Ansel. de excell. Virg. cap. 5.
Blos. in marg. spirit. cap. 19.
Ael. Abb. lib. spec. charit. cap. 5.
Nos & Pepius in Vita S. Caiet.
Franciscus M. del Monaco. f. 111
S. August. in manuali.
Hora 5.

mus, ad id operis diuinitùs euocati, vel ſaltem à Virgine Matre, vt author eſt Simeon Metraphraſtes, ad id officij filio deferendum inducti, obtenta primùm Præſidis venia, aromatis, ac totius inſtrumento ſepulturæ probè muniti, veniunt in Caluarium: & vnà omnes admouentes operi manum, diuellunt è patibulo cadauer. Fecerunt autem id erecta cruce, & in ſublimi manente, appoſitis ſcalis, clauos extrahentes, ſolutumque Corpus, diuerſorum manibus ad id ſubſeruientibus excipientes. Quod S. Gregorius Nazianzenus *in Tragœd.* Nonnus *in cap. 19. Ioann.* S. Anſelmus *lib. de paß. Domini*, & B. Birgitta tradit *lib. 2. reuel. cap. 21.* vbi ita loquentem B. Virginem introducit: *Hi duo, qui deponebant eum de cruce, tres applicabant ſcalas: vna protendebatur ad pedes, ſecunda ſubtus aſcellas, & ad brachia: tertia ad medietatem Corporis. Primus aſcendit, & tenebat eum per medium. Secundus aſcendens per aliam ſcalam excuſſit primò vnum clauum de vno brachio: deindè applicata ſcala excuſſit clauum alterius manus: qui quidem claui longè vltra ſtipitem Crucis protendebantur. Deſcendente igitur illo, qui ſuſtentabat onus corporis, paulatim & modicè, pro vt poterat; ille alius aſcendit ſcalam, quæ tendebatur ad pedes, & excuſſit clauos pedibus. Cùmque appropinquaret ad terram, vnus eorum tenuit Corpus per caput, alius per pedes, ego verò, quæ Mater eram, tenui per medium. Et ſic nos tres portauimus eum ad quandam petram, quæ in linteo mundo per me operta erat, in qua obuoluimus Corpus, ſed non conſui linteum. Sciebam enim pro certo quòd non in tumulo putreſceret. Poſteà Maria Magdalena & aliæ ſanctæ Mulieres venerunt, nec non & Angeli ſancti multi, quaſi atomi ſolis, affuerunt, obſequium exhibentes creatori ſuo. Qualem autem triſtitiam tunc temporis habui non eſt qui valeat dicere: eram enim ſicut mulier pariens, cuius omnia membra poſt partum tremula ſunt: quæ licèt præ dolore vix reſpirare poſſit, tamen gaudet interiùs quantum poteſt, eo quòd ſcit filium ſuum natum, in eandem miſeriam de qua exiuit, nunquam rediturum. Sic ego licèt ex morte filij mei eram incomparabiliter triſtis, tamen quia ſciui filium meum non ampliùs moriturum, ſed in æternum victurum, gaudebam in anima mea: & ſic cum triſtitia mea quædam lætitia miſcebatur.* Et alibi, inquit: *Iam quaſi conſolata ſum, quòd Corpus eius de Cruce depoſitum contingere potui, & in ſinum recipere, vulnera explorare, & extergere.* Quod & D. Bonauentura conſiderandum proponens ait: *Virgo caſtiſſima (ciulatus) abſcondere non valebat, quando in amplexus ruebat exanimis Corporis filij ſui de cruce depoſiti.* S. Germanus; *Maria Virgo*, inquit, *depoſito Chriſto de Cruce, oſculata eſt os eius pluſquàm mille vicibus: nec non oſculabatur benignum caput eius ſpinis coronatum, & faciem eius liuoribus plenam, & oſculabatur manus clauis per-*

Lib. 4. cap. 7. & lib. 7. cap. 15.

S. Ger. frag. ſua theorica.

foratas. Et S. Augustinus; *Osculabatur Maria brachia*, inquit, *& pectus lancea perforatum: osculabatur pedes clauis perfossos: lauit & rigauit lacrymis vniuersa filij vulnera*. Quanto tunc fletu ac cordis ardore clauorum fixuras, spinarum foramina, flagellorum vulnera, vincturæ signa, per lurida ac liuentia membra, conspiciebat. Oh quis ea mihi cordi ac membris imprimeret, qualia in nostræ Matris Vrsulæ membris inspecta esse non vnus profectò scriptor affirmat! Dicam tibi, ò Deipara, cum D. Bonauentura: *Propter planctum acerbi eiulatus, quem profundo pectoris fonte manante abscondere non valebas, Virgo castissima, quando in amplexus ruebas exanimis corporis Filij tui de Cruce depositi: & genas ante nitentes, & ora rutilantia mortis, conspiciebas perfundi palloribus, ipsumque totum cernebas liuidum, ac concisum vulnere super vulnus; auxiliare nobis, vt nunc sic nostra plangamus facinora, & ex emplastris pœnitentiæ, peccatorum curemus vulnera, vt dum corpus nostrum morte deformatur, nostra tunc rutilet anima, candore innocentiæ, quatenùs dignissimi frui mellifluis osculis, constringamurque amorosis amplexibus super omnia dulcissimi Filij tui D.N. Iesu Christi, qui &c.*

S. Aug. cit. à Busto in mar. par. 10. ser. 1.

S. Bonau. de cõpass. B.V.

Y. Iesu dulcissimi sacratissimum Corpus B. Virgo Maria, suis ipsa manibus, syndone inuolutum, in tumulum intulit. *Fuit dolor meus*, inquit, *in tactu: cum alijs quippè deposui filium meum de Cruce, & inuolui eum, & posui in tumulum: & sic tunc augebatur dolor meus, vt vix manus & pedes mei haberent robur ad subsistendum*. Et subdit: *O quàm libenter tunc fuissem sepulta cum Filio meo!* Meritò S. Augustinus exclamat: *O quis Angelorum, vel Archangelorum, illic non fleuisset: vbi contra naturam Auctor naturæ, immortalis Deus, mortuus homo iacebat. Videbant Corpus Christi malè tractatum, & Mariam, totam suo cruentatam in cruore, sic amarissimè flere: & nullo modo poterant suas lacrymas refrænare. Sicut enim possibile fuit, Deum per assumptum hominem mori; sic possibile fuit Angelos bonos in morte Domini sui dolere*. Sed & Maria, inquit S. Bernardus, *lacrymarum tanta vbertate effluebat, vt carnem cum spiritu omnem in lacrymas dissolui putares*. Illud tamen est aduertendum & expendendum, quòd *Virgo* (vt idem S. Bernardus ait) *plus doluit super nostris culpis & peccatis, quàm super filij sui corporalibus pœnis. Eia, pia Mater fons amoris, me sentire vim doloris fac, vt tecum lugeam*. Cum Henrico igitur Engelgrauio sic concludam: *O vtinam afflictissima mortalium Maria, interioris animi mei sepulchrum pretiosissimis lacrymis tuis ita ab omni sorde & illuuie expiare valeam, vt mundissimum sanctissimi Corporis thesaurum illic recondere, & iugi meditatione recolere queam*. Et dicam ad ipsum Christum: *Sepeliaris, Domine, in corde meo: ibi inuenies quod quæritur marmor, & marmor nouum. Siquidem in*

Reuelat. S. Birg. lib. 6. c. 57.

S. Aug. cit. à Busto p. 10. Marialis ser. 1. c. 3.

S. Bern. ser. 4

S. Bern. lib. meditat.

Engelgr. lo. cit.

tuis Matrisque doloribus, petræ scissæ sunt, marmorea sepulchra adaperta sunt. Et eheu cor meum noua sua duritie mansit immotum. Da cor illud carneum, quod compunctione scindatur, lacrymis molliatur, minis cedat, flagellis emendetur. Da mihi cor illud carneum, quod tuo ac Matris dolore liquefiat, quod vtriusque amore moriatur. Amen.

Z. Zelum studiumque habeas Passionis Dominicæ recolendæ; quod quantum Deo, ac Deiparæ placeat, ipsamet D.Birgittæ narrat, his verbis: *Ego habui oculos meos plenos lacrymis, quando considerabam in membris filij mei loca clauorum, & passionem eius futuram. Sed nunc respicio omnes, qui in mundo sunt, si fortè sunt aliqui, qui compatiantur mihi, & recogitent dolorem meum, & valde paucos inuenio: ideò, filia mea, licet à multis oblita & neglecta sum; tu tamen non obliuiscaris me: vide dolorem, & imitare quantum potes: considera meas lacrymas, & dole.* Quocircà modos subiungam, quibus Christi Domini passionem ac mortem, ac B.Virginis dolores, ex animo recolamus. I. Itaque modus ac praxis erit, si nos Religiosi homines, qui nigro habitu amicti sumus, hanc veluti Christi mortis dolorumque B.Virginis tesseram habeamus: quod facilè sibi quisque persuadebit, si illud cordi imprimamus, quod eadem B.Virgo, die Parasceue, Bonfilio & socijs, eius seruorum Ordinis Conditoribus, ita dixit: *Adsum ego Dei Mater, tot vestris precibus efflagitata: vos mihi in seruos elegi, vt sub hoc meo nomine vineam filij mei excolatis. Aspicite, quali vos vestium genere indui iubeo. Habitus hic indicat suo atro colore, quem hodiè in Vnigeniti mei morte sim passa mærorem. Vos igitur multicolores mundanarum vestium pro me aspernati, haud difficile habebitis in posterum huiusmodi indumenta gestare, quò referatis in veste, quos passa fuerim dolores in corde.* Et Engelgrauius quidem certissimum signum Prædestinationis existimat B.Mariæ Virgini compati ac condolere: idque notat emicuisse in viro nobili atque peruerso; qui pacto cum cacodæmone inito, insuper per 60. & ampliùs annos, scelera sceleribus accumulando, nunquam animum sacra Exomologesi expiarat. Diuinitùs tamen Presbyter admonitus, qui iam lethali morbo deiectum inuiseret, ad verum peccatorum dolorem excitaret, & Confessionem exciperet: quam postquàm multis cum lacrymis, & feruentissima contritione vno die quater instituisset: sacratissimo Christi Corporis Viatico munitus salutem suam consecutus est: idque vt reuelatione comprobatur, quòd *consuetudinem haberet compati doloribus Mariæ.* II. Modus ac praxis, vt sacratissimam Crucem, è qua Christus pependit, & cui adstitit afflictissima Mater, cordi nostro imprimamus: eam sæpe adoremus: eademque nos muniamus, vt docet sanè Hieronymus:

Reuel. S.Bir. lib.2.cap.24

P. Hippol. Marrac. in Fund. Mar. cap. 21. & Archang. Gianius in cent. 1. annal.Ord.Ser.

Reuelat. S. Birg. lib. 6. cap. 97.

S. Hier. ep. 22. ad Eustoch.

Ad omnem actum, ad omnem inceſſum, manus pingat Crucem. Tertullianus: *Ad omnem progreſſum atque promotum: ad omnem aditum & exitum: ad veſtitum & calceatum: ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quacunque nos conuerſatio exercet, frontem Crucis ſignaculo terimus.* S. Ephræmus: *Poſtes pretioſa & viuifica Cruce coronemus, & eam pingamus in ianuis.* Et S. Chryſoſtomus: *Hanc & in menſa*, inquit, *& in lecto, & quocunque in loco ſumus, praferimus: vt enim plerique milites ſine armis nec prandent, nec dormiunt; nunc pro gladio eam in lecto ſuſpendamus: pro repagulo, in oſtio depingamus: pro muro & pariete, omnui domui circundemus: partes intimas & extimas hac muniamus.* Quod & ſi commune eſſe debet omnibus Religioſis viris ac Chriſtianis, ſpecialiſſimè tamen pertinet ad nos Clericos Regulares; quorum Ordo inuentæ Crucis feſto inchoatus, in Crucis exaltatione approbatus fuit: & in teſſeram ac vexillum Crucem aſſumpſit. *Hæc publica noſtri Ordinis teſſera*, inquit Silos: *hoc ædium noſtrarum, templorumque, hoc domeſtici ſacrique inſtrumenti ſymbolum: vt poſſimus Clerici Regulares eo nomine, quo nuncupatos olim veteres Chriſtianos affirmat Tertullianus, iure optimo appellari, nempè Religioſi Crucis: noſtramque omnem ſupellectilem, quod de Pallio Epiſcopali eleganter dixit Venantius, Cruce textili inſignem dicere. Quo ſanè intelligere quiſque noſtrûm ſtatim poteſt, quam præ ſe corporis animique afflictationem ferre debet, & quàm aſperæ vitæ rationes inſtituendæ in ea ſodalitate, quæ nos excipit Cruce.* III. Modus eſt, quem B. Andreas Vincentium Scarpatum edocuit, vt in eius vita retulimus: nullum ſinere elabi diem, quin aliquid aduerſum aut aſperum, Crucifixo Domino, & Mariæ, in eorundem paſſionis & dolorum memoriam, offeramus. Quod adeò Vincentio cordi fuit, vt ſi nihil aduerſum ſe paſſum fuiſſe ea die meminiſſet, in cubile vel in cubiculum ſe recipere non auderet: ſed ad Templum profectus ante Crucifixum Dominum humillimè ſe humi proſterneret, cum lacrymis ab eo cruces & aduerſitates exorans: qua de re in B. Andreæ vita nonnulla documenta & mira leguntur. IV. Modus ac Praxis eſt, vt ſexta feria ieiunemus; quod noſtræ Conſtitutiones ita decernunt: *Addimus ieiunium Aduentus Domini; & ob præcipuam reuerentiam erga Saluatoris noſtri ſacratiſſimam paſſionem ieiuniū ſextæ cuiuſque feriæ.* Et infra ſubdunt: *Quarta quaque feria, quia tùm Dominus à Iuda proditus eſſe perhibetur, à carnibus abſtinemus.* Quod quàm olim ſolenne fuerit toti Eccleſiæ; *in Ioanne Petro Carafa à Societate defenſo*, ex Iulio Nigronio, demonſtrauimus. Idemque ferè omnes hodiè Religiones obſeruant. Et PP. Prædicatores declarant, ieiunium ſextæ feriæ ſtrictiùs obſeruandum eſſe, *quàm ieiunium Vi-*

Tertull. lib. de cor. mil. cap. 3.

S. Ephr. lib. de vera pænit. cap. 3.

S. Chryſ. ho. de venerab. Cruce.

Ioſeph Silos par. 1. lib. 2. an. 1524. fol. 42.

Tertull. in Apolog.

Vita Vinc. Scarp. Laici, ſocij B. Andr.

Conſt. Cler. Reg. par. 2. cap. 3.

Magius in Io. pet. par. 4. diſq. 8. fol. 130.

Præd. conſt. 1. diſt. cap. 4.

gilia B.P. Dominici. Sed feria VI. in Parasceue ieiunant, per totam diem in pane & acqua. Quod inchoatum Parisijs Anno 1256. confirmatum Florentiæ 1257. Tolosæ in constitutiones redactum fuit, Anno 1258. Idemque Capucini inter alios, Minores Reformati, Discalceati Carmelitæ, & Augustinienses obseruant: & nos in hac Domo Recessus seuerè vnà cum alijs obseruamus. Sed & sabbato Theatinæ Eremicolæ, ex nostræ Matris Vrsulæ præscripto, ieiunant, in honorem B. Virginis, de qua ita Bernardus: *Passionis tempore, omnes relicto eo fugerunt: sola illa, quæ benedicta est in mulieribus, per illud triste sabbatum stetit &c. propter quòd aptissimè S. Ecclesia, in laudem & gloriam eiusdem Virginis, diem sabbati, per totius anni circulum, celebrare consueuit.* V. Modus ac praxis est, vt quotidie prece aliqua Deo Patri Dominicam Passionem, ac Christi Vulnera, & B. Mariæ Virginis dolores, flexis genibus offeramus. Quocircà varias precationes edidimus in primo tomo *de sacris cærem. opusc. 1. disq. 10. fol. 74. & seq.* & in Crucifixo Panorm. *à fol. 329. vsque ad* 423. Sed & præsertim quotidie quinquies *Pater* & *Aue* recitare debemus in honorem quinque Vulnerum Christi, ea mentis attentione ac pietate, qua afflictissima Mater sub Cruce Filium & aspexit & salutauit. Quem precandi modum ipsa Deipara B. Ioannam, filiam Ludouici XI. Galliæ Regis, & Vrsulam Benincasam, ac Catharinam Palmeriam eius Neptem, edocuit. Nosterque Ioannes Marinonius, antequam mortem oppeteret, explicauit. VI. Modus est, vt quotidie inhabitemus in aliquo Christi Vulnere; ad quod mellifluus nos Bernardus illis verbis inuitat: *Esto ergo anima iam Columba nidificans in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ: peruola caput, peruola manus, peruola pedes, inuola lateri: ibi tuta requies, ibi secura quies.* Idemque D. Bonauentura statuens ac suadens, aiebat: *Faciamus ideò tria tabernacula, vnum in manibus, aliud in pedibus, & tertium maius in latere: in quibus volo quiescere, & dormire, bibere, & comedere; legere, & orare; & breuiter omnia mea negotia pertractare.* Et ante omnes D. Augustinus, à quo illi didicerunt: *Firma requies est infirmis & peccatoribus, inquit, in vulneribus Saluatoris. Securus illic habito: patentque mihi viscera per vulnera: quicquid ex me mihi deest, vsurpo mihi ex visceribus Domini mei. In omnibus aduersitatibus, non inueni tam efficax remedium, quàm vulnera Christi. In illis dormio securus, & requiesco intrepidus. Peccaui peccatum grande: & multorum sum mihi conscius delictorum: nec sic despero, quoniam vbi abundauerunt delicta, superabundauit & gratia. Claui & lancea clamant mihi, quòd verè reconciliatus sum Christo, si eum amauero. Longinus aperuit mihi latus Christi lancea, & ego intraui, & ibi requiesco securus.*

S. Bern. de pass. cap. 2.

Tausch. pag. 698.

Vide Silum in hist. par. 1. fol. 449. & Castald. in vita.

S. Aug. in manuali c. 23.

rus. Itaque feria II. inhabitatio fiet in Vulnere dextri pedis, quem adorabimus hisce verbis: *Salue D.N.Iesu Christi pes adorande, pro nobis clauo confixe: qui quidem clauus Cor B. Mariæ Virginis, amantissimæ Matris tuæ, dirissimè vulnerauit*. Feria III. in Vulnere pedis sinistri, quem eodem modo salutabimus. Feria IV. in Vulnere manus dextræ, cui dicemus: *Salue Venerabilis D.N.Iesu Christi manus, pro nobis in Cruce extenta & confixa: cuius clauus Cor B. Mariæ Virginis, afflictissimæ Matris tuæ, crudelissimè sauciauit*. Quod & dicemus feria V. in adoratione Manus sinistræ. Feria VI. in Vulnere Lateris, cui dicemus: *Salue Latus gloriosum D. N. Iesu Christi, pro nobis, militis lancea perforatum: quæ Cor etiam B. Mariæ Virginis dilectissimæ Matris tuæ crudelem in modum transuerberauit*. Et sabbato in Vulneribus sacratissimi capitis, cui dicemus: *Salue tremendum cunctis potestatibus Caput D. N. Iesu Christi, Saluatoris nostri, pro nobis arundine percussum & spinis coronatum: quæ Cor B. Mariæ Virginis amantissimæ Matris tuæ vndique lacerarunt*. Dieque demùm Dominico, inhabitatio erit in vastitate Vulnerum; quæ vndique Christi Corpus cruentum ac lacerum exhibebant; & fiet adoratio his verbis: *Salue totum Corpus Domini Nostri Iesu Christi, pro nobis in Cruce suspensum, vulneratum, mortuum, & sepultum: pro cuius vulneribus, Cor B. Mariæ Virginis dulcissimæ Matris tuæ sæuissimè dolorum gladijs est transfixum*. Sed & primùm adorare sanctissimam Trinitatem oportet: Contritionis actum elicere: pro acceptis beneficijs gratias agere: & Beatissimam Virginem exorare, vt ipsa nos in Vulneris foramen ac domicilium introducat. Ibi verò adorare nos oportet sacratissimum Vulnus: nostrum rerumque omnium edere Oblationem: Protestationem obire continuò in eo Christi Vulnere commorandi: & ab æterno Patre, vel à Christo, & à Beatissima Virgine efflagitare, vt ibi omne quod Deo libet adimplere & exequi valeamus; vt docui in *Crucifixo Panorm. fol. 329. n. 64.*

DISQVISITIO QVINTA.

De Alphabeto sacratissimæ Eucharistiæ; quod præsertim in Octaua sanctissimi Corporis Christi, ac cunctis anni diebus, ob oculos habere ac recolere iuuat.

109 POst Alphabetum Dominicæ Passionis, par est, vt aliud tradamus, quo selectiora aliquot sacratissimæ Eucharistiæ Nomina, & tituli, ac mirabiles effectus, ex sanctis Patribus ex-

plicantur. Indè enim vberem meditandi materiam hauriemus; quam facilè in dies vel in horas, iuxta suam deuotionem ac captum, assumere sibi quisque ac distribuere potest.

ALPHABETVM EVCHARISTICVM.

Psal. 80. Psal. 147. A. *Adeps frumenti*, sanctissimum Iesu Christi Corpus appellari, iuxta illud psalmi: *Cibauit eos ex adipe frumenti*: & illud: *Adipe frumenti satiat te*; docent Augustinus *in psal.* 80. Hieronymus *in cap.* 55. *Isaiæ*, Bernardus *in Cant. ser.* 74. Ayguadus & Richelius *in eum loc.* quod & canit Ecclesia *in Officio de Eucharistia*. Psaltes enim eo loco perspicuè agit de manna. Et Eucharistia *frumenti adeps* est dicta, quia est verum manna typico suffectum, vt docuit Christus *Io.* 6. Vel ita dicitur vt alij censent, quia triticum simpliciter dictum est eximium inter frumenta, ac solùm est materia Eucharistiæ. Quod ex vsu Hebræorum constat, apud quos quiduis electum ac optimum *adeps* nuncupatur, vt notat Delriò ex *Gen.* 4. vbi Abel dicitur obtulisse *de adipibus Gregum*, idest optima quæque gregis. Dicitur *Agnus Deus Agnum abigens*, propterea quòd, in vltima cœna, præcessit agnus figuralis siue Iudaicus, cui continenter suffectus est verus agnus; quod Petrus Blesensis ita declarat: Delri. to. 1. adag. 475.

Bles. carm. de Euch. c. 4.

Iam non per Moysem, agnus populo datur assus.
Agnus Christus adest pro nobis in Cruce passus.
Huius venturi prior extitit ille figura,
Vmbra recessit, adest lux, fit Deus hostia pura.

S. Gaud. tr. 2 in Exod. in fine. S. Elig. ho. 14. de Cœna Dom. Ob id S. Gaudentius, & S. Eligius ritum comestionis agni ad perceptionem Eucharistiæ referens, ait: Istius agni carnes assas comedimus, si nihil in nobis fluidum relinquimus, sed totum virtutibus solidatum, & igno sancti Spiritus decoctum approbamus. Vnde Psalmista, *Exaruit*, inquit, *velut testa virtus mea*. Quid namque est testa ante ignem, nisi molle lutum? Sed de igne agitur vt solidetur. Virtus ergo humanitatis Christi, velut testa, exaruit: quia ab igne passionis, ad virtutem incorruptionis creuit. Pergitque Gaudentius: Caro etiam agni cum azymis panibus & lactucis agrestibus est edenda, vt cùm Corpus Redemptoris accipimus, nos pro peccatis nostris fletibus affligamus &c. S. Gaud. lo. cit. Palladius *Alimentum spirituale animæ* appellat: quia est cibus, & destinatur ad nutriendum, non ad conferendum primò vitam: Est autem alimentum spirituale, quia non ordinatur ad refectionem corporis, sed ad animæ pabulum. Pallad. Lausia. sect. 8. Et vt Paschasius ait: licet panis in carnem, & vinum conuertatur in sanguinem, veluti à natura probatur, tamen altiùs consideranda sunt hæc: vbi non modò caro aut sanguis Christi in nostram conuertun- S. Pasch. l. de Sacram. cap. 20.

tur carnem aut ſanguinem, verùm nos à carnalibus eleuant, & ſpirituales efficiunt. Franco Abbas dicit, *Alimentum vitale*: S. Leo, *Alimoniam Cæleſtem*: S. Cyprianus, *Alimoniam immortalitatis*: Rupertus, *Alimoniam regalem*: Petrus Damiani, *Alimoniam vitalem*: Hugo Lingonenſis, *Altare*. Quod & Lantfrancus in illud ad Hebr. 13. *Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem qui tabernaculo deſeruiūt*, ſic exponit: Corpus Chriſti, & in aliꝭs diuinarum locis ſcripturarum, altare vocatur, pro eo videlicet, quòd in ipſo, ideſt in fide ipſius, quaſi in quodam altari, oblatæ preces, & operationes noſtræ, acceptabiles fiunt Deo. A S. Baſilio *Anaphora* dicitur, ideſt eleuatio: decet enim tremenda illa eleuationis hora, vt explicat Anaſtaſius Sinaita, omnes ſtare cum reuerentia, & cum timore, & ad Dominum ſursùm ferri. A Concilio Tridentino, *Antidotum*, *quo liberamur à culpis quotidianis, à peccatis mortalibus præſeruamur*. S. Ignatius dixit, *Antidotum mortis*, *pharmacum immortalitatis*. S. Cyrillus, S. Gregorius, Beda, Aponius, & Aliꝭ, *Arcam fœderis*: Illuſtratque id Thomas Boſius *lib. 13. de ſignis cap. 7. num. 11.* Arca enim è lignis imputribilibus compacta erat, quale etiam eſt Chriſti Corpus in Euchariſtia. Eſt & hæc Arca in verè Sancto Sanctorum Chriſto, & habet propitiatorium, è quo propitiationem petimus. Continet manna panem Angelorum, & tabulas mandatorum diuinorum, quatenùs robur ad ea exequenda tribuit: ac virgam Aaron Sacerdotalem. Vniuerſa quippè poteſtas Ordinis, circa Diuinam Euchariſtiam vertitur. Per hanc veram Arcam, ſicco pede, populus Dei ad terram promiſſionis, Iordane tranſito, peruadit: & muri Hiericunthini concidunt: Dagon confringitur, & humi affligitur. Poteſtas quippè inimica, vi huius Sacramenti, conteritur: & peruictis difficultatibus omnibus, terram viuentium ouantes ſubimus. Profanos vel immundos propiùs accedere ad hanc veram Arcam, eamue contingere, capitale eſt: non ſecùs ac Ozæ & Philiſtæis capitalis fuit acceſſus ad arcam. Vide Franciſcum Mendozam *ad cap. 6. 1. Reg. n. 21. annot. 22.* Theodoretus dixit, *Archetypum verum typici Paſchatis*. Nam typicum Paſcha erat agnus legalis, quem fuiſſe figuram Euchariſtiæ, diximus ſuprà: oſtenditque Thomas Boſius *in loc. cit.* Bruno Signienſis, *Arietem primum*, cuius capiti Aaron & filiꝭ eius debebant imponere manus, eſſe Chriſtum in Eccleſia quotidiè immolatum; eòdem applicans, quòd ſanguis eius circa altare fundi præcipiebatur; & cætera, quæ ad ritum primi illius arietis erant indicta. A Nicolao Methonienſi dicitur, *Arrhabo æternæ vitæ*: & à Damaſceno 4. fidei cap. 14. *Aſſumptio*. Quia vt Raguſinus *orat. de comm. ſub*

Franco tr. 10. de gratia Dei.
L. Leo ep. 23.
S. Cypr. ſer. de paſſ. Do.
Rup. l. 9. in Gen. cap. 34.
Dam. ſer. 10.
Hugo Ling. tr. contra Berengar.
S. Baſil. in l. Anaphora.
Anaſt. or. de ſynaxi.
Cōc. Tr. ſeſſ. 13. c. 2.
S. Ign. ep. ad Epheſ.
S. Cyril. l. 9. de ador. & l. 4. in Ioan. c. 28. S. Greg. & Beda ad cap. 6. lib. 1. Reg. Apon. lib. 1. in Cāt. ad illud, Nigra ſum.
Philip. Abb. Bonæ ſpei l. de dign. Cl. c. 2.
Theod. in 1. Cor. 11.
Boſ. l. 13. de ſignis c. 7.
Sign. in c. 27. Exodi, & in c. 8. Leuit.
Nic. Met. opuſc. cōtra hæſitantes circa Euc.

vtraque ſpecie exponit, per Euchariſtiam filij Dei diuinitatem aſſumimus.

B. *Benedictio dulcedinis* dicitur ab Arnobio in pſalmum 20. *Benedictio dulcedinis eſt Corpus Chriſti*. Guſtate, ait, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. A S.Cyrillo, *Benedictio myſtica*; quia eſt myſterijs refertiſſima, & admodùm arcana: quod confirmat Lantfrancus Concilij Epheſini locum illuſtrans. Quid enim, ait, ſecretius, quàm panis vinique ſpeciem conſpicere, ſaporem guſtare, tactum ſentire, & tamen mirabiliter operante Deo, veram carnem, verumque ſanguinem credere, comedere, bibere? Item dicitur à S.Cyrillo, *Benedictio paruula*. [Sicut parum (vt Paulus ait) fermenti totam maſſam fermetat, ſic paruula benedictio totum hominem in ſe ipſum attrahit, & ſua gratia replet, & hoc modo in nobis Chriſtus manet, & nos in Chriſto.] Vocat enim benedictionem hanc paruulam, ſpectando quantitatem molis, & ſpeciem dumtaxat externam. Alij Euchariſtiam *Bonum* vocant, ex illo ſcilicet Iſaiæ: Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra. Vbi Gloſſa *bonum* exponit Chriſtum ſacramentalibus ſpeciebus contectum. Baltaſſar Corderius in notis ad illud pſalmi 102. qui replet in bonis deſiderium tuum, obſeruat paſſim Patres eum locum de Euchariſtiâ accipere. Alij nominant *Bonum & Pulchrum Dei*, ex illo Zachariæ 9. *Quid enim bonum eius eſt, & quod pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* vt interpretati ſunt Gloſſa, Haymo, Remigius, Lyranus, Richelius, & Ribera. Bonum quippè, ait S. Paſchaſius, vt ad vitam æternam proficiamus: pulchrum verò, dum immortalitatis gloria veſtimur; vt & interiùs fruamur vitæ dulcedine, & exteriùs fulgeamus nitidiùs de tanti beneficij gratia. Aponius nominat *Bonum Cypri*: & S. Auguſtinus ex 1. Reg. 2. *Buccellam Panis*.

C. *Calculus Candidus* dicitur ab Hugone, ex illo Apocalypſis 2. Vincenti dabo calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit. Et hunc calculum candidum, alij interpretantur carbunculum, alij margaritam, quidam ſmaragdum: & vt Viegas oſtendit, in Euchariſtiam bellè omnia quadrant. Alij verò de topazio accipiunt: & vt tradit Philippus Abbas, Chriſtus in Euchariſtia habet cum topazio affinitatem, quòd nonniſi noctu ſplendet, & de die non eſt manifeſtus. Vnde, vt ex Agatarchide *cap.42.hiſt.* ſcribit Photinus *cod.*150. qui topazium cõquirunt regio edicto, noctu per vices circumuagantur, ligonibus variæ magnitudinis inſtructi: & obſeruato ſplendore promicante è ſa-

S. Cyr. in Glaph. in pẽtat. c. de Adam.

S.Cyr. l.8. in Io. cap.17.

Iſa.55.

S.Paſch. l. de Sacram. c.21. Apon. in Cant. 1. S. Aug. 17. de Ciu. c. 5. Hugo Card.

Vieg. ibi cõment. 3. ſec. 6. Phil. Ab. initio tr.7. in Cant.

xo, tantæ illum quantitatis vaſe circundant, quantam viſæ imaginis magnitudo popoſcit. Per diurnam poſteà lucem accedentes æqualem priori deſignationi ſaxi partem exſcindentes, ſegmentum peritis læuigandi artificibus tradunt, ſicque topazio potiuntur. Sic Chriſtum in Sacramento nonniſi per hanc noctem ſplendere; de die autem ceſſaturum eius ſacramentalem fulgorem, Theophilus Raynaudus oſtendit. Chryſoſtomus vocat Euchariſtiam, *Calicem admirandum*. Hinc (è Chriſti Latere) myſteria, inquit, ortum habent, vt quoties ad calicem admirandum accedis, tanquam ab ipſo Latere hauriens accedas. Apoſtolus 1. *Cor.* 10. vt *hom.* 24. obſeruat Chryſoſtomus, *Calicem benedictionis* appellat. *Calicem inebriantem* Origenes *tr.* 35. *in Matth.* Ambroſius *in pſal.* 35. Hieronymus q. 2. ad Hedibiam, & Chryſologus *ſer.* 160. Eſtque illud Dauidis, *Calix meus inebrians quàm præclarus eſt*; quod de Euchariſtia accipit S. Cyprianus *ep.* 63. *num.* 15. *Calicem ſalutarem*, appellat Canon Miſſæ, & Hieronymus ad Hedibiam: & vt ſeptuaginta & alij interpretantur, idem eſt, ac Calix Saluatoris, & Calix Ieſu. *Carbonem diuinum*, dicit Theodoretus in Iſaiæ 6. & Iuſtinus *quæſt.* 44. ad Orthodoxos; quod & habetur in Miſſa Æthiopum, vbi Sacerdos ſic orat: Salue Virgo Maria genitrix, tu es thuribulum aureum, quæ carbonem ignitum portaſti. Benedictus, qui eum de ſanctuario recipit: quia verè Verbum Dei ipſe eſt, qui peccata remittit, & culpam delet, & ex te homo factus eſt, & Patri ſe ipſum verum incenſum & pretioſum ſacrificium obtulit. Idemque docet Damaſcenus 4. fidei *cap.* 14. hunc in modum: Ipſum omni puritate colamus: hoc eſt, & ſpirituali & corporea, ſiquidem duplex ipſo ipſe eſt. Ardenti cupiditate ad eum adeamus, manibuſque in crucis formam compoſitis, Crucifixi Corpus ſuſcipiamus: atque & oculis, & labijs, & frontibus impoſitis, diuini Carbonis participes efficiamur: vt ignis deſiderij in nobis inſiti, aſſumpta ea, quæ ex carbone oritur inflammatione, peccata noſtra exurat, ac pectora noſtra colluſtret: demuſque operam, vt per diuini Ignis perceptionem inardeſcamus, Dijque efficiamur. Hæc ille. *Celebrationem pietatis*, vocat incruentum ſacrificium S. Auguſtinus. *Cibum cæleſtem*, Euchariſtiam dicit S. Cyprianus: *Cibum compoſitum*, Damaſcenus: *Cibum & conuiuam*, S. Hieronymus; quod & dicunt Patres, quia ſupponunt, Chriſtum in extrema cœna ſuum corpus & ſanguinem participaſſe: vt Bartholomæus Ferrarienſis libro 3. de Chriſto abſcondito ſatis probat. *Cibum credentium*, Hieronymus in 8. caput Oſeæ: *Cibum Dominicum*, S. Hilarius: *Cibos dulces* SS. Hieronymo & Auguſtino in illud pſalmi 54. *Qui ſimul mecum*

Rayn. in cãdel. Sancto.

S. Chryſ. ho. 84. in Io.

S. Hier. q. 2.

S. Auguſt. 3. Trin. cap. 10

S. Cypr. l. de lapſis nu. 5.

Damaſc. lo. cit.

S. Hier. q. 2. ad Hedibiã.

S. Hil. lib. 8. de Trin.

dulces capiebas cibos. *Cibum grandium*, Bleſenſis *ſer.17.*& Richardus Victorinus *tr. de dubijs ad S. Bernardum*. *Cibum inconſumptibilem* dixit Cæſarius *dial.4.3.Theol.Cibum melle dulciorem*, S. Maximus Taurinenſis *hom. in pſal.* 21. *Cibum Myſticum*, paſſim Græci: *Cibum & potum immortalem*, S.Paſchaſius: *Cibum & potum ſpiritualem*, S.Ambroſius: *Cibum pietatis*, S. Hieronymus: *Cibum, potumque nouæ ſalutis*, Rupertus, qui *lib.4. in Cant.* Chriſtum inducit ita loquentem: Hoc tantæ ſalutis Sacramentum ab initio non feci vobis: hunc cibum potumque vitæ æternæ hactenùs non porrexi vobis, cùm ambularetis mecum ad prædicandum Euangelium regni Dei. Non enim tempus erat, neque ordo poſcebat, vt vobis cibus aut potus daretur nouæ ſalutis, priuſquàm deleretur macula veſtra reatus antiqui &c. *Cibum ſanctum*, dixit Origenes: *Cibum ſatietatis*, Chryſoſtomus: *Cibum vitæ*, Rupertus: *Cibum vitæ æternæ*, S.Baſilius: *Columnam nubis & ignis*, Drogo de Sacramento Dominicæ paſſionis. *Communio* autem dicitur, non modò Sacramenti Euchariſtiæ vſus ac ſumptio, ſed & ipſum Sacramentum, à Damaſceno *lib. 4. fidei cap.* 14. à S.Ambroſio *lib.* de initiandis *cap.*8. dicitur *Conuiuium cæleſte*: à S. Hieronymo *q.*2. ad Edibiam, & à S.Paſchaſio *lib.* de Sacram. *cap.* 21. *Conuiua & Conuiuiũ*: & S.Dionyſius *cæl. hier. cap.*8. *Conuiuium inſpectionis* appellat; quia non admittuntur ad eam, niſi epoptæ, & perfectè initiati; vel vt ait S. Dionyſij Scholiaſtes apud Turrianum *lib.*2. *de Euch. cap.* 17. quia per eam mentis contemplatione inſpiciuntur ea, quorum eſt commemoratio, nempè Chriſti paſſio & mors. Theodoretus in pſalmum 21. vocat *Conuiuium myſticum & immortale*: Iſaias 25. *Conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ*. Quod explicans Guitmundus hæc ait: Hoc myſterium Eſaias prophetaſſe videtur; Vbi faciet, inquit, Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc *Conuiuium pinguium* &c. Quid eſt ergo dicere, *in monte hoc*, niſi vbi crucifixus eſt Chriſtus? & quid eſt, *Conuiuium faciet omnibus populis*, niſi quia illud, quod pependit ibi, manducant omnes populi? Quid *in pinguibus iſtis medullatis*, niſi carnem gratia Spiritus ſancti pinguiſſimam, in qua habitat plenitudo diuinitatis corporaliter? Quid *in vindemia defæcata* niſi ſanguinem ſanctum, qui in ſpecie vini bibitur, ſignat? Et quid nobis per iſtud conuiuium fiet? *Præcipitabit*, inquit, *mortem in ſempiternum*. Et demum, vocari *Corpus* Euchariſtiam, docet S. Iſidorus Peluſiota *lib.1. ep.*282. & illis verbis, *Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*, ſenſum eſſe, quòd Chriſtus nos reducturus ſit, vbi eſt Corpus eius propter nos mortuum & occiſum, hoc eſt in Pa-

S. Paſch. l. de ſur. c.19. S. Ambr. l. de initiand. c.9. S. Hier. in c. 66. Iſa.

Orig. ho. 5. in diuerſ. S. Chryſ. ho. ad Neoph. Rup. l.12. de victor. verbi Dei c. 12. S. Baſil. ſer. 1. de baptiſ.

Matth. 23.

radisum. S.Chrysostomus: Curam geramus fratrum. Ad hoc enim nos inducit sacrificium illud formidandum & admirabile, quod iubet nobis, vt cum concordia & caritate maxima ad se accedamus: & aquilæ in hac vita facti ad ipsum Cælum euolemus, vel potiùs supra Cælum. *Vbi enim cadauer*, inquit, *illic & aquilæ*. *Cadauer* Domini Corpus propter mortem. Nisi enim ille cecidisset, nos non resurrexissemus. *Aquilas* autem appellat, vt ostendat ad alta cum oportere contendere, qni ad hoc Corpus accedit, & nihil cum terra debere ei esse commune; neque ad inferiora trahi, & repere, sed ad superiora semper volare, & in solem iustitiæ intueri, mentisque oculum acutissimum habere. Aquilarum enim non graculorum hæc mensa est. *S.Chrys. ho. 24. in 1. Cor.*

D. Vocat Origenes Sacramentum Eucharistiæ, *Dapes Saluatoris nostri*: S.Thomas, *Defensaculum contra incentiua vitiorum, & carnalis concupiscentiæ*: Damascenus *lo.cit. Delibationem panis futuri*. Futurus quippè panis, quo in Cælo fruemur est Deus, clarè perceptus. Eum nos panem hìc prægustamus in Eucharistia, sed furfure permistum, quia non conspicimus Deum sicuti est; quod S.Bernardus explicans ait: Habeo & ego verbum sed in carne: & mihi apponitur veritas, sed in Sacramento. Angelus ex adipe frumenti saginatur, & nudo saturatur grano: me oportet interim quodam Sacramenti cortice esse contentum, carnis furfure, literæ palea, velamine fidei. Turrecremata etiam *tr. de Corpore Christi*, refert hæc verba ex S.Bernardo: Corpus Christi est ægrotis medicina, *Peregrinantibus Diæta: debiles confortat, valentes delectat*: languores sanat, sanitatem seruat. Fit homo mansuetior ad correptionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, sagacior ad cautelam, ad obedientiam pronior, ad gratiarum actionem deuotior. Hugo Cardinalis in 6. Ioannis, *Diuitias Dei* vocat Eucharistiam: S.Chrysostomus *hom.* de Natali Saluatoris ad finem, *Diuitias indesinentes, quæ cælorum nobis regnum conciliant*. Sæpe quidem, in S. Gregorij sacramentario, diuina mysteria nuncupantur, *Dona cælestia*. S.Gaudentius *tr.2.* dixit, *Donum Dei inenarrabile*: Clement. vnica de reliquijs & veneratione Sanctorum, *Donum Dei transcendens omnem plenitudinem*: Fortunatus de vita S. Martini, *Dona immaculata*. Quamobrem, inquit, ne qui imbutus est *donis sine macula*, tumultibus, insania, fœdis desiderijs imbuitor: Neu os, immortali hausto fonte, sordidos sermones ac cloacas inanes edito; Neu oculi, augusto sanguine piati, efferum cernunto, & aspectus meretricios figunto: Neu manus, sacris contactis opibus, quæ nefas sic attrectanto; quia cuncta membra perindè ac Christi mem-

Orig. ho. 38. in Luc. *S.Th. opusc. 58. c. 21.* *S. Bern. ser. 33. in Cant.* *Fort. l. 4.*

bra custodiuntor atque seruantor. S. Theoctista in actis apud Metaphrastem 10. Nouembris, post annos quinque supra triginta in solitudine exactos; Peto, inquit Venatori, vt in vase mundo mihi accipias vnum ex *intemeratis donis* Corporis Domini Nostri Iesu Christi. Liturgia S. Iacobi, *Dona*, dixit, *pretiosa*, *ineffabilia*, *immaculata*, *gloriosa*, *reuerenda*, *horrenda*, *diuina*. Acta S. Mariæ Ægyptiacæ, *Dona viuifica*, nuncupant. Creditus Bernardus de dignitate Sacerd. *Dulcedinem dulcedinum*. Et iuuat tantę dulcedinis rationem, ex Matthæo Cardinali de Cracouia Paræn. ad Communionem, audire. Ibi ambigenti, num suauitas, quam in Eucharistiæ perceptione sentiebat, inde prodiret, an ab actibus comitantibus, respondet sentiendum esse, prodire ab Eucharistia. Cùm hoc non solùm sit opus, per quod Deus voluit conferre gratiam, sed etiam motiuum habeatur, per quod homo excitatur ad deuotionem, & præsens sit omnis gratiæ fons, & dulcor. Et quantum ad hoc, occupari cum hoc Sacramento, ministrando vel sumendo, omnibus exercitijs præstantius est; in tantum quòd etiam si alicui non indigno daretur, & nulla gratia habitualis infunderetur, adhuc esset mirè delectabile: vt in Christo; qui sicut desiderio desiderauit hoc Pascha manducare cum discipulis suis, sic sine dubio Corpus suum delectabiliter sacramentaliter sumpsit; nullam tamen gratiam inde consecutus. Quid enim iucũdius dulcius aut delectabilius potest esse, quàm habere personaliter & corporaliter præsentem Dominum Iesum Christum, donum vtique excellentissimum, vt totius delectationis spiritualis obiectũ, seu materiam, causam efficientem, & finem? Et hæc est dulcedo, quæ huic Sacramento singularis est, & ei nunquam deest, in qua & transcendit omnia alia Sacramenta. Hæc enim sola habet accendere desiderium, humilitatem ingerere, compunctionem inducere, parere fiduciam, spem erigere, ad amorem inflammare, infundere gratiam, excitare ad reuerentiam, totam mentem liquefacere & oblectare, & ad effectus dulcissimos prouocare. Pro hac enim in nobis excitanda, tanti boni præsentia indulta est.

S. Bern. cap. 20.

Matth. Card. fol. 12.

E. *Effigiem Dominicæ immolationis* appellat Missale Gothicum: *Epulas vitales Angelorum*, Petrus Damiani: *Epulum incorruptum*, Origenes: *Escam lætissimam*, Philo Carpath. ad illud Cant. 7. Guttur tuũ sicut vinum optimum: *Escam omni carni*, S. Augustinus, & S. Prosper in psalmum 135. *Dat escam omni carni*: escam, inquit S. Paulinus, non istam quæ perit, sed illam, quæ conficitur in æternum victum, qualem vel anima in Dei rebus operosa, vel Catholica Ecclesia coquit. Corpus est enim veri Panis, qui de Cælo descendit, & dat escam

Miss. in prep. ad Missam.
Dam. opusc. 8. c. 4.
Or. ho. 5. in diuersos.
S. Paul. ep. 5

viuificantem eſurientibus iuſtitiam. Non enim carnem farcit, ſed cor hominis firmat. Hic panis & fons eſt, qui quò ampliùs editur, plus eſuritur; & quò magis bibitur, plus ſititur. Hunc panem vt edamus in æternum, molamus in huius mundi piſtrino triticum bonum, quod eſt obedientiæ fidelis operatio, & caritas in corde puro & fide non ficta.] Omnem verò carnem, cui data dicitur hæc eſca, explicat Proſper, omnes renatos: Guerricus *ſer.4.de Nat.Dom.* eſcam omnis carnis, de eſca hominum & iumentorum accepit. Nam & qui ex ratione vitam inſtituerunt, & qui in bruta quadantenùs mutati fuerant, ſi redeant ad cor, habent hìc eſcam ſuam. Et quæ vnquam, inquit, aurea ætas ſimile aliquid habuit huius plenitudini temporis, quando panis Angelorum, omnem habens ſaporem ſuauitatis & omne delectamentum, apponitur etiam iumentis; & non ſolùm homines, ſed & iumenta cibo paſcuntur cæleſti? Homines enim & iumenta ſaluabis Domine, quemadmodùm multiplicaſti miſericordiam tuam Deus! Infinitè multiplex hæc tua, Deus, miſericordia, vt qui panis es Angelorum, non ſolùm hominum dites ac beatifices menſas, ſed etiam fœnum factus, iumentorum repleas præſepia. Confiteris, ò Domine, ſapientia miſericors, quia ſapientibus & inſipientibus debitor es: vt qui vtroſque feciſti, vtriſque neceſſariam alimoniam procures; & tam homines quàm iumenta, tam ſpirituales quàm animales, ſuo quemque gradu & ordine, ſalues. Confiteantur igitur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum: quia miſit Verbum ſuum, carnem factum, medicinam & eſcam omnium: vt etiam incapaces Verbi, ſanentur tamen, & ſatientur carne Verbi. Edant itaque pauperes, & ſaturentur, & confiteantur veniſſe beatam temporis plenitudinem, quando & in præſepibus ſuis, paratum ſine ſudore vultus ſui, panem inueniunt cæleſtem. Nunquid ergo mugiet bos, cùm ante præſepe ſic plenum ſteterit? Mugiat, ſed præ gaudio ſpiritus, in iubilo cordis. Ita Guerricus. Quia verò principaliſſima & ſublimiſſima laudatio, ac gratiarum actio, quæ Deo per nos pendi poſſit, iuxta D. Auguſtinum, eſt ſita in confectione Corporis Chriſti, inde factum eſt, vt ei inditum ſit antonomaſticè nomen *Euchariſtiæ;* vt docet Alanus. Optima, inquit Chryſoſtomus, beneficiorum cuſtos eſt, ipſa memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum confeſſio: propterea & reuerenda ac ſalutaria illa myſteria, quæ omni certè Eccleſiæ congregatione celebramus, *Euchariſtia*, ideſt *gratiarum actio* nuncupantur. Sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipſum diuinæ erga nos caritatis oſtendunt, noſque faciunt debitas Deo gratias

Alan. l. de Euchar. c.2. & 4.
Cabaſil. in expoſ.liturg. cap. 52. & Chryſ.ho.26 in Matth.

ſemper exoluere. Et demum Fulbertus *ep.1.* dixit *Expiamentum placabilis ſacrificij*. Reparata enim, inquit, humanæ originis dignitate, ſciens ſemper diabolus inuidere, & nequitiæ ſuæ arte quærere, qualiter hominem à ſui Conditoris voluntate auerteret, & antiquæ perditioni (ſi fas eſſet) obnoxium redderet; defectum noſtræ fragilitatis miſeratus, aduersùs quotidianas noſtræ prolapſionis offenſas, ſacrificij placabilis nobis prouidit expiamenta: vt quia corpus ſuum, quod ſemel pro nobis offerebat in pretium, paulò poſt à noſtris viſibus ſublaturus fuerat in Cælum, ne ſublati corporis fraudaremur præſenti munimine, corporis nihilominùs & ſanguinis ſui, pignus ſalutare nobis reliquit, non inanis myſterij ſymbolum, ſed compaginante Spiritu ſancto, Chriſti corpus verum, quod quotidiana veneratione, ſub viſibilis creaturæ forma, inuiſibiliter virtus ſecreta in ſacris ſolemnijs operatur.

F. *Fauum cum melle*, Nyſſenus, Pſellus, Philo, alijque nominant. Fauetque illud Cantic. *Comedi panem cum melle*, vel *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Comedite amici, bibite, & inebriamini chariſſimi*. Vbi Chriſtus inuitans ſuos ad comedendum corpus ſuum, & bibendum ſanguinem, ait ſe prægustaſſe & præbibiſſe ſuum corpus & ſanguinem, ſeu comediſſe fauum cum melle. Multæque id correſpondentiæ firmant. Prima eſt, quòd ſicut fauus, & mel latens in cera, ita anima Chriſti latuit in cellula carnis, inquit Alanus. Deindè, ex S. Gaudentio, conſtat, ſine coitu generantis, futuræ apis vermem naſci: cuius labores Reges, & mediocres ad ſanitatem afferunt, ſicut ſcriptum eſt. Labores enim Paſſionis Chriſti, quem velut apem Virginem permanſurum, Virgo mater dedit, tam Reges à regendo, ſummi videlicet Sacerdotes, quàm mediocres quique ſe ſequentium, vel ordinis Leuitici, vel fidelium plebis, in figura corporis eius ac ſanguinis pro ſalubritate vitæ communis offerimus; & agnitam dulcedinem myſteriorum, conſcio ore, teſtamur: Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. Ad hæc, ſeruat & mel corpora incorrupta. Quocircà apud Plinium l.7.c.3. Hippocentaurus ſub Claudij principatu melle conditus eſt, vt citra tabem aſſeruaretur. At Euchariſtia pollet inſigni efficacitate ad inhibendam corruptionē ſiue corporum ſiue animorum. Nam reſurrectionis eſt pignus ex Chriſti oraculo, & animam præſeruat à corruptione mortis internæ. *Ferculum excellentiſſimum* vocat Euſebius de morte Hieronymi. O ſignum dilectionis, inquit, inopinabilis, vt idem ſit dator quod datum: & donator idem ſit quod ipſum donum. Quàm magna dulcedo tua, Domine, quam abſcon-

Cant. 7.

Alan. de inſulis & Honorius Auguſtod. in hunc loc. S. Gaud. tr. in illud Pater maior me eſt.

diſti timentibus te,& perfeciſti eam ſperantibus in te! O *ferculum excellentiſſimum*, venerandum, colendum, adorandum, glorificandum, & amplectendum, omnibus extollendum laudibus, exaltandum cunctis præconijs, firmiter in cordis viſceribus retinendum, & perpetuis temporibus alligandum animo. Cecidit homo per cibum ligni vetiti ad miſeriam: per te releuatur ad æternam gloriam. Cornelius *Ferculum geſtatorium*, quod fecit ſibi Rex Salomon, ad Euchariſtiam accommodat. Hoc quippe Sacramentum & Chriſtum & omnia quæ Chriſti ſunt intra ſe geſtat, nec ad hoc geſtamen aſcenditur niſi per purpuram paſſionis & immolationis. S. Chryſoſtomus *ho. 7. in Matth.* dixit Euchariſtiam, *Fontem donorum cæleſtium, ſuper quem Chriſtus ſedet, non vnam Samaritanam, ſed vniuerſam alloquens Eccleſiam*: vnde non aquæ poculum, ſed ſanctificationis, & ſanguinem viuum largitur; qui ad Dominicæ mortis teſtimonium ſumptus, nobis fit cauſa vitæ. Et *hom. 83.* vocat *Fontes altaris admirabiles, ex quibus alumni pietatis nutriuntur*: S. Paulinus, *Fontes ſpirituales*: Iſidorus Peluſiota *Fontem immortalitatis*. Actorum 2. & 20. *Fractio panis* vel Corpus Chriſti immolatum in altari, vel eius immolationem deſignat. Sicque Alanus exiſtimat accipiendum illud Apoſtoli 1. *Cor.* 10. Panis quem frangimus, ideſt, quem immolamus. Illud Zachariæ 9. *Frumentum Electorum*, nonnemo vertit, *frumentum iuuenum*: quia huius Sacramenti maximè proprium eſt, inſtaurare iuuentutem amiſſam, & reſtituere homini primum vigorem. Quam renouationem oſtendit S. Ambroſius. Veniebas, inquit, deſiderans ad altare, quò acciperes Sacramentum. Dicet anima tua: Introibo ad altare Dei mei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam. Depoſuiſti peccatorum ſenectutem, ſumpſiſti gratiæ iuuentutem. Hoc præſtiterunt tibi Sacramenta cæleſtia. Denique iterum audi dicentem Dauid: Renouabitur ſicut aquilæ iuuentus tua. Bona aquila eſſe cœpiſti, qui Cælum petis, terrena faſtidis. Bonæ aquilæ circa altare. Vbi enim Corpus, ibi & aquilæ. Forma corporis altare eſt, & Corpus Chriſti eſt in altari. Aquilæ vos eſtis, renouatæ ablutione delicti. Hactenùs ille. Vide Paſchaſium *lib. de ſacr. cap.* 21. Et demum Chryſoſtomus, *Fundamentum fiduciæ* hoc Sacramentum appellat; de qua quidem fiducia diſertè *ſer.* 95. Chryſologus de Phariſæo agens rogante, vt Chriſtus cum eo manducaret, ait: Rogas Phariſæe, vt manduces cum illo? Crede, eſto Chriſtianus, & manducas cum illo. Ego ſum, inquit, panis, qui de Cælo deſcendi. Semper Deus maiora tribuit, quàm rogatur: Nam ſe manducandum dedit, qui rogabatur, vt manducandi ſecum fiduciam largiretur. Et tamen hoc de-

Corn. in Cãt. 3. n. 10.

S. Paulin. Carm. de obitu Celſi. Iſid. l. 1. ep. 123.

Alanus lib. de Euch. c. 1.

S. Ambr. l. 4. de Sacram. c. 2.

S. Chryſ. ho. 24. in 1. Cor.

dit, vt illud quod poſtulatus eſt non negaret. Nonnè ſic promittit hoc, & ſpontè diſcipulis ſuis: Vos perſeueraſtis mecum, manducabitis & bibetis in menſa mea, in regno meo? Chriſtiane, qui ſe tibi hìc manducandum dedit, quid ſuum tibi denegare poterit in futurum? Et qui tantum tibi Viaticum parauit ad victum, quid in illa tibi manſione perpetua non parauit?

G. S.Ignatius *ep.ad Epheſ.* hoc Sacramentum dixit, *Gloriam Dei.* Et illud Apoſtoli *Hebr.* 12. habemus *Gratiam*, per quam ſeruiamus Deo, placentes cum metu & reuerentia, de Chriſtiano ſacrificio accipiendum eſſe, proſequitur Turrianus. Nec rarò abſolutè *Gratia*, ſumitur pro effectu ſacrificij, ſiue pro Corpore & Sanguine Chriſti. Vnde eſt illud Ambroſij: Veniſti ad altare, accepiſti *Gratiam Chriſti*, Sacramenta es cæleſtia conſecutus. Et ſexta Synodus *can.* 101. ait: Corpus Chriſti & templum, hominem ad imaginem Dei creatum, diuinus magna voce appellat Apoſtolus. Omnem ergo ſenſibilem creaturam ſuperans, is qui ſalutari paſſione cæleſtem dignitatem eſt aſſecutus, Chriſtum bibens vel comedens, æternæ vitæ adaptatur: animam & corpus diuinæ gratiæ participatione ſanctificans. Quare ſi quis immaculati corporis in ſynaxis tempore eſſe particeps voluerit, & offerre ſe ad communionem, manu in Crucis formam, ſic accedat, & gratiæ communionem accipiat. *Gratia bona*, idem quod Græcè Euchariſtia, vt Ioannes Raguſinus *or.de comm. ſub vtraque ſpecie*, quam habuit in Concilio Baſileenſi, declarat. Panis iſte, inquit, ſi dignè comeditur impinguat. Poculum tuum inebrians, quàm præclarum eſt. Per hanc ergo Sacramenti virtutem, vniuerſæ virtutes augentur, & omnium gratiarum fructus exuberant. In hoc enim Sacramento ſumitur totus & integer, qui eſt fons & origo totius virtutis & gratiæ: quapropter antonomaſticè, reſpectu omnium aliorum Sacramentorum, Euchariſtia dicitur Græcè, quòd Latinè interpretatur, *Bona Gratia*; cuius nuncupationis ſex poſſunt cauſæ & rationes aſſignari. Vna eſt, quia non eſt niſi gratia, & nonniſi gratia eſſe poteſt. Secunda autem, quia non datur niſi à gratiſſimo. Tertia, quia nonniſi gratiſſimis adminiſtratur. Quarta autem, quia nonniſi gratiam operatur. Quinta, quia gratia eſt ſuper gratiam. Sexta, quia eſt omnis gratiæ contentiuum. Etenim, cùm in omnibus Sacramentis alijs, gratiam eius per partes participemus, in hoc Sacramento totum quod videmus, quod tangimus, quod guſtamus, eſt gratia. Autor imperfecti operis in Mattheum *ho.* 17. dicit *Gratiam Corporis Chriſti*. Palladius vocat, *Gratiã Dei*: Chryſoſtomus, *Gratiam ſpiritus*: Turrecremata, *Gratiam ſuper gratiã*.

H. S.Chryſoſtomus *Hereditatem nobis à Chriſto relictam in Euchariſtia* cum melote Eliæ conferens, ait: Tanquam maximam hereditatem Eliſæus melotem ſuſcepit: etenim verè maxima fuit hereditas, omni auro pretioſior. Et erat poſthac duplex Elias ille, & erat ſurſum Elias, & deorſum Elias. Noui quod iuſtum illum beatum putatis; & velletis quiſque eſſe vt ille. Quid igitur ſi vobis demonſtrauero quid aliud, quod illo multò maius omnes ſacris myſterijs imbuti recepimus? Elias nempè melotem diſcipulo reliquit: Filius autem Dei aſcendens ſuam nobis carnem dimiſit. Sed Elias quidem exutus: Chriſtus autem & nobis reliquit, & ipſam habens aſcendit. Ne igitur animo concidamus, neque lamentemur, neque temporum difficultatem timeamus. Qui enim ſanguinem ſuum pro omnibus effundere non recuſauit; & carnem ſuam, & rurſus ipſum ſanguinem nobis communicauit, quid pro ſalute noſtra recuſabit? Hæc ille. Rupertus hoc Sacramentum, *Holocauſtum ſalutis*, *holocauſtum Dominicæ paſſionis*, appellat: S.Ambroſius, *Hortum concluſum*: Iſidorus Peluſiota, *Hoſtiam incruentam*: Apoſtolus Hebr. 13. *Hoſtiam laudis*: Euſebius, *Hoſtiam mundam, diuinum, ſacroſanctum, Deoque digniſſimum ſacrificium*: S. Paulinus, *Hoſtiam omnium Sacerdotum*: S. Cyrillus, *Hoſtiam propitiationis*: Petrus Bleſenſis, *Hoſtiam ſalutis mundi*: S. Gregorius, *Hoſtiam vitalem*: & rurſus Euſebius: *Hoſtiam vnicam & perfectam Eccleſiæ, fide æſtimandam non ſpecie*. Nam quod ex ea apparet eſt valde deſpicabile: ſed fides monſtrat, quantus theſaurus ſub eo vili tegmine deliteſcat. Cur verò hæc dicatur eſſe vnica & perfecta Eccleſiæ Chriſtianæ Hoſtia, ita Prumienſis exponit: Iſrael, inquit, carnalis multitudinem hoſtiarum in parabolam acceperat. In agno enim, qui offerebatur, illius innocentia, qui ſicut ouis ad victimam ductus eſt, ſignabatur. In hirco, ſimilitudo carnis peccati, in ipſo, qui eſt ſine peccato, declaratur. In ariete, principatus eius monſtratur, qui eſt princeps panis. In tauro, fortitudo illius inſinuatur, qui eſt fortis & potens in prælio. In vitulo, virtus eius ſignificatur, qui eſt Dominus virtutum & Rex gloriæ. In columba, ſimplicitas illius indicatur, qui ſuos diſcipulos, vt ſint ſimplices ſicut columbæ, docet. In turture, caſtitas eius manifeſtatur, qui lumbos noſtros præcingi iubet. In paſſeribus, corpus & anima ipſius ſignificatur, qui poſuit animam ſuam pro ouibus ſuis. In decima, conſummatio operum eius exprimitur, qui in cruce dixit, conſummatum eſt. Ecce quàm plurimis hoſtijs domus Iſrael vmbræ futurorum ſeruiebat. Sicut enim plurima verba legis, ſic plurimas hoſtias carnalis Iſrael habebat. Sed apud nos eſt vnum verbum: Verbum ſci-

S. Chryſ. ho. 2. ad pop.

Rup. l. 6. in Gen. c. 32.
S. Ambr. l. de initiandis, cap 9.
Iſid. l. 3. ep. 75.
Euſeb. l. 1. de demonſtrat. cap. vlt.
S. Paul. ep. 5.
S. Cyr. catech. 5. myſtag.
Bleſ. ep. 86.
S. Greg. initio libri Sacram.
Prum. l. 2. de ſtatu domus Dei.

licet incarnatum: & vna hostia, quæ semel in consummatione seculorum, per mediatorem noui Testamenti Christum oblata, consummauit in sempiternum sanctificatos. Exterior nanque illa domus, quæ à veritate Cælestium longiore distabat interuallo, carnalibus hostijs spiritale sacrificium velabat. Interior verò domus hæc, quam sibi sapientia Dei ædificauit, septem columnis subnixa, septiformis specie virtute suffulta, in spiritualibus hostijs appropinquat cælestibus. Nam & arca, quam in diluuio Noë rexit, inferiùs latioribus spatijs distendebatur, superiùs breuiore spatio angustabatur. Inferiùs quippè irrationale animal, superiùs rationale continebat. Secundùm hanc similitudinem, inferior domus, quæ est synagoga, in carnalibus sacrificijs & terrenis promissionibus dilatabatur. Superior verò domus, quæ est Ecclesia, in carnalibus angustatur, in spiritualibus dilatatur. Pluralitas nanque veterum hostiarum ad vnum redácta est sacrificium, quod in eadem figurabatur arca; quæ post tantam longitudinis, latitudinis, & altitudinis dimensionem, in vno cubito consummata est. Denique præter vnum verum summúmque sacrificium, quod secundùm ordinem Melchisedech in consecratione Eucharistiæ offerimus, nullum aliud munus præstantius, altari sancto superimponimus.

I. *Ignem diuinum & spiritualem* communiter Patres hoc Sacramentum appellant. Qua igitur re, inquit S.Chrysostomus, mundiorem esse non oportet eum, qui hoc sacrificio participaturus est? Quos radios solares, non deberet excedere manus illa, quæ hanc carnem pertractat? Os, quod igne impletur spiritali? Lingua, quæ cruentatur hoc admirabili sanguine? Idemque *hom.* in Encomijs; Quid facis, ò homo, inquit, non promisisti Sacerdoti, qui dixit, sursum mentem & corda, & dixisti, habemus ad Dominum? Non reuereris & erubescis, & illa ipsa hora mendax inueniris? Papæ! Mensa mysterijs instructa est, & agnus Dei pro te immolatur: Sacerdos pro te angitur, ignis spiritualis ex sacra mensa refluit. Seraphin astant sex alis faciem tegentia, omnes incorporeæ virtutes pro te cum Sacerdote intercedunt: ignis spiritualis è Cælo descendit: sanguis in cratere in tuam purificationem ex immolato latere haustus est; & non erubescis, reuereris, & confunderis: neque Deum tibi propitium facis? Tum *hom.* de S.Philogonio: An nescitis, inquit, quòd hæc mensa plena est igne spirituali? Et quemadmodùm fontes aquæ vim exundant, ita hic flammam quandam habet arcanam. Ne igitur accesseris, stipulam afferens, non ligna, non fœnum, ne augeas incendium, exurasque animam ad Communionem acceden-

tem: ſed accede ferens lapides pretioſos, aurum, argentum, quo puriorem reddas materiam, multóque cum lucro diſcedas. Vide Heſychium *cant.* 1. *cap. vlt.* S. Ephræmum *lib.* de non *ſcrutanda Dei natura*: S. Cyprianum *lib. de lapſis*: & Metaphraſt. *Carm. de Euchariſtia*, vbi ſic ait:

Tu qui comedere cogitas Corpus tui
Domini, timens accede, ne igne hoc ardeas.
At ſanguinem ad communionem almum bibens,
Primum dolorem dantibus veniam dato.
Exindè fretus myſticum cibum cape.
Ante hoſtiam quam tu tremendam percipis
Domini tui vitam afferentis corporis,
Hoc apprecare modo: metu cum maximo,
Accedo iam ad Communionem myſticam,
O Conditor, tu ne me adure hoc cibo:
Namque ignis es, qui non idoneos conteris:
Purum effice ergo me à notis ſordentibus.
Cernens cruorem, horreſce quiſquis aſpicis:
Nam veluti carbo eſt, qui perurit impios.
Corpus Dei me alit, & Deum quendam facit:
Nam ſpiritus Deum efficit, mentemque alit.

Hugo Victorinus dicit, *Imaginem participationis Chriſti*: & S. Gauden- *Hugo V. l. 2.*
tius, *Imaginem paſſionis Chriſti*. Voluit, inquit, Chriſtus beneficia *de Sacram. p. 8. c. 8.*
ſua permanere apud nos: voluit animas pretioſo ſanguine ſuo ſem- *S. Gaud. tr. 2.*
per ſanctificari per imaginem propriæ paſſionis: & ideò diſcipulis *in exod.*
fidelibus mandat, quos primos Eccleſiæ ſuæ conſtituit Sacerdotes, vt indeſinenter iſta vitæ æternæ myſteria exercerent, quæ neceſſe eſt à cunctis Sacerdotibus per ſingulas totius Orbis Eccleſias celebrari, vſquequò iterum Chriſtus de Cælis adueniat: quò & ipſi Sacerdotes, & omnes pariter fidelium populi, exemplar paſſionis Chriſti ante oculos habentes quotidie, gerentes in manibus, ore etiam ſumentes ac pectore, redemptionis noſtræ indelebili memoria teneamur: & contra venena Diaboli, dulcem medicinam ſempiterni tutaminis conſequamur; ſicut Spiritus ſanctus hortatur: Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. Sed & S. Chryſoſtomus *catech.* ad illuminandos, *Indumentum maximum* vocat: *hom.* ad baptizandos, *Indumentum regale*: & Heſychius in *pſal.* 49. *Iter quo oſtenditur ſalutare Dei.*

III. L. *Lac rationabile ſine dolo*, dixit B. Petrus, hortans fideles, vt *1. Pet. 2.*
quaſi modò geniti infantes, lac rationabile & ſyncerum concupi-

ſcant: quod eſſe Euchariſtiam, oſtendit Raynaudus *in tr. de agno ceco*: & ante illum Turrianus *lib. 2. de Euch. cap. 20. & 21.* Salmeron, alijque. S. Gregorius, *Legationem Sacerdotis ad Deum pro hominibus*; quod diſertè habet Rabanus, in illis verbis: Miſſa eſt legatio inter Deum & homines, cuius legationis officio fungitur Sacerdos, cùm populi vota per preces & ſupplicationes ad Deum offert. Et benè hoc tempore ſacrificij fit, quando illius paſſionis memoria celebratur, Chriſti videlicet, mediatoris Dei & hominum, qui ſemetipſum obtulit Patri pro nobis. Coſmas Ieroſolymitanus in hymno magnæ feriæ V. vocat, *Liberatorium cuiuis mortalis generis proprium*. Et corporea etiam libertate multos captiuos per Euchariſtiam eſſe donatos, Brendebachius *coll. 1. c. 3. 4. & 5.* illuſtribus exemplis demonſtrat. Rupertus nominat, *Lignum vitæ*, ex illo Apocalypſis 2. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei. Idemque dixerat Auguſtinus. Nunquid vt reſurgamus, ait, & viuamus in æternum, de illo materiali ligno eſt edendum? Non vtique. Sed qui manducat, inquit, carnem meam, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Chriſtus namque lignum vitæ eſt, cuius & in cæleſti Paradiſo, viſione; & in præſenti Eccleſia, corpore, ſanctæ reficiuntur animæ. Illud materiale lignum vitæ, hominem morte animæ, ſcilicet peccato, iam mortuum non viuificaſſet, ſed carnem viuere faceret in æternum, quod infeliciſſimum eſſet. Mortuus quippè in anima, ſi corpore viueret homo in æternum, non recuperaret vitam animæ in æternum, & eſſet æternaliter miſer, vt dæmones ſunt. Hoc autem lignum vitæ, quod eſt Chriſtus, dum nos corpore & ſanguine ſuo reficit, iam tunc reſuſcitat animam à morte peccati, & carnem noſtram in nouiſſimo die reſuſcitabit. Sæpe autem is, qui nec dum vincit, id eſt qui pœnitentiam non egit, edit de hoc ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei: manducat Corpus, & bibit ſanguinem Domini. Non illi dat Chriſtus, ſed ipſe rapit, & ideò iudicium ſibi manducat & bibit. Hæc Auguſtinus. Græci Patres incruentum ſacrificium vocant, *Liturgiam*: quæ vox, vt notat Strabo, & Autor ethymologici, publicum officium vel miniſterium deſignat. Et Philo Carpathius ad illud Cant. 7. Guttur tuum vti vinum bonum, exponens quàm fructuoſa ſit Euchariſtia, ſi modò à iuſtis & ritè diſpoſitis percipiatur, id demonſtrat ex Pſalte eo verſiculo pſalmi 96. Lux orta eſt iuſto, & rectis corde lætitia, vocans Euchariſtiam, *Lucem, & Letitiam*.

M. *Malum* dicit Philo Carpathius, ad illud Canticorum, ſub arbore malo ſuſcitaui te. Hæc malus, inquit, ſalutifera, ſi ad arbo-

rem reſpicias, Crux eſt humanæ ſalutis auctrix, in qua ſalus mundi, autorque pependit. Si verò ad pomum eius ac fructum ſuauiſſimum atque ſanctiſſimum, cæleſte totum ac ſalutare malum eſt Corpus Ieſu Chriſti, ſalutariter nobis ab eo datum, in eſcam ſcilicet & potum, ſub myſtico pane & vino, ex quo quidem Chriſtianos omnes ſanctiſſimè paſcit ac beat. S. Auguſtinus ac Patres ſæpè *Manna* nuncupant! Et ſucceſſiſſe mannæ Euchariſtiam, ſicut virgæ Crucem, & baptiſmum circumciſioni, autor eſt S. Chryſoſtomus. Et potiora quidem analogiæ capita ſunt, ex Raynaudo, quòd manna opera Angelorum pinſebatur, ſicut Euchariſtia interuentu Sacerdotum; quos probat S. Ambroſius *lib.* 1. de Sacramentis, benè Angelos appellari. Manna viaticum erat, nec niſi poſt tranſitum mare rubrum eſt conceſſum, & quidem pugnaturis: Euchariſtia eſt cibus viatorum, nec niſi renatorum, vt benè perſpexit Hugo Victorinus, eſtque munimentum ad prælium. E manna, qui multum habuit non abundauit, & qui modicum non minorauit: in Euchariſtia atomus ſpecierum æquiualet totis ſpeciebus, nec plus quiſquam aut minus habet, ſi quid habet. Excipiebatur manna duplici rore, ſubtus ac ſupra obuoluente, velut integumento: eodem modo Chriſtus tegminibus ſpecierum obuoluitur: & ſicut ad ſolis exortum, euaneſcente rore ſuperiore, apparebat mannæ ſubſtantia; ita adueniente fidei ſole Chriſtus apparet. Iuxta Hebræos, apud Genebrardum, manna continebat cibum & potum: ita & in Euchariſtia vtralibet ſpecies corpus & ſanguinem continet. Erat manna cibus ſuauiſſimus, & omni ſapore diues *ex ſap.* 16. qua ex cauſa Gregorius Nyſſenus ad illud, omnem eſcam, vocat manna cibum omnipotentem: æquè hunc cibũ Deus in ſua dulcedine parauit ſaporis ac ſenſus pro percipientium voluntate admodùm differentis. Ad hæc, vt S. Maximus ait, de manna vermiculus gignitur, & Dominus Chriſtus de Virgine procreatur. Sed hæc ſimilitudo Chriſtum indicat Dominum: quem qui ſuauem cibum & dulcem potum haurire neglexerit, Iudicem patietur. Petrum Bleſenſem de Mannæ & Euchariſtiæ conuenientijs ac differentijs audiamus:

S. Aug. ſer. 44. de diuerſ. à c. 8.
S. Chryſ. ſer. 11. in 2. ad Cor.
Theoph. Raynaud. in candelabro fol. 263.
Hugo Vict. in ſumma ſentent. tr. 5. cap. 2.
Genebr. pſal. 94. ver. 10.
Greg. Nyſ. tr. 1. in pſal. c. 8.

Iſtum namque cibum, cibus olim ſignificauit,
Quo Deus Iſrael deſerta per auia pauit.
Manna fuit populis cibus omnibus omnis in ore,
Pro varijs animis vario exiſtente ſapore,
De quo qui modicum, tanquam qui plus capiebat:
Et ſaturabatur, quia cunctis ſufficiebat.
Myſterium magnum noſtro ſub tempore tandem

Enituit, cauſamque parit res myſtica grandem.
Manna quidem Dominus de Virgine matre creatur,
Cuius in altari corpus de pane ſacratur.
Sed quàm diſſimiles ſunt hic cibus, & cibus ille:
Nam cibus hic Deus eſt, cibus alter vt vmbra fauillæ.
Ille cibus perijt, & edentes hunc perierunt,
Qui panem vitæ Chriſtum non eſurierunt.

Vide S. Ambroſium *lib.* de initiandis *cap.9.* Ticonius Aretas, Primaſius, Beda, Anſbertus, & alij Euchariſtiam, *Manna abſconditum* dicunt: quia aliud in hoc Sacramento objicitur ſenſibus, & aliud latet. Caſſianus, *Manna cæleſte*: Anaſtaſius apud Damaſcenum, *Margaritam immaculatam Corporis Chriſti:* Gregorius Nyſſenus, *Margaritam pretioſam:* S. Ignatius epiſtola ad Smyrnenſes, *Medicamentum immortalitatis:* Laurentius Iuſtinianus, *Memoriam mirabilium Dei*. Clement. vnica de reliquijs & veneratione Sanctorum refertur pars decretalis Vrbani IV. vbi hoc Venerabile Sacramentum vocatur, *Memoriale mirabile ac ſtupendum, delectabile, ſuaue, tutiſſimum, ac ſuper omnia pretioſum, in quo innouata ſunt ſigna, & mirabilia immutata: in quo habetur omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuauitas, ipſaque dulcedo Domini deguſtatur: in quo vtique vitæ ſuffragium conſequimur & ſalutis. Hoc eſt memoriale dulciſſimum, memoriale ſacratiſſimum, & memoriale ſaluificum, in quo gratam redemptionis noſtræ recenſemus memoriam, in quo à malo retrahimur, & in bono confortamur, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementa*: in quo profectò proficimus, ipſius corporali præſentia Saluatoris. Alia namque quorum memoriam agimus, ſpiritu mentéque complectimur, ſed non propter hoc realem eorum præſentiam obtinemus. In hac verò ſacramentali Chriſti commemoratione, Ieſus Chriſtus præſens, ſub alia quidem forma, in propria verò ſubſtantia eſt nobiſcum. Hæc omnia Vrbanus IV. S. Chryſoſtomus Chriſtum *menſam* appellat. Cur menſa? inquit: quia ipſum edo, dum perfruor Sacramentis. Et huius menſæ apparatum Petrus Cellenſis explicat, hunc in modum: Hìc hìc Eccleſiam tanquam menſam habuit: mappam in menſa, fidem in Eccleſia: magna luminaria, quatuor Euangelia: aquam Salomonis, ſacramentum baptiſmatis: panem & vinum, Euchariſtiæ myſterium: cibos innumerabiles, ſanctas virtutes: ſeruitores, diſtinctos Eccleſiæ ordines: conuictores, vniuerſos fideles: veſtes epulantium, mores credentium: fructus pomorum, exempla Sanctorum. Miſer & miſerabilis, qui non intrat in locum conuiuij, ſiue tabernaculi admirabilis; qui extra eſt, tanquam frater ſenior in agro. Apoſtolus

lus 1. *cor.* 10. vocat hoc Sacramentum, Concilio Tridentino interprete, *Mensam Domini*: Theodoretus, Presbyter Hierosolymitanus, *Mensam mysticam, per quam & mundus est stabilitus, & Orbis terræ consistit, & regnum custoditur, & Ecclesia multiplicatur, & Deus sacrificatur*: S. Germanus, *Mensam nutricem animarum & viuificam*: Damascenus, *Mensam Pacis*: Psalmus XXII. *Mensam paratam aduersùs eos qui tribulant nos*. Quod multi Patres & præsertim Nazianzenus *or.* 4. sic ait: Mensam habeo spiritualem, hanc scilicet & diuinam, quam Dominus parauit mihi in conspectu meo, aduersùs eos qui tribulant me; in qua reficior & delicior: nec propter saturitatem petulantia efferor, quin potiùs omnem turbidarum animi permotionum impetum consopio. Petrus Cellensis nouum titulum addit. In tabernaculo testimonij, inquit, iubente Domino, mensa ponitur extra cœlum, & candelabrum contra eam in latere tabernaculi meridiano. Escam animarum, pabulum spirituum, dapes cælestium deliciarum, præfert hæc mensa. Hæc inquam *Mensa plena visceribus misericordiæ*, charismatibus referta gratiæ, edentium penetralia mirabiliter implendo non explet, appetitus residentium satiando acriùs sed & sacratiùs vrget. Est enim huius conuiuij nihilominùs, & conuiuantis natura, vt succumbant semper desiderio, nunquam fastidio. Quid enim? Cui visio gloriæ, cui beatitudo sempiternæ vitæ, cui exultatio indeficiens, cui iubilatio semper sufficiens, in tædium poterit venire? Proculdubio huius mensæ edacitas inculpabilis potiùs commendatur, quàm condemnatur. Abstinere quidem his culpa est & pœna, absorbere verò gloria & corona. Num fortè ibi formidas consumptionem, vbi omne bonum exundat consummationem? Non parcè prandendum, vbi cibum inuenis Deum. Hodie si totum præsumpseris, totum cras sine dubio nihilominùs habebis. Totum diligendo, totum sumis, sed non consumis. Vt enim diligendo non vastatur dilectio, sic quando à nobis sumitur amando, nequaquam finitur ille, qui est vera dilectio. Ventrémne times onerare? Imò abundanter accipe, si ventrem & mentem vis releuare. Onera nostra nanque tollit, non imponit. Non in ventre tumor, non in venis excrescit superfluus humor. Cor petit & sanat: cor implet & mundat: cor lustrat & illustrat. Cibus iste vitam sine molestia parat, leuamen sine grauamine, immortalitatem sine corruptione. Non desunt etiam à mensa Domini fructus pomorum, non botrus Cypri, non fistula & cinnamomum, non vnguenta suauissimi odoris, non denique quicquid visu est delectabile. Hæc ille. S. Chrysostomus, Hesychius, Paschasius, alijque, ex Prouerb.

Conc. Trid. sess. 22. c. 1.
Theod. or. de Hypap.
S. Germ. in Theor. rerũ Eccl.
Damasc. 1. parall. c. 11.
Pet. Cellens. l. de panibus cap. 2.
S. Chrys. in ps. 106.
Hesych. l. 6. in Leuit. cap. 22.
Pasch. l. de Sacram. c. 2.

Theod. ser. 10. de prou. Chryſ.ho.17 in ad Hebr. & 1, Cor.ho. 24. Idem hom. de ſacra & diuina menſa & iudicio.

23. *Menſam potentis*, interpretatur Euchariſtiam: Theodoretus, *Menſam rationalem*, appellat: Chryſoſtomus, *Menſam regalem*, *menſam viuentem*. S. Epiphanius, epiſtola ad Ioannem Hieroſolymitanum, incruentum ſacrificium nominat, *Miniſterium*, *in quo eſt præcipua ſalus Chriſtianorum*: Acta S. Baſilij per Amphilochium, *Miniſterium ſanctum*: Clement. vnica de reliquijs & veneratione SS. *Miraculum ſuper omnia ſtupendum*. O miraculum, exclamat S. Chryſoſtomus, menſæ myſticæ tam magnificè inſtructæ, in qua agnus Dei pro te mactatur: ad quam aſſiſtunt Cherubini, deſcendunt Seraphini, qui ſenis alis præditi vultus dimittunt: vbi omnes Angeli cum Sacerdote pro te legationem obeunt! S. Iacobus, in liturgia, *Miſſam* dicit: Philo Carpathius, *Miſtum*: quòd Corpori & ſanguini Ieſu Chriſti populus per fidem caritatemque miſcetur: id quod per aquam illam, quam Sacerdos miſcet in calice, apertiſſimè docetur, S. Cyprianus ep. 54. vocat, *Munimentum Dominicæ ſaturitatis*: S. Thomas, vel vt alij malunt, B. Albertus Magnus, *Munus abſconditum*: Origenes, *Munus conſecratum*: Acta S. Pachomij, *Munus illibatum*. Deque huius muneris præſtantia S. Odo Cluniacenſis aliquot verſus edidit. Sed in Canone Miſſæ numero multitudinis dicuntur, *Hæc Dona, hæc Munera, hæc ſancta ſacrificia illibata*; quæ Hildebertus carmine de Officio Miſſæ ſic explicat:

Philo Carp. ad illud Cãt. Vmbilicus tuus &c. S.Th.op.58. cap. 25. & Turrecr. tr. de Euc.c.11. Or.hó.13. in exo. Acta S. P. cap. 24.

Dona vocat primùm, mox munera nuncupat eſcas,
Poſt ſacrificij nomine cenſet eas.
Dona vocat, quoniam Deus has donauit, vt inde
Suſtentaretur lege modóque caro.
Munera ſunt, quoniam Deus his donatur: & inde
Munerat authorem, cui dedit autor eas.
Nam quod ſacrifici cenſentur nomine, monſtrat
Qua ratione priùs munera dicat eas.
Scilicet, idcircò quia ſacrificantur: & aptè
Munerat autorem, qui data reddit ei.
Sic eadem quæ dona vocat; cùm ſacrificantur,
Munera ſunt, quoniam munerat inde Deum.

Græci paſſim ac Latini *Myſterium* ac *Myſteria* nuncupant.

S.Chryſ. ho. 24.in 1.Cor. Nou. in Agno Euch. n.804. Stat.4. Sil.

N. *Neruum noſtræ ſalutis*, dicit Chryſoſtomus: ſed per Euchariſtiam *Naſci nos noua vita*, docet Aloyſius Nouarinus. Antiqui enim cùm ad cuiuſdam magni viri, aut Principis menſam admitterentur, naſci ſe dicebant, & primam æui diem nuncupabant; vnde illud Statij, cùm Domitiani menſæ admiſſus fuiſſet:

Hæc æui mihi prima dies, hæc limina vitæ.

Iustiùs veriúsque id dicamus & censeamus, vbi ad Eucharisticam mensam admissi fuerimus. Veréque ille dixit: Ex tunc te habere vitam puta, ex quo cibum diuinum participasti. Ideóque apud Ioannem hoc Sacramentum panis vitæ appellatur: & legislator exodi 3. cùm de Agni esu disseruisset, ait: Mensis hic vobis initium mensium: quasi ex tunc vitæ suæ dies ac menses inciperent numerare. Quod exponens S. Gaudentius; Tunc audiunt, inquit, mensis hic vobis initium mensium, tunc vtique, quando liberati de Ægypto hoc verum manna comedemus, & de petra ipso Christo bibemus, adhærentes Agni immaculati vestigijs. S. Gaud. ser. 1. in exo.

O. *Oblata* idem est ac Sacramentum sub specie panis, vt Synodus Germanica nominat constitutione 19. & *Oblatio* pro incruento sacrificio accipitur in verbis Ennodij sub finem Apologetici. Sed nauseam suam circa carnalia Iudæorum sacrificia contestans Deus, ait apud Malachiam: Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo *Oblatio munda*. Quem locum de Eucharistia, non modò vnanimiter Patres apud Castrum, Riberam, Sanchez, & alij ad eum Malachiæ locum, sed & veteres Rabini apud Galatinum accipiunt. S. Irenæus dicit *Oblationem nouam noui Testamenti*: Eusebius Gallicanus, *Oblationem perpetuam redemptionis*: Canon Missæ, *Oblationem benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem*: S. Dionysius epistola ad Demophilum, *Oblationem sanctissimi mysterij*: Petrus Blesensis, *Obsidem cælestis gratiæ*: Tertullianus, *Opimitatem Dominici Corporis*: Laurentius Iustinianus, *Opus diuinum notissimum, futuræ felicitatis indicium, ac diuinæ miserationis præsagium certum*: S. Cyrillus, *Originem & viam qua Spiritum sanctum participamus, & Deo vniti sumus*: & S. Ambrosius, *Quem opitulationis nostræ*. Mal. 1. Gal. l. 10. de arcan. c. 4. S. Iren. l. 4. c. 32. Eufeb. Gal. ho. 5. de Pasch. Bles. ep. 123. Tertull. c. 9. de pudic. Laur. Iust. ser. de Euch. nu. 31. S. Cyr. l. 11. in Io. c. 17. S. Ambr. in ps. 43.

P. *Pacem*, S. Cyprianus multis in locis, & S. Ignatius *ep. 14.* vocat hoc Sacramentum: ægerrimè verò ferebat S. Chrysostomus *ho.* de laude Dei, quòd cùm Christus in Eucharistia assiduè perceptus sit Pax, tam malè tamen pacem seruemus; idque omni luctu dignum existimat. Concludit enim: Nullus profectò huiusce tragœdiæ occurrit condignus luctus. Vereamini, inquam, vereamini mensam hanc, cuius omnes sumus participes, quæue desuper victima in illa iacet, Christus scilicet, qui nostri causa occisus est. Prædones enim vt primùm apud quempiam salem degustarint, prædari desinunt, apud quos sal ille præsumptus sit. Quin etiam perditissimorum hominum mores hæc mensa immutat, efficitque ex his, qui feris bestijs fuerint sæuiendo immaniores, quibus ipsis mansuetiores.

At nos talis mensæ & cibi participes facti, in nos ipsos arma conuertimus: cùm potiùs id in nostrum illum & communem hostem moliri oporteret. Hæc S. Crysostomus. *Pallium à Christo nobis relictum*, S.Chrysostomus *ho.2. ad pop.* vt vidimus supra: & *hom.* de diuitijs & paupertate sic habet: Elias in Cælum ascendens, nihil aliud quàm ouillam illam vestem, Elisæo discipulo suo, reliquit. Cum hac, inquit, aduersùs diabolum luctatus sum: hac tu quoque aduersùs illum te arma. Firma enim sunt arma, inopia, & inuictum præsidium. Et accepit ouillam vestem, perindè atque maximam hereditatem, Elisæus. Enimuerò maxima proculdubio erat hereditas, & omni auro pretiosior. Et erat duplex Elias ille: eratque supra Elias, & infra Elias. Noui quòd beatum iudicetis Iustum illum, velitque vnusquisque vestrum, ipse esse. Quid igitur si vobis demonstrabo, aliud quiddam multò maius illo, nos omnes accepisse? Nam Elias quidem vestem ouillam dimisit discipulo: Filius verò hominis ascendens suã ipsius carnem nobis reliquit. Idémque Hincmarus ad calcem encomij S.Remigij hoc modo prosequitur: Elias, inquit, dimisit Elisæo pallium, quo erat indutus. Ascendens Iesus Dominus in Cælum, Sacramenta humanitatis assumptæ, discipulis, imò Ecclesiæ, quibus sanctificaretur in virtute dilectionis, ac calefieret, reliquit. Assumens Elisæus pallium Eliæ, percussit eo aquas Iordanis: & vbi inuocauit Deum Eliæ, diuisæ sunt, & transijt. Assumpserunt Apostoli: assumpsit instituta per eos omnis Ecclesia, Sacramenta sui Redemptoris, quibus spiritaliter erudita, abluta & consecrata, ipsa quoque inuocato nomine Dei Patris, impetum mortis superare, eiusque obstaculo contempto, ad vitam transire didicit sempiternam: iuxta quod Dominus in Euangelio dicit, inquiens: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Quoniam qui credens in Christum, passionis suæ Sacramenta confitendo, synceriter imitando, fideliter sumit, saluatur in perpetuum ab omni morte, quam peccando, in anima pariter & carne contraxit: & non solùm perditionem euadet pœnarum, sed & vitam percipiet sempiternam. Præterea *Ioan.6.* Eucharistia *Panis* dicitur. Notandum est tamen, inquit Algerus, cùm diuina pagina Corporis Domini panem vocat, non substantialiter, sed mysticè & figuratè dicit: vel quia ex eo conficitur, eiusque nonnullas retinet qualitates: vel quoniam animam pascit, eique vitæ æternæ ministrat substantiam, vel quoniam panis est Angelorum. Solent scripturæ quaslibet res vocare nominibus illarum rerum ex quibus fiunt. Vt cùm dicitur homini,

Algerus lib. 1. cap. 6.

qu id ſuperbit terra & cinis? cùm homo non ſit cinis, ſed ex cinere factus. Seu quæ putantur eſſe & non ſunt, vt cùm legitur Abraham vidiſſe tres viros, cùm eſſent Angeli: ſeu quibus ſimiles aliquo modo exiſtunt, vt cùm Deus dicitur Leo, propter fortitudinem. Sic igitur Corpus Domini panis vocatur, vel quia vt dictum eſt, ex pane conficitur, vel quia intuentium oculis, cùm ſit caro, panis videtur: vel ea ſimilitudine, quia ſicut panis materialis carnem, ſic ipſe ſpiritualis alit mentem. S.Paſchaſius, Nec mirum, inquit, ſi caro Chriſti, panis dicitur, dum caro porrigitur: ſed caro, quia in eadem carne paſſus in veritate creditur. Panis verò, quia granum frumenti cadens in terram, & nos de ipſo nihil aliud quàm frumentum per fidem genuit. Vnde per hoc, ſe ipſum ſuis membris ex ſe natis vitã præbuit, & præſtando nihil nobis aliud quàm panis æternus fuit. Nihil enim ad figuram manifeſtius, nihil ad myſterium euidentius. Granum quippè frumenti Chriſtus in terram cecidit, ſed multa grana de ſe genuit: quæ nimirum grana nihil ſunt aliud, quàm frumentum quod in horreum coaceruatur. Vnde mira in ipſo noſtræ naturæ vnitas prædicatur. Nam omnes nouimus, quòd panis vnus ex multis naturaliter granis efficitur, ex quo noſtra in Chriſto commendatur vnitas, & figura veritatis in myſterio approbatur. Ad hoc quippè illud vnum mortuum eſt in terra, vt ex eius adipe & pinguedine nos fœcundaremur, quia vt ipſe ait: niſi mortuum fuerit, ipſum ſolum maneret. Nunc verò quia mortuus reſurrexit, multum iam fructum affert in ſe credentibus. De quo nimirum fructu vnus panis efficitur, quia Chriſtus & Eccleſia vnum corpus eſſe probatur: vnde dictum eſt, erunt duo in carne vna. Rectè ergo hoc myſterium in pane celebratur, quatenùs per hoc altiùs deſignetur, quid in eo geratur. Creditus Cyprianus, *ſer.* de Cœna Domini, *Panem Angelorum* appellat: quia idem panis, qui hìc nobis in altari apponitur, manducatur ab Angelis in Cælo, ſed (vt S. Bernardus loquitur) abſque furfure Sacramenti. S. Auguſtinus de conſenſu Euangeliſtarum nominat Euchariſtiam *Panem benedictum*: Origenes, *Panem benedictionis*: Liturgia S.Iacobi, *Panem cæleſtem, vitam vniuerſi*: Pſalmus 77.& ibi Caſſiodorus, *Panem Cæli*: S. Auguſtinus, *Panem concordiæ, quem qui ſumunt, non litigant*: S.Ambroſius, *Panem cor hominis confirmantem*: Ioannes 6. *Panem qui de Cælo deſcendit*. Panis, inquit, Petrus Bleſenſis *ſer.* 13. qui de Cælo deſcendit, formatus in vtero Virginis, decoctus in clibano Crucis, diſpenſatur per Sacerdotes ſuper menſam altaris. Et Petrus Cellenſis libro de Panibus: Venit Dei filius natus ex Virgine abſque fer-

S.Paſch.l.de Sacram.cap. 10.

S. Bern. ſer. 33. in Cant.
S.Aug.lib.3. cap. 25.
Orig. tr. 35. in Matth.
Caſſiod. ad illud pluit illis manna.
S.Auguſt.tr. 26. in Io.
S.Ambr.in pſal.118.ſer. 18. ad illud Adoleſcentulus ſũ ego.
Cell. c. 4.

mento culpæ, & tulit de maſſa humanæ naturæ ſolummodò farinam incorruptæ carnis, non fermentum ſeu fomentum originalis peccati. Cribro nanque Spiritus ſancti, euentilauit furfur iniquitatis à ſacroſancta carne, concepta in vtero de vtero Virginis. Animam quoque rationalem in vnitate perſonæ ſibi aſſumpſit: & carnem quidem in ſacroſancto Cœnæ conuiuio, tanquam reparationis azyma, nobis appoſuit. Hæc Cellenſis. Et quod mirabilius eſt, Sybilla Erythræa longè ante Chriſtum Euchariſtiam hoc titulo deſignauit, Panis videlicet, qui de Cælo deſcendit:

Deum verò colentes verum ſempiternúmque,
Vitam hereditate acquirent in æternum tempus, ipſi
Habitantes Paradiſi æquè per amænum hortum,
Edentes dulcem panem è Cælo ſtellato.

Quæ non poſſe accipi niſi de Euchariſtico Pane, oſtendit Thomas Boſius *lib.* 14. de ſignis *cap.* 2. Chromatius *in cap.* 6. *Matth.* & veterum plerique apud Maldonatum *ibidem* vocant, *Panem quotidianum.* Ex quo titulo infert S. Ambroſius: Si quotidianus eſt Panis, cur poſt annum illum ſumis, quemadmodùm Græci in Oriente facere conſueuerunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit. Sic viue, vt quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere &c. Origenes, S. Ambroſius, S. Auguſtinus, S. Chryſoſtomus, & alij nuncupant *Panem vitæ.* Quo titulo donauit Euchariſtiam S. Ignatius epiſtola ad Romanos: & quomodò hic foueat augeatque vitam ſpiritualem, tradit S. Ambroſius hunc in modum: De hoc pane dictum eſt, omnes qui elongant ſe à te peribunt. Si elongaberis ab eo peribis: ſi appropinquaueris ad eum viues. Hic eſt panis vitæ. Qui ergo vitam manducat, mori nón poteſt. Quomodò enim morietur, cui cibus vita eſt? Quomodò deficiet, qui habuerit vitalem ſubſtantiam? Accedite ad eum & ſatiamini, quia panis eſt. Accedite ad eum & potate, quia fons eſt. Accedite ad eum & illuminamini, quia lux eſt. Accedite ad eum & liberamini, quia vbi ſpiritus Domini ibi libertas. Accedite ad eum & abſoluimini, quia remiſſio peccatorum eſt. Quis ſit iſte, quæritis? Audite ipſum dicentem: Ego ſum panis vitæ: qui venit ad me non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet vnquam. Nec debeo prætermittere S. Cyrillum Alexandrinum *lib.* 4. *in Io. c.* 14. de Pane hoc vitæ egregiè diſſerentem. Quoniam, inquit, Saluatoris caro, Verbo Dei, quod naturaliter vita eſt, coniuncta, viuifica effecta eſt; quando eam comedimus, tunc vitam habemus in nobis, illi coniuncti, quæ vita effecta eſt. Hac de cauſa in exſuſcitandis mor-

S. Ambr. lib. 5. de Sacra. cap. 4.

Orig. ho. 38. in Luc. S. Ambr. l. 5. de Sacram. c. 4. S. Auguſt. ſer. 28. de verb. Dom. S. Chryſ. ho. 27. in 1. Cor. S. Ambr. ſer. 18. in pſal. 118.

tuis, non solummodò verbo atque imperio, vt Deus, vtebatur; verùm etiam carnem suam quasi cooperatricem nonnunquam adhibebat: vt re ipsa ostenderet, carnem quoque suam, quoniam sibi coniuncta est, viuificam esse; atque fideles doceret, suum non alterius corpus esse. Nam quando synagogæ Principis filiolam suscitabat, manum eius apprehendit, vt scribitur, & erexit dicens: Puella surge; ita vt Deus, & verbo, & carnis suæ tactu, eam excitarit; vnam ab vno se Christo, Deo videlicet atque homine, operationem producens. Quando etiam, in Ciuitatem Naim vocatam, ingrediebatur, & offerebatur vnigenitus Matris filius iam mortuus, tetigit corpus eius, dicens: Adolescens, tibi dico surge. Non ergo verbo solùm semper (vt diximus) verùm etiam tactu, mortuos excitabat: vt ostenderet corpus quoque suum viuificare posse, quod in solo tactu suo corrupta redintegrantur; quomodò non viuemus qui carnem illam & gustamus & manducamus? Reformabit enim omninò ad immortalitatem suam participes sui. Nec velis iudaicè, quomodò, quærere. Sed recordare quòd quanuis naturaliter aqua frigidior sit, aduentu tamen ignis, frigiditatis suæ oblita æstuat. Hoc sanè modò etiam nos, quanuis propter naturam carnis corruptibiles simus, participatione tamen vitæ, ab imbecillitate nostra reuocati, ad proprietatem illius, ad vitam reformamur. Oportuit enim certè, vt non solùm anima per Spiritum sanctum in beatam vitam ascenderet, verùm etiam vt rude atque terrestre hoc corpus, cognato sibi gustu, tactu, & cibo, ad immortalitatem reduceretur. Apostolus 1. *Cor.* 6. hoc Sacramentum *Pascha nostrum* appellat. Sic creditus Cyprianus, Origenes, Chrysostomus, & alij, quos adducit Turrianus. Panis verus ac viuus, inquit S. Paulinus, Christus est, quem non potest manducare piger operarius: quia idem est Pascha nostrum: quod expediti atque præcincti, & firmiter calceati, nec depositis à manu baculis (idest, operibus, quibus nitimur, nunquam remissis) cum omni festinantia edere præcipimur, quia tempus breue est, & expedit nobis sine cura esse, sicut Apostolus suadet, propter instantem necessitatem, vt inueniamur parati, & pulsanti Domino non timeamus aperire, de conscientia somni aut negligentiæ, digna metuentes. Et S. Paschasius, Paschatis significationem expendens, ait: Idcircò nostra ad accipiendum præparanda sunt corda, vt tali epulo refecti ad altiora in fortitudine transeamus. Nemo igitur dignè accipit, nisi qui transit. Vnde & Pascha transitus appellatur. Pascha autem nostrum immolatus est Christus. Ad quod qui vult venire, & videre hanc visionem, transeat & ipse cum Moyse, sicut & Chri-

Cypr. ser. de Cœna Dom. Orig. in c. 26 Matth. Chrys. ho. de Iudæ prod. Ambr. in c. 1. Luc. Turr. l. 2. de Euch. cap. 3. S. Paul. ep. 5 S. Pasch. l. de Sacram. cap. 10. in fine.

ſtus tranſiuit de hoc ſeculo: vt totus iam ſpiritualis ſpiritualia iſta condignè percipiat. S.Cyprianus, agens de altaris ſacrificio, ait: *Paſſio Domini* eſt ſacrificium quod offerimus. Et S.Gregorius; Qui *Paſſionis Dominicæ myſteria* celebramus, debemus, inquit, imitari quod agimus. Et ſenſus eſt, ſacrificium noſtrum repræſentatiuè eſſe Paſſionem Chriſti. S.Dionyſius vocat hoc Sacramentum, *Perfectionem perfectionum*: S.Ignatius epiſtola ad Epheſios, *Pharmacum immortalitatis*: Magnetes, *Pharmacum vitale*: Guarricus, *Pignus reſurrectionis ſecundæ*: Optatus, & Valafridus, *Pignus ſalutis æternæ*: Petrus Bleſenſis, *Pignus vitæ*: Acta S.Laurentij Dublinenſis *cap.* 8. apud Surium, *Pretium noſtræ redemptionis*: S. Auguſtinus, *Pretium noſtrum*: Fulbertus, *Pulmentum vitale incarnatæ Deitatis*: & S.Chryſoſtomus homilia ad baptizandos, *Purpuram Dominico ſanguine tinctam*.

S. Cypr. ep. 63. n. 53. S. Greg. ho. 37. in Euãg. Dionyſ. c. 3. Eccl. Hier. Magn. l. 3. apol. contra theoſt. Guarr. ſer. 2. de reſurr. Opt. l. 6. contra Parmen. Val. l. de reb. Eccl. c. 17. Bleſ. c. de Euch. c. 24. Sur. 14. Nou.

Q. *Quaſi ingentem arborem virentibus refertam folijs, ſub qua quicunque fugiunt laborantes & peregrinantes, proteguntur in ipſius vmbraculo, à diei æſtu, à turbine quoque & pluuia*, dicit Euchariſtiam B.Laurentius Iuſtinianus *lib.* de diſciplina monaſticæ cõuerſationis *cap.* 19.

S. Aug. conc. 1. in pſal. 48 & in pſ. 93. & ep. 162. & ſer. 96. de temp. Fulb. ep. 1. S. Chryſ. ho. 17. in ad Hebr. Euſeb. l. 1. de demonſtr. c. 10. S. Cyr. l. 1. in Eſai.

R. *Recordationem ſacrificij Crucis*, dicit S.Chryſoſtomus: *Replicationem memoriæ paſſionis Chriſti*, Hincmarus in vita S.Remigij: *Res mirabiles*, Euſebius: *Res diuinas*, os illud aureum *ho.* 1. *in* 1. ad Timotheum: *Robur Panis*, S. Cyrillus. Autor anonymus Chriſtum ſub Euchariſtiæ velamine latentem accipere geſtiens, de præparatione Miſſæ *to.* 2. ita loquebatur: Cum impetu aſcendam ad te Centrum meum, & *Regnum meum*, animarum Redemptor. Et ſubdit: Non quieſcat cor meum, bone Ieſu, donec inueniat te centrum (& Regnum) ſuum, vbi cubet, vbi requieſcat, vbi ſuum terminet appetitum. Da mihi, dulciſſime Ieſu, ſic manducare te panem viuum, qui de Cælo deſcendiſti, vt totus manducer à te, & tu non in me, ſed ego tranſmuter in te: & viuam totus propter te. Sicque tu maneas in me, & ego in te, per mei corporis, animæ, & ſpiritus transformationem: vt totus exeam ex me in te, & nunquam redeam in me, ſed omittam me totum abſorptum in te, vnde in æternum nunquam patet exitus à te. S. Thomas 3. *par. q.* 80. *ar.* 8. illud, *Quærite Regnum Dei*, ſic exponit: Chriſtus qui eſt Rex huius Sacramenti, & caritas eius, debet primò fundari in cordibus noſtris, ſecundùm illud Matthæi 6. Quærite primùm Regnum Dei. Vbique ſuorum Regnum Chriſtus eſt, ſed maximè in Euchariſtiæ ſolio.

S. *Sacramentum altaris* vocat S.Anſelmus, ſuum de Euchariſtia librum inſcribens: & *ib. p.* 2. *c.* 11. *Sacramentum Corporis Chriſti. Sacramentum benedictionis*, Tertullianus: *Sacramentum Caritatis*, S. Tho-

Tert. l. de pudicit. cap. 14. S. Th. c. 25.

mas opusculo 58. *Sacramentum communionis carnis & sanguinis*, S.Hilarius *lib.* 8. de Trinitate: *Sacramentum Corporis Christi mystici, idest Ecclesiæ*, Guitmundus *lib.*2.contra Berengarium: *Sacramentum egregium & super omnia excellens*, Algerus: *Sacramentum fidelium*, S.Ambrosius, oratione de satyro: *Sacramentum magnum in Christo & Ecclesia*, Methodius in sympofio: *Sacramentum memoriæ*, S.Augustinus contra Faust. & *Sacramentum pacis* de consensu Euangelistarum. Quo de titulo S.Chrysostomus in eandē sentētiā ita clamat: Audiamus tā Sacerdotes quàm alij, quàm admirabilis res nobis concessa est. Audiamus oro, & perhorrescamus: carnes suas nobis tradidit: seipsum immolatum proposuit. Quam igitur satisfactionem afferemus, cùm tali pabulo nutriti, taliter peccemus? Cùm agnum comedentes, in lupos conuertimur: cùm ouinis carnibus saturati vt leones rapimus: præsertim cùm id Sacramentum non à rapina solùm, verùm etiam ab omni suspicione inimicitiarum, mundum semper seruare iubeamur. Pacis enim Sacramentum, est hoc Sacramentum. Idemque S.Augustinus *ser.*ad infantes de Sacramento, qui extat apud Fulgentium *lib.*de Baptismo Æthiop.sic illustrat: Sicut vt sit species visibilis panis multa grana in vnum consperguntur: tanquam illud fiat, quod de fidelibus ait scriptura: Erat illis anima, & cor vnum in Deum. Sic & de vino, Fratres, recolite, vnde sit vnum: grana multa pendent ad botrum, sed liquor granorum in vnitate confunditur. Ita Dominus Iesus Christus nos significauit, nos ad se pertinere voluit. Mysterium pacis & vnitatis nostræ in sua mensa consecrauit. Qui accipit mysterium vnitatis, & non seruat vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se. Concilium Tridentinum *sess.* 13. dixit *Sacramentum præcelsum & venerabile*: Hincmarus in vita S. Remigij, *Sacramentum propitiationis*: S. Eligius *Sacramentum, quo subiugatus est mundus*: S. Paschasius, *Sacramentum salutis*; quem titulum Ioannes Ragusinus *or. cit.* de communione sub vtraque specie sic exponit: Per Eucharistiæ Sacramentum Christus eripuit nos à potestate peccandi, liberat à peccati voluntate. Nam Eucharistia si dignè sumatur, à malo liberat, & confirmat in bono: venialia delet, & cauet mortalia: vnde cùm præmittimus in Oratione Dominica, panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie, statim adiungimus: Et dimitte nobis debita nostra: & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo: quia per panem istum cælestem, liberamur à malis præteritis, præsentibus, & futuris. Dedit ergo nobis hoc Sacramentum salutis: vt quia nos quotidiè peccamus, & ipse iam mori non potest; per hoc Sacramentum, quod

Alg.l.2 c.3.

S. Aug. 20. contra faust. cap. 21. Idem l. 3. c. 25.

S.Elig.ho.8. S.Pasch.l.de Sacr.cap.11.

in memoriam mortis eius accipimus, remissionem peccatorum quotidie consequamur. Ad hæc, Adelmannus epistola ad Berengarium dixit, *Sacramentum vitale*: S. Gregorius, *Sacramentum singulare*: S. Cyrillus, *Sacramentum viuificum ac celeste, per quod destructa est mors, & caro ista terrena, ac corruptioni obnoxia, incorruptionem induitur*: Blesensis epistola 123. *Sacramentum magnum supra omnem æstimationem, supra omnem intelligentiam, supra omnem eminentiam; in quo salus est mundi, pretium seculi, pretium sine pretio, pretium inpretiabile*: S. Basilius in Liturgia, *Sacramenta sancta, impolluta, & supercælestia, data nobis propter beneficium, & sanctificationem, & medelam animorum, & corporum nostrorum*: S. Chrysostomus, *Sacrificium formidandum & admirabile*: Synodus Nicæna 2. *Sacrificium nostrum incruentum, in memoriam passionis Christi Domini Dei nostri, & totius suæ dispensationis*: Theodoretus, *Speculum & ænigma, per quod nunc videtur Deus*: S. Paschasius, *Stipendium militiæ nostræ*: & demum S. Dionysius *cap. 3.* Ecclesiasticæ Hierarchiæ, *Synaxim*. Et ita Eucharistiæ mysterium dicitur, ex Alano, & Cornelio à Lapide, quia populum ad illius celebrationem, tanquam ad supremum Dei cultum obstringitur, & statis temporibus congregatur. Sed Lindanus, & Genebrardus existimant, nomen Synaxeos non tam tributum esse Echaristiæ ob congregationem fidelium ad Dei cultum in eius confectione, quàm quòd Eucharistia fideles eam percipientes totos colligit in Christi complexus, & collectos à varijs studijs, quibus mortales miserè distrahuntur, arctissimo cælestis amoris modo stringit, cogitque in vnum.

S. Greg. lib. 7 ep. 47. *S. Cyr. in c. 1. Malach.* *S. Chrys. ho. 24. in 1. Cor.* *Syn. N. act. 6.* *Theod. 1. cor. 13.* *S. Pasc. l. de Sacr. cap. 8.* *Alan. l. de Euch. cap. 1.* *Cornel. 1. Cor. 10. nu. 56.* *Lind. l. 4. panopl. c. 37.* *Genebr. c. 3. liturg.*

T. *Telete* dicitur à S. Dionysio hoc sacrificium; quod nomen Viues interpretatur, sacrificium perfectum, cui nihil deest: *Terra fluens lac & mel*, à S. Gaudentio, tractatu, quem prima Ordinationis suæ die habuit, vbi sic ait: Si volueritis, & audieritis me, quæ bona sunt terræ manducabitis. Quòd si secundùm B. Pauli Apostoli sententiam, non auditores, sed factores legis iustificabuntur apud Deum, non iam videbitur perfunctoria ista auditio, quæ bonorum terræ præmijs honoratur: & non cuiuslibet terræ, sed illius olim promissæ, illius fluentis lac & mel. Promissionis enim terra, Christi caro est, ex massâ humani generis de terra formati suscepta; ac dulcibus diuinæ gratiæ succis exuberans: cuius purissimo doctrinæ lacte alimur & nutrimur: cuius cælestium charismatum suauitate reficimur: cuius vbertate credentium corda pinguescunt: cuius bonis obedientium mentes animæque fidelium, & in hoc, & in futuro seculo, saginantur. Prætereà, Christum institutione Eucharistiæ,

S. Dion. Eccl. hier. c. 3. *S. Aug. 10 Clu. c. 9. Viues ibi.* *S. Gaud.*

confecisse *Testamentum nouum*, docet Dionysius Alexandrinus epistola ad Paulum Samosatenum. Rupertus hoc Sacramentum appellat, *Testamentum vitæ & salutis nostræ*: S.Chrysostomus, *Thesaurum vniuersum benignitatis Dei*: S.Paschasius, *Thesaurum in agro absconditum*. Non rectè, inquit, caro Christi sine diuinitate sumitur, nec diuinitas sine carne præstatur. Vnde, in Euangelio, Regnum Cælorum simile dicitur, thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo, vadit, & vendit omnia, & emit agrum illum. Quia nec ager, Corpus videlicet Christi, sine thesauro, idest diuinitate, nec thesaurus diuinitatis, sine agro carnis, iurè comparatur. Qui quàm benè in agro thesaurus absconsus dicitur; quia in carne Christi, diuinitas corporaliter inhabitans, etiam in hoc mysterio ab aspectu oculorum, ne caro videatur, subtrahitur: vt fide auidiùs quæratur, quæsita veriùs inueniatur, inuenta verò cariùs habeatur, & habita desiderabiliùs fruatur: quia in Christo omnis plenitudo corporaliter inhabitat sine dubio diuinitatis. Et *cap.*21. Habes, inquit, quam à longè tantus Patriarcha sensit in filio fragrantiam huius mysterij. Ait enim: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Quia profectò in isto agro corporis Christi, thesaurus absconditus vernat floribus immarcescibilibus, & redolet suauitate odoris. Quem qui inuenit homo, vadit & vendit omnia quæ habet, & emit agrum istum: vbi thesauri omnes sapientiæ atque scientiæ contemplantur. De quo sanè agro, panis vitæ, idest carnis, & potus sanguinis, credentibos quotidiè exuberat, & à fidelibus messuitur. Optatus dixit hoc Sacramentum, *Tutelam fidei*. Similiter S. Chrysostomus *ho.* ad Neophitos, post descripta arma spiritualia militis Christi; Et aliam, inquit, mihi Deus vltra tutelam donauit armorum. Quid illud? Mensam præparauit, cibum societatis ostendit, vt post epularum refectionem, inimicum possim robustiùs superare. Procopius, *Typum*, dixit, *effigiem*, *imaginem corporis Christi*: S. Hieronymus, *Typum passionis*: & Nazianzenus, *Typum salutis*.

Rup. l. 3. de oper. Spir. S. c. 18. S. Chrys. ho. 24. in 1. Cor. S. Pasch. l. de Sacr. c. 17.

Opt. l. 6. contra Parmen. Proc. in cap. 49. Gen. S. Basil. in Anaphora. S. Hier. l. 2. in Iouin. cap. 11. Naz. or. 17. nu. 25.

V. *Vasculum farinæ non deficiens*, dixit Rabanus. *Velamen* Apostolus *Hebr.* 10. & ibi Theodoretus, his verbis: Velum vocauit Christi carnem. Per eam enim, aditum in sancta sanctorum consequimur. Quemadmodùm enim legis Sacerdos per velamen in sancta sanctorum introibat, nec, vt aliter ingrederetur, fieri poterat: ita qui in Dominum crediderunt, per sanctissimi Corporis participationem, Ciuitatem cælestem adipiscuntur. Vide Hesychium *lib.* 1. *in Leuit. ad cap.* 4. *&* 5. & S. Thomam *Heb.* 10. lect. 2. Deindè Hugo Car-

Rab. in 3. Reg. 17. Hebr. 10. & Theod. ibi. S. Th. Heb. 10. lect. 2. in 2. exp. & opusc. 58. c. 7. & 8.

dinalis *Io. 6.* agens de Euchariſtia; De hoc pane, inquit, dicitur: *Vetuſtiſſima veterum* comedetis; & nouis ſuperuenientibus vetera proijcietis. Vetuſtiſſima veterum ſunt Corpus & ſanguis Chriſti ſub ſpecie panis & vini; quæ in oblatione Melchiſedech figurata eſt. Concilium Carthag. IV. vocat hoc Sacramentum, *Viaticum.* Tametſi enim Henriquez reſtringat hoc nomen ad communionem ſub mortem; notio tamen Viatici vniuerſalior eſt in Concilijs & Patribus, vt monſtrat Eſpencæus. Cum muribundis tamen frequentiùs vſurpatur. Propterea S. Honoratum porrexiſſe S. Ambroſio *Viaticum bonum*, ideſt Euchariſtiam, ait Paulinus in Ambroſio. Sanctos vero Petrum & Ioannem Apoſtolos eodem Viatico munijſſe S. Chryſoſtomum mox abiturum, tradit Nicephorus. Quo autem ſtudio olim ſuſciperetur, multis exemplis oſtendi poſſet. De Matthæo Cardinali Albanenſi Petrus Cluniacenſis hæc ait: Dominicum Corpus ſibi rogat afferri. Quo allato, audite (inquit, fratribus) confeſſionem meam, & fidei meæ hic & in æternum teſtes adeſtote. Confiteor hoc ſacrum Saluatoris mei Corpus, illud verò & eſſentialiter eſſe, quod de S. Virgine ab ipſo ſumptum eſt: quod pro mundi ſalute in Cruce pependit: quod in ſepulchrum poſitum eſt: quod tertia die à mortuis reſurrexit: quod in Cælos aſcendit: quod venturum eſt iudicare viuos & mortuos, & ſeculum per ignem. Per ipſum, credo, incorporari ei, & fieri vnum cum ipſo, & habere vitam æternam. Hoc dicens refectus coram fratribus eodem ſalutari Chriſti Corpore, per carnem illam, quæ dat vitam æternam, ad æternitatem futuram idoneus factus eſt. Hæc Cluniacenſis. Quod verò hinc præſidium morientes accipiant, ex relatione viri ſancti, ſcribit S. Chryſoſtomus; hunc in modum: Quidam mihi narrauit, non ille quidem ab alio edoctus, ſed dignus habitus, qui id & vidiſſet ipſe, & audijſſet; quòd qui de vita hac emigraturi ſunt, ſi myſteriorum huiuſmodi cum pura ac munda conſcientia fuerint participes, ſpiritum efflaturi, ab Angelis illorum corpora ſatellitum more ſtipantibus, propter aſſumptum illud ſacrum, hinc recta in Cælum adducuntur. Hactenùs ille: Quia verò omnes ſumus viatores, quæcunque Communio eſt nobis pro Viatico, etiam cùm extra morbum accipitur, vt benè monet D. Thomas, Turrecremata, & Alanus. Ideóque bene Petrus Cluniacenſis vocat *Viaticum peregrinationis & vitæ æternæ.* Iuuatque huc Græcanicam precationem attexere, fundi ſolitam ad exorandam Viatici huius participationem ſub mortem, vt refert Ioannes Syluius in Cathemerino Græcorum:

Salue ò ex Virgine incorrupta prognatum,

Conc. Car. cap. 76. *Henriq. l. 8. c. 1. nu. 1. lit. P.* *Eſp. l. 2. de ador. Euch. c. 2. & Alpaſp. lib. 1. obſeru. c. 11.* *Niceph. l. 13. cap. 37.* *Pet. Clun. lib. 2. mirac. c. 22.*

S. Chryſ. lib. 6. de Sacerd.

D. Th. opuſc. 58. c. 23. *Turr. tr. de Euch. cap. 4.* *Alan. l. de Euch. c. 1.*

Corpus immaculatum carnigeri Verbi,
Hominum gratia mortuum, & grauia passum,
Et tanquam ouis in Cruce immolatum, quondam, horrenda.
Improuisum discrimen mortis quando vltimum aduenerit,
Feliciter mori nobis contingat te degustantibus,
O misericordissime, ò mitem habens animum, Iesu!
O Mariæ germen inculpatissimæ præstantissimum!
Propitius esto; vt spiritualibus & nunc te vidimus oculis
Fidei, ascititijs sub speciebus occultum existentem,
Quando rursus venies niualem æthera relinquens
Tanquam Iudex, hunc sceleratum mundum increpaturus,
Sic & te intrepidè videre tunc nobis concede;
Gloriosè, magnum tuum Patrem sedentem iuxta.

Eusebius dicit, *Victimam incruentam, rationalem, Deo suauem*: S.Augustinus, *Victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis, qua triumphatus est hostis computans delicta nostra, & quærens quid obijciat, & nihil inueniens in illo, in quo vincimus*. Ex S.Paschasio, sanguis hic secundùm efficientiam simili modo, *Vinum* typicè potest vocari: quia sicut vinum lætificat cor hominis interioris, & inebriat mentem amore spiritali. Et dicitur Zachariæ 9. *Vinum germinans Virgines*. Vnde exclamat Paschasius: *Felix* fructus vbertatis, ex quo Virginitas germinatur. Nam in hoc nostri germinis vino, castitas corrumpitur, ab isto verò Virgines procreantur. Et ideò iurè omnis Ecclesia Christi Virgo nominatur: quia isto repleta vino, nullum præter Christum amare nouit, nullum esurire alium, nullúmque sitire: quoniam summum eius bonum Christus est, & summa pulchritudo vestis illa contexta desuper ex vellere Agni, quæ nuptialis alibi appellatur. Sed & caritatis vino inebriata iurè omnis anima, quæ Christi potatur sanguine, Virgo dicitur. Habes, carissime, sanctorum vitæ bonum, quod nullum est aliud: habes pulchrum venustatis, quo tuas infantiæ abluas fœditates. Exerce te in castitate: quoniam hic sanguis nihil magis diligit, quàm in Christo Virgines. S.Augustinus *Vitam* appellat: & quàm benè ita dicatur, Hugo Lingonensis ostendit. Viuus est (Christus, inquit) & viuos facit. Nam iterato sic habes: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Audisti, quia vita est. Sed quæ vita? Vita distinguibilis, discretibilis, distans. Quia perpes, quia æterna, quia salubris, quia corruptionis nescia, quia felicitatis plena. Per quod æternè, per quod salubriter, per quod sine corruptione, per quod feliciter viuitur. Nónne hoc optabiliter amandum, aman-

Eus. l.1. de demonstr. c. 10.
S.August. 9. confess. c.13.
S.Pasch. lib. de Sacram. cap. 16.
Idem cap. 21
S. Aug. l. 1. de peccat. merit. c.24.
Hugo Ling. contra Bereng.

do, colendo, credendum est? S. Ignatius epistola ad Romanos vocat, *Vitam aeternam*. Quod nomen apud S. Augustinum, Algerum, & Alcuinum inuenies. Et Virgo Vernonensis, vt Iacobus de Vitriaco narrat in historia Orientali, sabbatis à columba Eucharistiam percipiens audiebat: Accipe vitam æternam. S. Ambrosius nominat, *Vitulum saginatum*. Quo de titulo ita Chrysostomus, circa illud, Adducite vitulum saginatum, & occidite: Quem tandem, inquit, dicit vitulum saginatum? quemnam? Quem iuuenca Maria Virgo peperit. Proferte vitulum indomitum, qui non dum peccati iugum sustinuit, Virginem & ex Virgine natum: qui sequitur eos, qui sequuntur se, non ex necessitate, sed spontè: qui non vtitur robore suo, neque cornibus; sed spontè ceruicem inclinat ijs qui mactare ipsum volunt. Occidite itaque eum, qui spontè occiditur: occidite eum, qui viuificat eos, qui se occidunt: occidite eum qui occiditur, sed non moritur: occidite eum, qui membratim conciditur, & eos sanctificat qui se concidunt: occidite eum, qui comeditur ab ijs, qui ipsum norunt, & nunquam consumitur: occidite eum, qui comedentes beatos reddit.

(Margin: :. August. tr. 17. in Ioan. Algerus lib. 1. cap. 5. Alcuin. l. 3. Confess. sua fidei. ac. l. 2. c. 5. :. Ambr. in . 15. Lucæ. :. Chrys. to. 5. Græcol. ser. 37.)

X. Xpum Dominũ in Venerabili Eucharistiæ Sacramẽto frequẽter per dies singulos oportet nos pręcipuè Clericos Regulares, & qui hanc Domum ei sacram inhabitamus, inuisere, deuotissimè colere, & humiliter adorare: ac corã illo noctu diúque in odeo psallere cũ omni animi alacritate debemus, Angelis (vt docet S. Chrysostomus) intermisti: omnibus imbuti virtutibus Diuina Mysteria celebremus: certatim Missis inseruiamus: expoliamus & exornemus altaria: mundemus araneis parietes: purgemus Ecclesiæ pauimentum; & illud reapse præstemus, quod cum laude Dominicus Grauina de nostris Patribus ait: *Interioris puritatis atque munditiæ, exterior munditia testis est sufficientissimus. Vnusquisque enim solicitus pro decore domus Dei inuigilat (vt verbis S. Hieronymi vtar) si nitet altare, si parietes absque fuligine, si pauimenta tersa, si vela semper in ostijs, creberque ianitor in porta: si sacrarium mundum, si vasa luculenta: & in omnes ceremonias pia solicitudo disposita: non minus non maius negligitur officium. Constituunt igitur diem solemnem incondensis frondibus, florumque sertis, vsque ad cornua altaris: diuersi generis floribus, & arborum comis cancellos & thecas sanctorum exornando, vt nec genialis hyems purpureis rosis, & obdurata glacie arua quoque laxentur: vt floribus calathi cumulari possint, ad aras sacrorumque Ossium thecas exornandas. Tanta demum fide vniuersa procurant, atque dispensant, vt etiam ea qui despectui habentur, paruaque reputantur ac vilia: vt si tenuem festucam de Oratorio, cellaue submo-*

(Margin: Grau. in Voce Turtur. p. 2. cap. 29. fol. 323. S. Hier. ep. ad Heliod.)

 uerint,

uerint, *mercedem se consecuturos à Domino tota credulitate confidant*. Demum Iacobus Aluarez vnicuique religioso viro suadet, vt in signũ gratitudinis aliqua tempora quotidie signata habeat, in quibus ad Ecclesiam se conferat, & ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum salutandum & adorandum accurrat: & docet septies id præstandum pro petẽdis septem donis Spiritus sancti, & septem virtutibus; quod nos obire poterimus hunc in modum. I. Ante vel post recitatum Matutinum Officium, vel obitam Orationem mentalem: in honorem sanguinis effusi in Circumcisione: & petemus Donum Sapientiæ, & virtutem Castitatis. II. Ante vel post recitatas Horas Canonicas, Primam, Tertiam &c. vel peractum sacrificium Missæ: in honorem sanguinis effusi in horto: & petemus Donum Intellectus, & virtutem Abstinentiæ. III. Post prandium, ac recitationem Nonæ, vel actas de more gratias: in honorem sanguinis effusi in columna: & petemus Donum Scientiæ, & virtutem Caritatis. IV. In æstate, ante vel post Orationem mentalem: in honorem sanguinis effusi in Coronatione spinarum: & petemus Donum Timoris, & virtutem Humilitatis. V. Ante vel post Vesperas: in honorem sanguinis effusi in fixura Manuum: & petemus Donum Consilij, & virtutem Misericordiæ. VI. Post Completorium ante Cœnam, in honorem sanguinis effusi in fixura Pedum: & petemus Donum Fortitudinis, & virtutem Perseuerantiæ. VII. Post Cœnam: in honorem sanguinis effusi ex vulnere Lateris: & petemus Donum Pietatis, & virtutem Patientiæ. Quæ tamen aliter hyeme, iuxta nostri Ordinis exercitia, disponemus.

Aluar. de vita relig. instit. lib. 2. c. 7. fol. 248.

DISQVISITIO SEXTA.

De Alphabeto Mariano, hoc est, de figuris, titulis, ac nominibus Beatissimæ Virginis; quæ sabbatis, ac cunctis anni diebus, & Octauis eius solemnitati dicatis, vberem meditandi materiam exhibebunt.

110 QVotidie, vt docet Aluarez, non solùm per orationem vocalem, sed etiam per aliquod exercitium Orationis mentalis, cum B. Virgine agendum est: eamque identidem implorare debemus; & cordi eius figuras, symbola, nomina, titulos, ac laudes inscribere. Sed & præsertim

Iacobus Aluarez de vita relig. inst. lib. 2. cap 5.

eius solemnia deuotissimè celebrabimus; iuuatque in eius honorem Abecedarium, quem sæpe lectitemus, hìc exhibere; vt eius nobis laudandæ, orandæque materia nunquam desit.

ALPHABETVM MARIANVM.

S. Bonauent. inspec. B. V. lect. 14.

A. *Abigail* à Diuo Bonauentura Deipara nominatur. Maria benedicta, inquit, quia per eam Deus hominibus placabilis est, sicut signatum est in Abigail, de qua legitur, quòd cùm Dauid offensus occidere vellet Nabal stultum, Abigail occurrens offenso, placauit eum; qui placatus dixit: Benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti, ne irem hodiè ad sanguinem, & vlciscerer me manu mea. Nabal stultus signat peccatorem: omnis enim peccator stultus est. Sed heu! sicut dicitur in Ecclesiaste, stultorum infinitus est numerus. Abigail Mariam signat, interpretatur enim Patris exultatio. O quanta Patris cælestis in Maria, & Mariæ in Patre cælesti fuit exultatio, cùm ipsa dicit: Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Sicut enim Abigail Dominam nostram, sic Dauid Dominum nostrum signat. Dauid autem offensus est stulto Nabal, quando Dominus offensus est homini impio. Dauid Nabal stulto per Abigail placatur, quando Dominus impio per Mariam reconciliatur. Abigail placauit Dauid verbis & muneribus: Maria placat Dominum precibus & meritis. Abigail vltionem temporalem, Maria verò æternalem conuertit: dum illa humanum, ista verò diuinum gladium auertit. Per *Abisag* Sunamitidem 3. *Reg.* 1. Deiparam designari, docet B. Albertus Magnus. Dixerunt, inquit, serui Dauid, idest sancti Patres, quæramus in omni terra creaturam rationalem, quæ sub Cælo est, Domino nostro Regi adolescentulam Virginem, dignam quæ stet coram Rege: & foueat eum, dormiatque in sinu suo Rex Regum, & foueat eum per incarnationem in gremio ventris sui, dormiatque in sinu suo, apud mundissimam mundissimus, in creatura Creator, in filia Pater, in ancilla Dominus. Quæramus etiam Virginem sapientissimam, caritate ardentissimam, quæ ipsum Deum ad liberationem & miserationem inflammet: habetur enim ibi, & calefaciat Dominum nostrum Regem. Quæramus & Virginem sapientissimam, quæ sciat, velit, & possit stare vt interpellatrix coram Rege ad refrænandum, ad excusandum, ad iudicandum, ad placandum: Et inuenerunt licet difficillimè adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel Abisag Sunamitidem, idest Mariam. Hanc omnes eligamus secundùm illud Poetæ: Elige cui dicas, tu mihi sola places. Quæsita fuit in lege, & Prophetis, tempore Patriarcharum & Prophetarum, sed inuenta in Nazareth ab

B. Alb. in Biblia Mar. lib. 3. Reg. nu. 1.

Archangelo Gabriele *Luc.1.* in tempore gratiæ in Annuntiatione. Hactenùs B. Albertus. S. ab Anselmo Deipara dicitur, *Absolutio peccatorum*: in Hymno Græco apud Buteonem, *Absolutio multorum delinquentium*: à Damasceno, *Abyßus gratiæ, abyssus miraculorum*: à SS. Ephræmo, & Bernardo, *Aduocata vnica peccatorum*: à SS. Bonauentura, Basilio, & Bernardo, *Aduocata nostra pijssima, miserorum Aduocata*: à Menna 18. Maij Ode 6. *Ager spicam vitæ vnicam germinans, quæ est alimentum Christianorum; & ortam à superstitionibus famem, ex toto Orbe terrarum, verissimè profligauit*: à Fortunato libro de partu Virginis, *Ager Domini, generans sine semine frugem*: ab Epiphanio *or.* de Deipara, & Gregorio Neocæsar. *or.* 1. de annuntiatione, *Ager minimè cultus, qui Verbum veluti granum suscipiens, etiam manipulum germinauit*: à Richardo de S. Laurentio l. 8. *Ager plenus, cui benedixit Dominus*: à Damasceno *or.* 1. de natiuitate B. V. *Agna, ex qua pastor ouem induit, veteris mortalitatis tunicis laceratis*: à S. Amphilochio *or.* in S. Deiparam, *Alabastrum vnguenti sanctificationis*: à S. Germano *or.* de Natiuitate B. V. *Altare, in quo agnus viuificans spiritaliter omnem fructum offertur*: à S. Anselmo, *Apostola Apostolorum, Euangelistarum Euangelista*: à Richardo à S. Laurentio l. 10. *Apotheca Christi medici*: à S. Bernardo *ser.* de Natiuitate B. V. Richardo à S. Laurentio l. 9. & Raym. Ior. *p.* 14. *c.* 27. *Aquæductus, qui plenitudinem fontis ipsius de corde Patris excipiens, nobis edidit illum, prout capere poteramus, per quem descendit vena illa cælestis, non fontis exhibens copiam, sed stillicidia gratiæ arentibus cordibus infundens*: à S. Methodio *or.* de Hypap. *Arca viua & animata, ac velut propitiatorium in terra*: à S. Bonauentura in laudibus B. V. *n.* 4. Arca Noe: ab Hesychio *or.* 2. de laudibus Deip. *Arca, arcâ Noe latior, longior, illustrior*: à Georgio Nicomed. *or.* de Oblatione Deiparæ, & à S. Ambrosio *ser.* 80. in fine, *Arca sanctificationis, quæ portauit cæleste manna*: à B. Laurentio Iustiniano *ser.* de Natiu. B. V. *Arca testamenti verissima, quæ auro vestita mundissimo, virtutum gemmis exornata, ex imputribilibus lignis spiritualiter facta, Testamenti tabulas, frondentem virgam, & suauissimum in se manna continuit*: à S. Bonauentura in laudibus Virginis *n.* 5. *Arcus fœderis diuini, & reconciliationis nobiscum*: ab Ecberto in deprecat. ad B. Virginem, *Areola aromatum Sanctorum, à cælesti consita pigmentario, virtutum omnium speciosis floribus delectabiliter vernans*: à Damasceno *or.* 1. de Natiu. B. V. *Arx sina sanctior*: ab Ioanne Geom. hymno 4. de B. V. *Arx Religiosorum*: à S. Ambrosio l. de instit. Virg. *c.* 7. *Aula cælestium Sacramentorum*: à S. Anselmo alloq. cæl. 27. *Aula vniuersalis propitiationis*: à Petro Damiani *ser.* de Assumpt. Hugone de S. Victore *ser.* 34. & alijs, *Aurora*

S. Anselm. alloq. cæl. 24
S. Dam. or. 2. de assumpt. & or. 1. de natiu.
S. Eph. in laud. B. V. S. Bern. ser. 1. de Natiu. B. V.
S. Bonau. in cor. B. V. S. Basil. ho. in S. Mamant.
S. Bern. ep. 174. & ser. 1. de assump.

de qua nascitur sol iustitiæ, solis claritati succumbens.

B. Alb. in Bibl. Mar. lib. 3. Reg. n. 2.

B. *Bethsabee*, ex B. Alberto, designat B. Virginem. Maria, inquit, est peccatorum aduocata, habens tria, scilicet sapientiam, facundiam, & fidelitatem, quæ debet habere Aduocata. Vnde significatur per Bethsabee 3. *Reg.* 2. Dixit Bethsabee, idest Maria ad Adoniam, idest, ad peccatorem: Benè ego loquar, prudenter, humiliter, instanter, & perseueranter, pro te, misero, egeno, & desperato. Sed cui? certè Regi magno, forti, & glorioso. Et venit Bethsabee ad Regem Salomonem: quod factum est in Assumptione, vt loqueretur ei pro Adonia, idest, peccatore. Et surrexit Rex, idest, Christus in occursum eius, hilariter, totaliter, & solemniter: & positus est thronus gloriæ Matri Regis. In Annuntiatione, posita fuit Domina mundi in throno gratiæ: in passione Filij, in throno miseriæ: in nostra causa in iudicio, in throno misericordiæ: in Assumptione verò sua ad Cælos, in throno gloriæ. Vnde sequitur. Quæ sedit ad dexteram eius, vt Imperatrix, vt gratiarum distributrix. Et dixit ei Rex: Pete fiducialiter pro omnibus, Mater mea mundissima, mihi obsequiosissima, & super omnem creaturam carissima: neque enim fas est, nec coram me, nec coram Angelis, ac omnibus Sanctis, vt auertam faciem meam, te pro quacunque re postulantem non exaudiendo. Sic ille. Richardus à S. Laurentio *lib.* 11. Deiparam vocat, *Bethleem*: quod, inquit, interpretatur domus panis, vel domus refectionis, vbi ipsa peperit panem viuum, qui de Cælo descendit, quo reficimur in altari, & qui nostra erit refectio in æternitate. Noster Aloysius Nouarinus ostendit B. Virginem *benedicendam ab omnibus*, ex ijs Pauli verbis: Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. De benedictionibus suis, ait Guarricus, Maria metat: & quæ benedictionem omnium gentium seminauit, benedictionem omnium gentium singulariter accipiat. Beatam me dicent, inquit, omnes generationes. Parum est hoc. Beatam me dicent omnes beatorum spirituum Ordines. O beata Virgo benedicta, exclamat S. Bonauentura, per cuius benedictionem, benedicitur omnis creatura non solùm à Creatore, sed Creâtor à creatura! Hugo de S. Victore, dixit B. Virginem, *Balsamum mundū uniuersum opinionis optimæ redolentia inæstimabiliter adimplens*: & Apollinaris, *Bonum generis humani*.

Nouar. in Vmb. V. nu. 1408. 2. Cor. 9. 6. Guar. Abb. ser. 3. de assumpt. B. M. S. Bonau. in spec. lect. 1. Hugo V. ser. 47. Apoll. in tragœd. Christus patiens.

C. Richardus à S. Laurentio *lib.* 8. B. Virginem, *Campum* dixit: *lib.* 2. *Coadiutricem Christi in passione & redemptione humani generis*: & alibi, *Collum Ecclesiæ nectens caput cum membris*: Philippus Abbas *lib.* 2. in Cantica *cap.* 18. *Campum, quem non læsit cupidus operator, ma-*

Rich. p. 496. lib. 2. p. 104. item p. 107. & lib. 5. p. 366.

nus rustica non arauit, non extulit tumor noxius, sed diffusa humilitas complanauit: Georgius Nicomediensis *or.* de Præsentatione B.V. *Candelabrum inauratum, lucerna cuius fines illluminat; per quam accenderunt septem dona spiritus, & mundum terrenum illuminarunt*: Andreas Hierosolymitanus *or.* in salutationem Angelicam, & Anastasius *q.* 53. in script. *Candelabrum aureum, septem lichnis, donis, scilicet, Spiritus sancti, ornatum, clarum, & lucidum*: S. Epiphanius *or.* de laudibus Deip. *Candelabrum, quod ab altissimo throno accepit ter lucidum ignem Cælum; & thronum Cherubicum*: S. Ephræm in laudibus B.V. *Canticum Cherubim, ac Seraphim, & Hymnodiam Angelorum*: S. Amphilochius *or.* in Deip. *Capacitatem minimam illum capientem, quem nulla res capit*: S. Hildefonsus *or.* 4. de Assumpt. *Caput Virginum*: Innocentius III. *ser.* 1. de Assumpt. B.V. *Castellum*: S. Anselmus alloq. Cæl. 27. *Causam generalis reconciliationis*: S. Irenæus lib. 3. c. 33. *Causam salutis vniuerso humano generi*: S. Epiphanius hær. 30. *Chartam magnam*: S. Ephræm in laud. B.V. *Chartam diuinissimam*: *Clauem Regni Cælestis*; *Conciliatricem efficacissimam totius Orbis terrarum*: Georgius Nicomediensis *or.* de Oblat. *Chartam purissimam, in qua Verbum sine scriptis impressum scidit fraudis chirographum*: Methodius *or.* de Hypap. & Sophronius Constant. *or.* 1. de Natiu. Dom. *Circumscriptionem eius, qui circumscribi non potest*: item *Cisternam Bethlemiticam, refocillatricem vitæ, à Dauide desideratam, ex qua cunctis immortalitatis poculum emanauit*: Andreas Cretensis *or.* 1. de dormitione Deip. *Cælum eius, qui terram & Cælum fecit*: Philippus Abbas in Cantica, *Cælum mirabile, proferens solum solem*: S. Germanus *or.* de præsentat. Deip. *Collectricem malè consonantium, coniunctricem iam olim disiunctorum*: S. Chrysologus *ser.* 146. *Collegium sanctitatis*: Philippus Abbas *l.* 6. in Cant. *Columbam vnam, perfectam, electam*: S. Bonauentura, & Rupertus, *Columbam castissimam, omni felle carentem*: S. Epiphanius *or.* de laud. Deip. *Columbam puram, & sponsam Cælestem*: S. Bonauentura in laud. B.V. *Columbam paciferam*: Andreas Cretensis *or.* 2. de Assumpt. *Columnam viuificam, non carnalem per lucem deducentem Israel, qui fugatur; sed spiritalem, qui deducitur ad inerrantem lucem cognitionis, diuinis illuminantem facibus*: S. Damascenus *or.* de Natiu. B.V. & S. Athanasius *q.* 19. ex vltimis, *Concham, quæ cælitùs ex Diuinitatis fulgetra in vtero concepit, ac peperit Christum, ingentis pretij vnionem*: Giselb. in alterc. *Consolationem infirmorum, redemptionem captiuorum, liberationem damnatorum, salutem vniuersorum*: Gregorius Neocæsar. *or.* 3. de Annunt. *Cubiculum incarnationis Verbi*: Andreas Cretensis canone in Conceptionem, *Curam mundi, spem vnicam Christianorum, tutricem peccatorum*; & *or.* 2. de Assumpt. *Currum*

Phil. l. 6. c. 18.

Phil. cap. 8. S. Bonau. in cant. sup. salue Regina. Rup. lib. 3. in Cant.

Gisel. p. 118.

Dei decies millies millibus multiplicatum, qui millia locupletum adduxit ad Deum carne tectum.

S. Th. à V. conc. 4. in Natali Do.

D. *Dalilam*, Deiparam vocat S. Thomas à Villanoua. Vide nunc, ò anima deuota, inquit: inspice Samsonem illum potentissimum, infirmatum, ligatum, & tonsum, in dilectæ suæ Dalilæ gremio recumbentem. Vbi nunc capilli, qui de capite eius, idest, Diuinitate profluunt ab æterno, in quibus virtus eius tota consistit? Vbi æternitas, immensitas, immutabilitas, infinitas, & virtutes aliæ diuinæ, quibus sacrum illud caput inundat? Tonsus est noster Samson, tondente se Dalila: non eius crines euulsi sunt, sed detonsi: intùs in capite radices manent, sed aliquando prodibunt. Expecta me, inquit, in die resurrectionis meæ. Expecta modicum, vt noster Samson adiungatur ad templi columnam, idest, fortissimam Crucem: si enim exaltatus fuerit à terra, omnia trahet ad se ipsum, & morietur Samson, & simul omnis æmulatio dissoluetur: plures enim moriendo, quàm viuendo, prosternet, & in morte quàm in vita potentior apparebit. O sacram Dalilam! ò felicissimam Virginem, quæ fortissimum alligasti, & Omnipotentem Deum nostris commodis infirmasti: quàm læta, quàm iucunda de Samsone triumphas! quis tuam valeat explicare lætitiam? quis tuos possit gaudiorum fluctus exprimere? cùm Deum ac Creatorem gremio foues, pannis inuoluis, vberibus pascis, osculis & amplexibus lenis? Hæc ille. Dicitur ab Andrea Cretensi *or.* 2. de Assumpt. *Declaratio occultorum, & profundorum Diuinæ incomprehensibilitatis; Diadema Regni non manufactum: Diplois aurea specie*: à S. Anselmo alloquio cælesti 24. *Decus Virginum, Domina gentium, Regina Angelorum*: à S. Gregorio VII. *Decus & gloria omnium mulierum, salus & nobilitas omnium electorum*: à Laurentio Iustiniano *ser.* de Natiu. B. V. *Decus hominum*: à Proclo *or.* de Natiu. Dom. *Decus illibatæ Virginitatis*: à Ioanne Geometr. *Decus naturæ*: à S. Iacobo in Liturgia, *Deipara semper beata, & omnibus modis irreprehensa, honorabilior quàm Cherubim, & gloriosior quàm Seraphim; quæ sine corruptione Deum Verbum peperit, verè Deipara*: ab Eutychiano in narratione de Theophili pœnitentia, *Deipara sancta, venerandaque, & omnibus laudibus celebranda; quæ est sola casta & pura; quæ est sola sancta, anima, & corpore; quæ sola habet fiduciam ad eum qui est natus ex ipsa; quæ est solatium eorum, qui affliguntur; quæ est vltio eorum, qui vexantur; quæ est amictus eorum, qui sunt nudi; quæ est baculus senectutis; quæ est firma defensio eorum, qui mane ad eam vigilant; quæ semper suis vlnis fouet Christianos*: à S. Germano *or.* de Natiu. B. V. *Delubrum sacrum Christi, qui solus in adytis sanctisque sanctorum sacrificauit*: *Diadema pulchritudi-*

Greg. 7. lib. 8. ep. 22.

Io. hym. 3. de B. V.

nis: & or.de Præſent.Deip. *Domina noſtra ſola, quæ ſola nobis ex Deo ſolatium; ſola æſtus in nobis exiſtentis diuinus ros; cordis noſtri exardeſcentis guttæ diuinitùs fluentes; & tenebricoſæ noſtræ animæ ſplendidiſſima lampas; dubitationis noſtræ directio; debilitatis noſtræ potentia; nuditatis noſtræ veſtimentum, noſtræ mendicitatis diuitiæ; inſanabilium vulnerum noſtrorum medicina; lacrymarum ablutio, gemituum noſtrorum ceſſatio, calamitatum noſtrarum reſtauratio, dolorum noſtrorum releuatio, vinculorum noſtrorum ſolutio, ſalutis noſtræ ſpes*: in florilegio Buteonis ex Græcis orationibus, *Domina Dei Genitrix, validum auxilium oppugnatorum; ſtabilis anchora ijs, qui tempeſtate iactantur; præſidium vexatorum, exhortatio laborantium, ſpes deſolatorum, conſolatio lugentium*: & à S. Bonauentura in laud.B.V. *Domus Dei à vero Salomone conſtructa*. *S.Bonau.in laud. B.V.n. 12.*

E. *Eſter* à S. Bonauentura in ſpeculo nuncupatur. Primò conſidera, cariſſime, inquit, quòd Maria eſt Domina Angelorum: ipſa enim ſignata eſt in Eſter Regina, de qua legitur, quòd ſuper vnam famulam ſuam delitiosè innitebatur: altera autem famularum ſequebatur Dominam, defluentia in humum veſtimenta ſuſtentans. Per Dominam Eſter Reginam, intellige Mariam Reginam: duæ famulæ, quarum Domina eſt Regina Maria, ſunt Angelica & humana creatura. O quantum gaudendum eſt nobis miſeris hominibus, quòd Angeli Dominum & Dominam habent ex hominibus! Item B. Albertus in Biblia Mariana; Commendatur etiam, inquit, Regina noſtra à maxima fidelitate, bonitate, & miſericordia; quæ conſideratur in hoc, quòd ferè tota eius ſupplicatio eſt pro nobis coram Deo, vt ab hoſtibus liberemur. Vnde *Eſter* 5. induta eſt Eſter regalibus veſtibus. Gloſſa: Fide, ſpe, & cæteris virtutibus, quibus induta Regi digniùs ſocietur. Et ſtetit, vt precatrix, aduocatrix, adiutrix, poſtquàm aſſumpta eſt, in atrio Domus Regiæ. Et ſedebat Rex ſuper ſolium. Cùmque vidiſſet Eſter Reginam, natura, gratia, gloria, largitate, dignitate, nobilitate, miſeratione, præ omnibus præcipuam, ſtantem, non vt ſuperbum luciferum ſedere volentem, ſed ſtantem mirabiliter iuxta Crucem *Io.* 19. & miſericorditer & fideliter in Cælo pro peccatoribus; placuit oculis eius, & extendit contra eam virgam auream, id eſt, poteſtatem, quam vult Matrem ſuam habere in Cælo, & in terra, & ſub terra. Dixitque ad eam Rex: Quid vis Eſter Regina? quæ eſt petitio tua? etiam ſi dimidiam partem Regni mei petieris, imò totum, dabitur tibi. At illa reſpondit: Si inueni gratiam in oculis tuis, ò Rex, dona mihi populum meum. *Eſter* 7. Gloſſa: Fide meum, deuotione meum, ipſius affectuoſa veneratione meum, tota deuotione meum, & tua com-

S.Bonau.in ſpec. B.V. lect.3.

B.Alb M. in Bibl. M. lib. Eſt. n. 6.

S. Fulg. ser. de laud. B.V. Athanas. ser. de Deip. Crysip. or. de Deip. Iren. l. 3. c. 33. & l. 5. c. 10. Tertul. de car. Chr. c. 17.

missione &c. A Damasceno *or.* 1. de Assumpt. dicitur, *Eden spiritualis, antiqua illa sanctior, & diuinior*: à S. Fulgentio, Crysippo, & Tertulliano, *Eua noua*: A S. Irenæo, *Eua aduocata*.

F. *Fastigium omnium Virginum*, à S. Hildefonso *ser.* 1. de Assumpt. *Fauus Christi mellis*, à Ruperto *lib.* 3. in Cant. *Fax fidelium*; *Fons propensionis Filij erga genus humanum*; *Fons vberrimus totius sanctitatis, & Forceps cunabuli Purgatorij*, à S. Methodio *or.* de Hypap. *Fenestra splendor mundi*, à S. Chrysostomo *ser.* 6. de Ascens. *Fenestra Cæli, per quam Deus verum fudit seculis lumen*, à S. Fulgentio *ser.* de laud. B.V. & Petro Damiani *ser.* 3. de Natiu. B.V. *Ferculum* (seu lectus conuiuialis) *veri Salomonis de lignis Libani*, à Guil. paruo *in c.* 3. in Cant. & Richardo à S. Laurentio *l.* 10. *p.* 575. *Fibula Seraphica mystici Anthracis*, ab Andrea Hierosol. *or.* in salut. Angel. *Fidei iussio pignoratitia diuinarum reconciliationum*; *Finis Testamentorum, quæ nobis fecit Deus*; *Flos incorruptionis, Fons diuinarum illuminationum, qui non potest exhauriri*; *& Fons immortalitatis, qui exhauriri non potest, vitæ fluuij perennis*, ab Andrea Cretensi *ser.* 2. de Assumpt. *Filia Dei Primogenita*, & *Firmamentum* à Raym. Iord. *p.* 14. *c.* 10. *&* 12. *Finis iræ Dei*, à S. Bonauentura in psalter. min. quinq. 1. *Flos de spinis, spina carens, Flos spineti gloria*, ab Adamo de S. Victore in prosa de Assumpt. *Flos campi, de quo ortum est pretiosum lilium conuallium*, & *Fæmina super fæminas benedicta, quæ virum omninò non nouit, & virum suo vtero circundedit*, à S. Augustino *ser.* 18. de Sanctis, & *ser.* 35. *Forma Dei*: à Richardo à S. Laurentio *l.* 9. *p.* 516. & Raymundo Iordano *p.* 14. *c.* 26. *Flumen Dei repletum aquis gratiæ*: ab Hesychio *or.* 2. de Deip. *Fodina, vnde prodit lapis totam terram tegens, à nullo incisus*: à S. Anselmo alloq. Cæl. 27. *Fæmina, mirabiliter singularis, & singulariter mirabilis, per quam elementa renouantur, infirma remediantur, homines saluantur, Angeli redintegrantur; fæmina plena, & superplena gratia, de cuius plenitudinis exundantia respersa reuirescit omnis creatura*: à S. Hildephonso *l.* de Virginit. S.M. *c.* 10. *Fæmina, quam conceptio Virginem reddit, quam partus Virginem seruat*: & *ser.* 3. de Assumpt. *Forma omnium Ecclesiarum*: à S. Damasceno *or.* 1. de Natiu. B.V. *Fæmina fæminarum crimen dissoluens*; *Fons vniuerso Orbi medicinam afferens*; & *or.* 2. de Assumpt. *Fons, ex quo vita orta est*: à S. Bernardo *ho.* 2. super missus est, *Fæmina singulariter veneranda, super omnes fæminas admirabilis, parentum reparatrix, posterorum viuificatrix*: à S. Germano *or.* de Natiu. B. V. *Folium sanctimoniæ non scriptum*: à Gregorio Neocæs. *or.* de Annunt. & Crysippo *or.* de Deip. *Fons lucis omnem hominem illuminantis*: à S. Amphilochio *or.* in S. Deip. *Fons pellucidus viuifici laticis*: à S. Bonau. in laud. B.V. *n.* 1. *Fons ascendens de ter-*

ra ad irrigandum Paradisum: à Sophronio *ho.*de Assumpt.& Richardo à S.Laur. *lib. 9. Fons signatus totius sigillo Trinitatis, ex quo vitæ fons manat, in cuius lumine videbimus lumen.*

G. *Gallinæ* B.Virginem assimilat Bernardinus de Busto, propter magnam solicitudinem, quam de nobis habet in pascendo & custodiendo: nam, dum esset in præsenti vita, nos pascebat cibo doctrinæ &c.Habet etiam solicitudinem in custodiendo: quia sub alis suis nos custodit, & ab insidijs diaboli nos protegit. Ipsa enim est illa mulier, cui datæ sunt duæ alæ magnæ *Apoc.* 12. Vna ala misericordiæ, sub qua peccatores confugiunt, vt Deo reconcilientur: alia est ala gratiæ, sub qua Iusti consistunt, vt in gratia conseruentur. Quam similitudinem etiam Christo ipsi congruere, Aloysius Nouarinus ostendit. Sed & B.Virginem appellat S.Germanus *or.*de eius Natiu. *Gaudium commune mundi*; & in psalmum 44. *Gaudium certum vniuersi, vitæ largitricem, maledictionis interemptricem, benedictionis conciliatricem*: B.Petrus Damiani *ser.*2.de Natiu.B.V. *Gazophylacium Thesauri, quo fuimus de cruenti prædonis seruitio comparati*; & de Assumpt. *Genitricem Dei, Dominam mundi, Reginam Cæli*: Andreas Ierosolym.*or.* in salut. Angelic. & Theosterictus in canone conciliatorio, *Genitricem immensi gaudij, & Autoris lætitiæ*: Petrus Cluniacensis in prosa de B. V. *Genitricem nos gignentis, Parentem nostri Parentis*: Prosa vetus de Concept.apud Clyctou.*l.*4.Elucid.*Genitricem Genitoris sui, filiam parientem Patrem*: Ioannes Geometra hymno 2.de B.V. *Genitricem Virtutum*: S. Cyrillus *l.* 1. de fide ad Reginas, *Genitricem vitæ*: Hesychius *or.*2.de Deip. *Gloriam luti nostri, quæ Adamum pudore, Euam comminatione liberauit*: & Ioannes Geometra hymno 1. de B.V.*Gratiam gratiarum, & gratiarum Matrem.*

Bust. in Mariali par. 9. ser. 2. assimil. 14.

Nouar. in Vmbra V. n. 504.

H. *Habitaculum omni fuco & dolo carens*, dixit S. Chrysostomus *ser.*6.de Ascens. *Habitaculum incomprehensibilis naturæ*, *or.* de Annunt. B. V. *Habitaculum amplissimum illius, qui nunquam capitur*, Andreas Ierosol. in salut. Angel. *Habitaculum pulchrum diuinæ demissionis*, Andreas Cretensis *or.* 2. de Assumpt. *Hortum non seminatum, fertilem incultum*, Hesychius *or.* 2. De Deip. *Hortum conclusum, quem falx corruptionis ac vindemiæ non attigit*, Hesychius *cit.*& Richardus à S. Laurentio *l.*12.*Hortum Patris*, Chrysippus *or.*de Deip.*Hortum deliciarum, in quo consita sunt vniuersa florum genera, & oderamenta virtutum*, Sophronius *ho.*de Assumpt. Philippus Abbas *l.*4. in Cant.*c.*25.Eucherius, & alij: *Hortum refugij*, Ioannes Geomet.in catena Corderij *ad c.*1. *Lucæ n.* 36. *Hortum planè deliciarum, quem non modò afflauerit veniens, sed & perflauerit superueniens Auster ille diuinus, vt vndique fluant*

& affluant aromata eius, charismata scilicet gratiarum, S. Bernardus *ser.* de Natiu. B.V.

D. Ant. par. 4. tit. 15. c. 10. §. 2.

I. *Iuditham*, fuisse figuram B. Virginis, docet D. Antoninus his verbis: Quatuor inueniuntur in veteri testamento Mulieres B. Virginem figurantes: scilicet Ester coniugata, Iudith vidua, Rebecca, & Rachel Virgines. De Iudith dicitur, quòd erat eleganti aspectu nimis, & quòd erat stupor in oculis eorum, qui eius pulchritudinem mirabantur nimis. Et iterum: Non est talis mulier super terram, in aspectu, pulchritudine, & sensu verborum. Richardus à S. Laurentio *lib.6.* Hæc est, inquit, vna Mulier Hebræa, quæ fecit confusionem in Domo Nabuchodonosor: vna, idest, discreta ab omnibus alijs mulieribus Hebræis. Ecce enim Holofernes iacet in terra, & caput eius non est in illo. Istud ad literam legitur de Iudith, in figura Mariæ, quæ est Mulier vna, idest, singularis dignitate, potestate, caritate, & præsidio &c. Vna scilicet Mulier, sola, & priuilegiata, speciali virtutum & operum eminentia, supergressa vniuersas Ecclesiæ filias. S. Bonauentura *in spec. lec. 6.* Tanta fuit gratia labiorum in Maria, vt ipsa optimè per Iudith signari possit, de qua

Iudith. 11. 19

dicitur: Non est Mulier talis super terram, in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum. Et re vera non est, non fuit, non erit mulier talis, super terram, qualis Maria fuit in aspectu clarissimæ vitæ, in pulchritudine mundissimæ conscientiæ, & in sensu verborum disertissimæ linguæ. S. Ildephonsus *ser. 1. c. 4.* de Assumpt. B. Virginem vocat, *Ianuam Cæli*: S. Augustinus *ser. 6.* de tempore, *Ianuam filij Dei*: B. Petrus Damiani *ser. 3.* de Natiu. *Ianuam Paradisi, fenestram Cæli*: Theosterictus in canone conciliatorio, *Ianuam pænitentiæ; intercessionem sedulam, murum inexpugnabilem, fontem misericordiæ, refugium mundi*: Theodorus Abucara *opusc. 1.* in fine, *Ianuam & aditum peregrinationis Verbi ad nos*: S. Germanus *or.* de Natiu. B.V. *Illuminatam, per quam tenebræ pulsæ, luxque introducta, per quam cessauit lex, & gratia inclaruit*: Andreas Cretensis *or. 2. Indumentum regale*; & *or. 3.* de Assumpt. *Imaginem Diuini Archetypi, rectè descriptam*: S. Bonauentura in psalt. Minor. quinq. 3. *Imperatricem diuitem, datricem vitæ*: Goffridus Vindoc. *ser. 8. Imperatricem Angelorum & hominum vniuersalem*: Petrus Cluniacensis in Prosa de B.V. *Imperatricem Cælorum, Reparatricem terrarum*: Gregorius Neocæsar. *or. 2.* de Annunt. *Indumentum lucis, & virtutis domicilium*: Methodius *or.* de Hypap. *Indumentum impollutum eius, qui luce vt vestimento circumfunditur*: S. Anselmus hymno 2. de varijs festis B.V. *Initiatricem arcani consilij*: Sophronius *ser.* de Assumpt. *Interemptricem vniuersæ hæreticæ prauitatis*:

B.Laurentius Iustinianus *ser.* de Natiu.B.V. *Interuentricem mundi*: S. Bernardus *ser.* 2. de Aduentu, *Inuentricem gratiæ, genitricem vitæ, matrem salutis*: & S.Epiphanius *or.* de laude Deip. *Iuuencam nunquam iugum expertam, quæ vitulum genuit.*

L. S.Methodius *or.* de Hypap. Deiparam nuncupat, *Lacum viuificum desiderij Dauidis in Bethleem, è quo poculum immortalitatis scaturijt; Lætitiam nostram indesinentem*: S.Ephræm.in laud.B.V. *Lætitiam humani generis*; *Lignum vitæ, gaudium & voluptatem*; *Lilium conuallium*: Echbertus in deprecatione ad B.V. *Lampadem luculentissimam, quæ splendore Dei illustrata, desideratum illud lumen, quo inuenta est dragma perdita, sedentibus in umbra mortis protulit*: Epiphanius *or.* de laud. Virg. *Lampadem gestantem lucem inextinguibilem sole splendidiorem*; *Librum incomprehensum, qui Verbum Patris mundo legendum exhibuit*; *Lilium immaculatum, rosam immarcessibilem generans*; & hær. 78. *Leenam sanctam, cui secundus partus non obtigit, nec proles altera*: Andreas Cretensis *or.* de dormit. Deip. *Lampadem, per quam iustitiæ solem, altiori supra naturam ratione, natura suscepit*: & *or.* de Assumpt. *Librum verè viuum Verbi paterni tacitò inscripti, viuifico calamo spiritus*: Richardus à S. Laurentio *l.* 2. *c.* 10. *Lapidem angularem*: & l. 7. à p. 456. *Lunam plenam, nunquam minutam, aut deficientem, aut suo lumine priuatam*: Guil. paruus *in c.* 1. Cant. *Lectulum Dei floridum*: Georgius Nicomed. *or.* de oblat. Deip. in templo, & Rupertus 3. Cant. *Lectulum Salomonis, quem sexaginta fortes ambiunt*: Damascenus *or.* 2. de Assumpt. *Librum nouum, in quo inenarrabili modo Deus Verbum, citra omnem manus operam inscriptus est*: S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 5. *Liber grandis, in quo scriptum est Dei Verbum*: S. Bernardus *ho.* 2. de Aduentu, S. Damascenus cano. 1. Anastasino, & S.Bonau. in laud. B.V. *Lignum vitæ, quod solum fuit dignum portare fructum salutis*: Damascenus *or.* 1. de Natiu. & Petrus Damiani *ser.* 3. de Natiu.B.V. *Lilium inter spinas ex regia radice ortum*: Hebræi antiqui apud Galatinum *l.* 7. *c.* 10. ex Hierem. 17. *Locum sanctificationis nostræ*: Cyrillus Alexandr. hom. in Nestor. habita Ephesi, *Locum eius, qui loco capi non potest*: *Lucernam inextincti luminis*: Theodorus Studita ode 5. Canonis pro SS. Imaginibus, *Lucernarium auro exornatum, quod lumen intellectuale mundo peperit, & tenebrosam nebulam dissipauit*: Laurentius Iustinianus *ser.* de Natiu.B.V. *Lucem mundi*: & Innocentius III. *ser.* 2. de Assumpt. Iordanus 14. *c.* 14. & Philippus Abbas *l.* 6. *c.* 10. in Cant. *Lunam nostram in nocte, Auroram in diluculo, Solem in die.* *S. Cyril. ho. 6. in Nestor.*

M. B.Albertus Magnus, Hæc est, inquit, *Maria*, quæ exodi 15. tympano assumpto, mortificatione carnis, per votum Castitatis *B. Alb. in c. 10. Luc.*

præcinuit: & infinitæ mulieres in choris Deo psallentium egressæ sunt post eam: quibus ipsa præcinuit, vt cantent Deo, qui in eis gloriosè honorificatus, equum effrænem, impetum concupiscentiæ, & ascensorem eius, sensum libidinis, proiecit in mare amaræ pœnitentiæ. Hæ sunt iuuenculæ tympanistriæ: in quarum medio, Beniamin, filius dexteræ Dei adolescentulus, adhuc in carnis integritate, gaudet in mentis excessu, se ipsum excedens, vt interiùs appareat. Rupertus *l.*2. *&* 5. in Cant. & *l.* 2. in Matth. B. Virginem nominat, *Magistram Magistrorum*; & *l.*9. in Cant. *Montem montium, Virginem Virginum, Sanctam Sanctorum*: S. Augustinus *ser.*6. de temp. *Magistram gentium*; & *ser.*2. de Assumpt. *Matrem gentium*: S. Birgitta *ser.* in Angel. cap. 19. *Magistram Apostolorum*; & *l.*3. *c.*32. Reuel. *Magnetem Cæli*: S. Ambrosius de instit. Virg. c. 5. *Magistram Virginitatis*: B. Laurentius Iustinianus *ser.* de Natiu. B.V. *Magistram Virtutum*: Rupertus *l.* 5. in Cant. *Magistram Religionis ac fidei*: S. Maximus *ser.* de ram. palmar. *Mannã, de qua gignitur vermis Christus, subtilẽ & splendidam, suauẽ & virginem; quæ velut cælitùs veniens, cunctis populis cibum suauiorem melle defluxit*: S. Epiphanius *or.* de Dei laud. *Mare spirituale, habens gemmam cælestem, Christum*: Ioannes Geom. in catena Corderij ad c. 1. Lucæ vers. 36. *Mare diuulsum, & iter confluens ad mergendum mysticum: Pharaonem* S. Methodius *or.* de Hypap. *Margaritam Regni pretiosissimam*: S. Cyrillus *ser.* 6. in Conc. Ephes. *Margaritam pretiosam Orbis terrarum*: S. Ansel. alloq. Cæl. 23. *Matrem totius veniæ*: Ambros. Ansbert. ser. de Paris. *Matrem Electorum*: Origenes *ho.* 1. in diuers. S. Augustinus, Goffridus Vindoc. & alij, *Matrem Christianorum*: S. Epiphanius hær. 78. S. Augustinus *ser.*2. de Assumpt. & S. Chrysologus ser. 140. & 99. *Matrem viuentium*: Theosterictus in S. Nicetæ encomio, *Matrem, quam Christus sibi in domicilium elegit, omnibus alijs rebus creatis superiorem, omnium hominum salutem, mundi patrocinium: qua propter Virginitatis suæ præstantiam, prope Deum versatur*: Guarricus *ser.*1. de Assumpt. *Matrem vitæ, qua viuunt vniuersi*: Richard. Victor. *c.*23. in Cant. *Matrem miserorum*: S. Bonauentura in psalt. min. quinq. 2. *Medicinam mundi*: Ioan. Geom. hymno 4. de B.V. *Medicinam ægritudinum nostrarum*: S. Bernard. epist. 174. *Mediatricem salutis*; *ser.* in signum magnum, *Mediatricem ad Mediatorem*; & *ser.*2. de Pentec. *Medium, ad quod respiciunt & qui in Cælo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequuntur, & nati natorum, & qui nascuntur ab illis*: S. Damascenus *or.*1. de Natiu. B.V. *Miraculorum abyssum*: S. Epiph. *or.* de laud. B.V. *Miraculum stupendum in Cælis*: S. Ephræm. in laud. B.V. *Miraculum præstantissimum vniuersi Orbis ter-*

S. Aug. l. de Sanc. Virg. c.6. Goffr. ser. 7. Rich. à S. L. l.2. p.75. Guil. paruus in c.4. Cant. Rup. l.7. in Cant. S. Bonau. in spec. lect. 8.

rarum: S. Chrysost. *or.* de Hypap. *Miraculum magnum mundi*: Rich. à S. Laur. l. 6. *Mulierem Cananaam, egressam de finibus Tyri & Sidonis, idest, de profundo secularis conuersationis, qua clamat ad Deum pro filia, idest, peccatrice anima; cuius etiam personam misericorditer in se transformat, dicens: Miserere mei filij David. Et cui misericorditer respondet Filius: O Mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis*: B. Albertus Magnus in c. 10. Lucæ, *Mulierem, qua accensa lucerna flammæ deitatis in testa humanitatis, euertit totam domum, suprema infimis in vtero suo sociando, noua veteribus commiscendo, æterna temporalibus ingerendo, incorruptibilia mortalibus vniendo, pretiosa vilibus imponendo: & sic quæsiuit diligenter, donec dracmam perditam inuenit, & regnum Cælorum redintegrauit.* Matth. 15.

N. *Noemi* dicitur ab D. Bonauentura *in spec. lect.* 3. Considera carissime, inquit, quòd Maria in passione filij sui valde amara fuit, quando suam ipsius animam gladius pertransiuit. Vnde ipsa benè potuit dicere illud Ruth. 1. Non vocetis me Noemi, idest, pulchram: sed vocate me mara, idest, amaram, quia amaritudine valde repleuit me Omnipotens. Amara fuit Noemi, quia duo filij sui fuerunt mortui. Noemi pulchra & amara signat Mariam, pulchram quidem per Spiritus sancti sanctificationem, amaram verò per Filij sui passionem. Hæc ille. Ioannes Geom. hymno 3. de B. V. Deiparam dixit, *Natam sui Nati, Patris sui Genitricem*: Hesychius *or.* 2. de Deip. *Nauem mercibus refertam, nullo egentem gubernatore; Nubem pluuias incorruptis continentem*: Richardus à S. Laurentio l. 15. p. 691. *Nauem institoris, portantem de longè panem suum*: Georgius Nicomed. *or.* de Præsent. B. V. *Nebulam lucidam, ex qua scatet fons luminis*: S. Bernardus *ser.* 2. de Pentec. *Negotium omnium seculorum*: Bernardinus de Busto in Mariali par. 9. ser. 2. de festo Niuis, *Niuem illam, quæ à Deo missa est in mundum, vt sua coopertitione vestiret & impinguaret terram humanæ generationis* &c. S. Anselmus alloq. Cæl. 23. *Nobilitatem populi Christiani*: S. Gregorius VII. l. 8. Epist. 22. *Nobilitatem omnium Electorum*: B. Petrus Damiani opusc. 33. c. 4. *Normam omnium virtutum*: S. Epiphanius ser. de laud. B. V. *Nubem columnæ similem, quæ Deum habet, qui populum deduxit per desertum; Nubem lucidam, quæ fulgur de Cælo lucidissimum deduxit*: S. Ambrosius de instit. Virg. c. 13. *Nubem leuem*: Ioannes Ierosol. de instit. Monac. cap. 32. *Nubeculam paruam, quasi vestigium hominis, dulcem & puram, de mari salsissimo, & inquinatissimo*: S. Proclus *or.* de nat. Dom. & S. Hier. in psal. 77. *Nubem leuem, quæ super Cherubim sedentem gestauit*: Menæa 14. Martij ode 8. *Nubem cælestem, quæ tonitruum Spiritus sancti in se ipsa reconditum deduxit in*

mundum; & imbrem Spiritus sancti in vniuersam terram ad producendum fidelibus fructum cum impetu dimisit; Nubem tonitruiformem, fulgur in vtero interiùs gestantem: Chrysippus *or.* de Deip. *Nubem pluuiæ portum animis Sanctorum exhibentis*. S. Hier.in psal. 77. *Nubem diei, nunquam in tenebris, semper in luce*: Ioannes Geom.in catena Corderij ad c.1.Lucæ vers. 36. *Nubem in die nunciam itineris recti*.

O. Damascenus or.2. de Assumpt. Deiparam nominat, *Oblitterationem vnicam mæroris*: or.1. *Officinam immensorum bonorum omnem captum superantium*: *Ornamentum generis humani, & vniuersæ creaturæ decus*: & or.1.de Natiu.*Officinam miraculorum*: S.Ephræm in laud. B.V.*Oblectamentum terrigenarum omnium*; *Orationem pulchram hymnographorum omnium*; *Ornamentum præclarissimum Cælestis Hierarchiæ*: S.Augustinus ser.6.de Natiu.*Obsidem fidei nostræ apud Deum*: Arnoldus bonæ Vallis de tertio Christi verbo, *Officinam, in qua Verbum caro factum est*: Andreas Cretensis ser.1.de dormit.Deip. *Officinam celebrem diuinorum cum hominibus contractuum*: & or.3. *Opus magnificum tremendæ dispensationis*: Proclus or.de nat.Dom. *Officinam vnitarum in se naturarum*; *Ornamentum illibatæ Virginitatis*: S. Antoninus par. 3.tit.31.cap.4. & Adamus de Perse in Allegor.tum ad cap.24. Ecclesiastici, *Oliuam speciosam in campis*: Petrus Damiani ser.2. de Natiu.B.V.*Opus, quod solus Opifex supergreditur*; & ser.3.*Orientem Orientis, parentem parentis, fontem fontis viui, originem principij*: Andreas Ierosolym.or.in salut.Angel.*Organum lætitiæ, per quod delicti nostri condemnatio expiata est, ac veri gaudij plena compensatio facta*; *Ornamentum Patriarcharum, & Prophetarum omnium*: Gregorius Neocæsar. or.2.de Annunt. *Orientem solis intelligibilis*: Hesychius or.2. de Deip. *Ornamentum præclarum naturæ nostræ*: Chrysostomus or. de Deip. Chrysippus ser.de B. V. & Andreas Ierosol. cit. *Ortum Solis, qui nullum ferre potest Occasum*: Hymnus Græcus de B. V. apud Buteonem p.129. *Os disertissimum Apostolorum*: Richardus à S.Laurentio l.12. p. 828. *Os Ecclesiæ*: Epiphanius or.de laud. Deip. *Ouem immaculatam, quæ peperit agnum Christum*: Hugo de S.Vict.ser.34. de instit.monast. *Ouem innocentia, agnam munditia, columbam simplicitate, turturem castitate, quodlibet mundum & domesticum animal munda & mansueta conuersatione, nubem protectione, stellam cuiuslibet virtutis aut boni operis inchoatione, lunam eiusdem augmentatione, solem consummatione, denique Paradisum cælestis boni plenitudine*.

P. *Pandoram* vocat S.Thomas à Villanoua *conc.*2.de Annuntiatione, cùm ait: In poetarum figmentis legimus, Pandoram quandam mira sui pulchritudine etiam suis factoribus stupori fuisse. Hæc

nostra Pandora Deo suo non stupori, sed amori magis fuit: placuit virginitate, placuit puritate, placuit humilitate, placuit denique omnigena morum virtute. Andreas Cretensis or. 1. de dormit. Deip. *Palatium terrenum Cælestis Regis; Profunditatem inexplicabilis incuacuatæ plenitudinis eius, qui omnia implet in omnibus*: or. in salut. Angel. *Palatium Regis consecratum*: or. 2. de Assumpt. *Partem, quæ indissolubiliter, & non per diuisionem, Deo vniuit hominem; Portam sublatam super Cælos Cælorum; Potentiam, quæ non potest labefactari; Propugnaculum fidei Christianorum*: & canone in Conceptionem passiuam B.V. *Portam impertransibilem*: Proclus or. de nat. Dom. *Panegyrim salutaris reconciliationis; Paradisum spiritalem secundi Adami*: Hymnus Græcus apud But. p. 129. *Paradisum animatum, lignum vitæ Dominum habens, in medio cuius dulcedo vitales facit participes, qui contagioni succubuerant*: Rup. l. 4. in Cant. *Paradisum nouum, Paradisum cælestem, Paradisum voluptatis*; & 3. de off. c. 13. *Portam Cæli maximam, per quam manna pluit*: Cosmas Hierosolym. hymno de exalt. S. Crucis, *Paradisum mysticum illaboratè germinantem Christum*: Gregorius Neocæsar. or. 2. de Annunt. *Paradisum immortalitatis semper vigentem*; & or. 3. *Portam Cælorum; Paradisum Dei ratione præditum*: Andreas Hierosol. in salut. Angel. *Paradisum viuidi salutis nostræ ligni, quæ ipsum horti Eden. colonum, Christum, inquam, Dominum, intra se habet, figuris in se adumbratum: qui ineffabili quadam potentia, fluminis instar, viuiparum vterum eius egressus, Orbis faciem irrigauit*: S. Ephræm in laud. B.V. & S. Bonauentura ibidem nu. 3. *Paradisum deliciarum, totiusque amœnitatis, & immortalitatis*: Basilius Seleuc. or. 39. *Paradisum florentissimum virginitatis, in quo lignum vitæ satum produxit fructus omnibus salutares, & ex quo Euangeliorum fons, in quatuor ora sectus, miserationum flumina credentibus diduxit*: Damascenus or. 1. de B.V. *Paradisum animatum noui Adami, in quo plantatum est lignum vitæ*: or. 1. de natiu. B.M. *Pelagum gratiarum; Plantam feracissimam Virginitatis; Portam vitæ, lucis fontem*: or. 2. de assumpt. *Pelagum gaudij inexhaustum; Pelagum sanationum; petram, quæ potionem, sitientibus vitam, tribuit; pharmacum ex omni pectore dolorem propulsans*; & Ephymnio de S. Trinitate, *Procuratricem solam supernaturalium bonorum mortalibus*: S. Germanus or. de præsent. Deip. *Perfectionem diuinarum ordinationum, pretium pretiorum, præmium præmiorum, exaltiationem exaltationum; Patrocinium, lætitiam, oblectationem omnium*: Euthychianus in narratione de Theophili pœnitentia, *Parentem Dei solam verè & propriè, defensionem nostram, recreationem eorum, qui ad ipsam confugiunt, quæ est sola nubes lucem ferens, quæ educata fuit in Sanctis Sanctorum; Parentem Dei intemeratam, quæ*

est hominibus pons ad Deum; spes eorum qui spem abiecerunt; refugium eorum, qui sunt vexati: quæ humanæ naturæ sustulit maledictum: veram portam, quam peccatores pulsamus, & sæpe aperitur, & offert preces nostras Deo nostro: Laurentius Iustinianus de casto connubio Verbi cap. 9. *Pauorem spiritualium nequitiarum*: S. Ephræm in laud. B.V. *Pacem, gaudium; consolationem, & salutem mundi; portum naufragantium tutissimum; portum sine tempestate; portum tranquillissimum, & à fluctibus procellisque agitatorum liberatricem desideratissimam; præconium Patrum, & decus Prophetarum; principem omnium prudentissimam & sagacissimam; Propitiatorium laborantium, Pulchritudinem Martyrum, & Sanctorum Coronam*: Hymnus Græc. apud Buteon. p. 133. *Peluim conscientiam emundantem*: Richardus à S. Laurentio l. 12. p. 762. *Pincernam gratiarum*; l. 3. p. 181. *Primiceriam Virginitatis*; & l. 9. p. 914. *Puteum semper viuentis aquæ*: Methodius or. de hypap. *Pinguedinem omnis sacrificij; portam, per quam Deus in carne oritur; promptuarium diuinæ caritatis; propitiatorium, ex quo Deus hominibus humana forma innotuit*: Petrus Blesensis ser. 2. *Piscinam probaticam, in quam descendit magni consilij Angelus*: Hymnus Græcus apud But. p. 125. *Placationem iusti Iudicis*; 117. *Plagam dæmonum luctuosam; Pontem homines à terra traducentem in Cælum; Portum nauigantium ad vitam*; 126. *Promptuarium Prouidentiæ Dei*; 127. *Pontem traducentem omnes de morte ad vitam; propitiatorium mundi*; 123. *Pomum odoriferum pariens odoramentum Regis*: Ioannes Geom. in catena Corderij ad cap. 1. Lucæ ver. 36. *Portam perviam simul & clausam*: S. Augustinus ser. 6. de temp. *Portam Cælorum*: S. Ambrosius in Virginis institut. cap. 8. Hieronymus in cap. 7. Isa. & 44. Ezech. S. Augustinus ser. 2. de assumpt. *Portam clausam in Oriente, quæ introduxit portarum Regem*: Theodorus Studita Ode 8. Cant. pro SS. Imag. *Portum securum Christianorum*: Cathemerinon Græc. per Syluium, *Præsidium inexpugnabile oppressorum*: Crysippus or. de Deip. *Pratum totius fragrantiæ S. Spiritus*: Georgius Nicomed. or. de Præsent. B.V. *Pratum pratorum maximè odoriferum, & varium, & incorruptione coronans eos, qui decerpunt, non vernis comatum floribus, qui speciei habent delectationem, quæ facilè marcescit, sed emittens gratiæ bonum odorem*: Giselb. cap. 19. alterc. *Principem Virginum prauiam*: S. Ignatio adscripta epistola 1. ad S. Io. Euang. *Prodigium cæleste, & sacratissimum spectaculum, in quo humanæ naturæ natura sanctitatis Angelicæ sociatur*: Grēc. Nicom. or. de Oblat. *Pulchritudinem pulcherrimam, pulchritudinis pulchrorum omnium summū ornamentum*: Epiphanius or. de laud. Deip. & Hugo à S.V. ser. 46. *Purpurā regiā, quæ Cæli terraque Regem vestiuit*: S. Ildephonsus ser. 1. de assumpt. *Puteum aquarum viuentium*.

Q. Ioannes Geometra hymno 1. de B. V. eandem vocat, *Quadrigam Eliæ virtutibus trahentibus constitam:* Guillelmus paruus in cap. 1. Cant. & Hesychius ser. 2. de Deip. *Quietem & lectulum Dei:* Matthæus Philadelphus Episcopus Ephesinus or. ad B. V. *Quietem tranquillam nauigantium in seculi pelago:* Hugo à S. Vict. ser. 47. & 55. Honorius Augustodunensis in sigillo sub init. in expos. ep. festi Assumpt. Richardus à S. Laur. l. 12. in tota 6. particula horti conclusi, & Raym. Iord. p. 14. à c. 41. ad 52. *Quasi varias arbores, aliaque illustria inanimata esse Deiparam monstrant.*

R. *Rachel*, sua pulchritudine, esse figuram B. Virginis, D. Antoninus, & Richardus à S. Laurentio ostendunt. Idemque de *Rebecca* demonstrat S. Bonauentura, S. Antoninus, & B. Albertus, in Biblia Mariana, vbi ait: Ipsa est fontis vitæ hausorium, & animarum sitibundarum refocillatrix. Rebecca, quæ interpretatur patientia, idest, Maria egrediebatur, scilicet in Natiuitate, quando nata est, habens hydriam in scapula sua. Glossa: Verbum Dei humiliter susceptura. Puella decora nimis, Virgoque pulcherrima, & incognita viro. Descenderat autem ad fontem: Glossa: Vitæ, ad quem se inclinauerat hauriendum: & impleuerat hydriam cordis, gratia, venia, gloria. Dixitque seruus ei: Pauxillum aquæ mihi ad bibendum. Glossa: De salute animæ. Præbe de hydria tua: quia de mundi hydria hausi vanitatem, de hydria diaboli iniquitatem. Quæ respondit: Bibe Domine. Celeriterque ei dedit potum, & adiecit: Quin & camelis tuis hauriam aquam, gratiæ, veniæ, lætitiæ, donec cuncti bibant. *Cant.* 5. Bibite & inebriamini carissimi. Haustum igitur omnibus camelis dedit, vnde & largissima est. Hæc est illa Rebecca, inquit Canisius, verè alma, hoc est, adolescentula abscondita, viro incognita, eximiè speciosa, inter plurimas electa, à magno Patre conquisita, pretiosis dotata monilibus, & singulari pudore cohonestata Virgo, solaque digna reperta, cui verus Isaac, Omnipotentis nempe Patris filius, idemque omnis lætitiæ nostræ fons, beatissimo spiritualium nuptiarum vinculo coniungeretur. Cæterùm, Bernardus in medit. super salue Regina Deiparam nominat, *Radium Deitatis:* Hym. Græc. apud Bulp. 132. *Radium solis intelligibilis:* 127. *Receptaculum sapientiæ Dei:* 126. *Reductricem contrariorum ad idem:* 13. *Resonantiam Prophetarum, ornamentum Apostolorum:* Methodius or. de hypap. *Radicem floris speciosissimi:* Ollib. c. 19. alterc. *Radicem æterni floris, florem & fructum æternæ benedictionis:* Epiphan. or. de laud. Deip. *Radicem gloriæ:* Chrysippus or. de Deip. *Radicem omnium bonorum:* Bernardus de natiu. B. V. *Rationem totam spei nostræ:* & epist.

D. Ant. par. 4. tit. 15. c. 10. §. 2.
Rich. de laud. B. V. lib. 5.
S. Bon. ser. 2. de B. V.
S. Ant. lo. cit. c. 14. §. 3
B. Alb. l. Genes. num. 10.
Gen. 24.

Canis. de Deip. lib. 1. cap. 2.

174. *Restauratricem seculorum*: Gregorius Neocæs. or. 4. de annunt. *Receptaculum capacissimū naturæ incomprehensibilis*: Theophanes hymno de Annunt. *Receptaculum Dei, Reuocationem Adæ, Euæ Redemptionem*: Cosmas Ierosol. hymno in Pentec. *Receptaculum illocabilis*: Petrus Damiani ser. de Annunt. Philippus Abbas l. 4. in Cant. c. 5. Honorius Augustod. in sigillo S. Mariæ c. 3. *Reclinatorium aureum, in quo solo Deus, post tumultus Angelorum & hominum reclinauit, ac requiem inuenit*: Andreas Cretensis or. 2. de Assumpt. *Reconciliatorium commune, Reginam omnis humanæ naturæ*: S. Germanus or. de fasciis Saluatoris, & Zona Deip. *Recreationem potentissimam eorum, qui affliguntur*: S. Ephræm in laud. B. V. *Reginam & Dominam cunctis sublimiorem; Reginam supernorum Ciuium, & Dominam Angelorum; Reseramentum portarum Cælestis Paradisi; Restaurationē & Resurrectionem Adami*: Amed. Laus. ho. 8. *Reginam Cæli, matrem vitæ, fontem misericordiæ*: S. Greg. VII. lib. 8. ep. 22. *Reginam summam Cæli, super omnes Choros Angelorum exaltatam, decus & gloriam omnium mulierum, salutem & nobilitatem omnium Electorum; quia sola meruit Virgo & Mater edere naturaliter Deum & hominem, caput & vita omnium bonorum*: Fulb. ser. de Natiu. B. V. & Ep. 174. *Reginam Virginum prudentum*: Laurent. Iustin. ser. de Natiu. B. V. *Reparatricem seculi*: S. Bonau. in spec. *Requiem sanctissimæ Trinitatis*: Hymn. Græc. de B. V. apud But. p. 111. *Releuationem Adami, solutionem maledictionis*: p. 128. *Robur, & munitionem hominum*: S. Ephræm cit. S. Bonau. in laud. B. V. nu. 7. Hesychius or. 2. de Deip. Crysippus or. de Deip. Theophanes hymno de Annunt. & Adamus de S. Vict. in prosa de Purific. *Rubum ardentem, qui non exuritur*: Proclus or. de nat. Dom. *Rubum natura animatum, quem diuini ignis partus non combussit*. B. Hermannus apud Surium 7. April. c. 12. absolutè nominabat B. Virginem, *Rosam*: S. Anselmus l. 10. medit. in 10. & S. Gertrudes l. 3. diuin. insinuat. c. 19. ab ipsa Deipara edocta, *Rosam Cælicæ amœnitatis*: S. Dam. or. de nat. B. V. & Hugo de S. Vict. toto ser. 65. *Rosam ex spinis Iudaicis ortam, diuina fragrantia omnia perfundentem*.

S. Bonau. in spec. B. V. lect. 13.

S. Maria, inquit S. Bonauentura, signata est per Reginam *Sabba*, de qua dicitur: Et ingressa Hierusalem multo cum comitatu, & diuitijs, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretiosas. Considera in his verbis gloriam ingredientis Mariæ in cælestem Hierusalem &c. Attulit namque secum aurum infinitum dilectionis Dei & proximi, gemmas pretiosas virtutum & donorum, aromata bonorum operum & exemplorum. Parum est enim quod de thesauris Mariæ dico, respectu eius quod B.

Bernardus, Mariam alloquens, dixit. In manibus, inquit, tuis sunt omnes thesauri miserationum Domini. Absit vt cesset manus tua: neque enim gloria tua minuitur, sed augetur, cùm pœnitentes ad veniam, iustificati ad gloriam assumuntur. Ingressa igitur est Mater Domini ad gloriam, tanquam Regina Cælorum: ingressa est cum multo comitatu Angelorum: ingressa est cum diuitijs innumerabiliū meritorum. *Saram* etiam vocat S. Bernardinus, his verbis: Mater Domini omnis creaturæ, effecta est Domina omnis creaturæ: igitur quia genuit Creatorem, Domina facta est omnis creaturæ. Vnde meritò dici potest ad quamlibet Creaturam illud *Gen.* 16. Reuertere ad Dominam tuam, & humiliare sub manu ipsius. Ad literam dicitur ad Agar de Sara. Quippè ipsa est verè Sara, quæ Princeps interpretatur: quæ verum genuit Isaac, scilicet, Filium Dei; in cuius semine benedicentur omnes gentes, per quem omnis creatura principatum habuit. Proindè *Eccl.* 24. in persona Virginis Mariæ ait: In omni gente & populo primatum habui. Imò si fas est dicere, non tantùm facta est Domina omnis creaturæ, verùm etiam ipsius Creatoris, sicut *Lucæ* 2. scriptum est: Et erat subditus illis. Proindè hæc (propositio) est vera: Deo subdita est omnis creatura, & B. Virgo: B. Virgini subdita est omnis creatura, & Deus. Ideò, inquit S. Bonauentura, obsecrare possumus Mariam, sicut Abraham obsecrauit Saram, dicens: Dic obsecro, quòd soror mea sis, vt benè mihi sit, propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui. O ergò Maria, ò Sara nostra, dic quòd sis soror nostra, & propter te benè nobis sit à Deo; & ob gratiam tui viuant animæ nostræ in Deo. Dic, inquam, carissima Sara nostra, quòd sis soror nostra, vt propter talem sororem Ægyptij, idest dæmones nos reuereantur: vt etiā, propter talem sororem, Angeli nobis in acie coniungantur: vt insuper, propter talem sororem, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus nostri misereantur. Ad hæc, Honorius Augustod. in sigillo S. Mariæ, Deiparam nominat, *Sacellum Spiritus sancti*: Epiphanius or. de laud. Deip. *Sacerdotem pariter & altare panis vitæ, Seraphim incomprehensæ visionis, sponsam Trinitatis*; & or. de B. V. *Spem vnicam Christianorum*: Petrus Damiani ser. 3. de Nat. B. V. *Sacrarium plenitudinis totius diuinitatis; scalam cælestem, per quam supernus Rex humiliatus ad ima descendit*; opusc. 33. c. 4. *Speculum virginalis munditiæ*; & ser. de Assumpt. *Stellam matutinam in medio nebulæ; quæ, in Cæli cardine summo splendore coruscans, orbem subditum splendidioribus radijs incolorat*: Anselmus alloq. cæl. 22. *Sacrarium omnium virtutum*; & hymno 2. de varijs festis B. V. *Stellam demonstrantem solem, solem diei mysti-*

S. Bernardin. ser. 3. de glorioso nom. Mar. ar. 1. c. 1.

S. Bonau. in spec. lect. 6.

ci: Rupertus l.4.in Cant. *Sacrarium scripturarum sanctarum*: S.Hildefonsus l.de virginitate S.Mariæ c.10.Beda ser.de omnibus SS.& Giselb.in altere. c.7. 14.& 19. *Sacrarium Spiritus sancti*: S.Ephræm in laud.B.V. *Salutem firmam omnium Christianorum ad eam recurrentium; scalam ascensumque omnium; sceptrum cunctis imperans; solatium mundi; spem Christianorum: spem vnicam Patrum, gloriam Prophetarum, præconium Apostolorum, honorem Martyrum, lætitiam Sanctorum Abraham, Isaac, & Iacob: decus Aaron, splendorem Moysis, & Gedeonis vellus, cœtus Hierarchiarum, omniumque Sanctorum ac Virginum coronam &c. Stellam fulgidissimam ex qua Christus processit.* S.Bernardus ser. de natiu.B.V.& ep.174. *Scalam peccatorum*: S. Augustinus ser.15. de SS.& S.Fulgent. ser. de laud. B.V. *Scalam cælestem, per quam Deus descendit ad terras*: Andreas Cretensis ser.1. de dormit. Deip. *Sanctuarium totius sacri cultus & sacrificij*; or.2.de Assumpt. *Statuam à Deo sculptam: Scopum, qui excogitatus fuit ante secula*: S. Bonauentura in laud. B.V.n. 6. *Scalam Iacob*: Ioannes Geom. in catena Corderij ad c.1.Lucæ ver. 36. *Scalam, per quam descendit Deus, sed ascendit homo, à terra quidem incipientem, sed ad Cælum pertingentem*: Anastasius Antiochenus or. de Annunt. *Scalam ad Cælum extensam, Paradisi portam, ingressum ad incorruptionem, hominum ad Deum vnionem ac consentionem*: Damascenus or.1. de Natiu.B.V. & or.de Assumpt. *Scalam viuam cuius locum Iacob conspexit: simulachrum diuinum ac viuum*: Hymnus Græc. ap. But.p.138. *Seruatricem omnium fidelium*: Gregorius Neocæsar.or.2. de Annunt. *Simulachrum immaculatum Puritatis & Integritatis*: Philippus Abbas l.6. in Cant.c.6.Rich. à S.Laurent. l.7.à p.453.& Iordan. p.14.c.13. *Solem mysticum*: Acta S.Bernardi 20.Maij, *Spem mortalium*: Basilius Seleuc.or.de Annunt. *Spem totius mundi*: Laur. Iustinianus ser. de Natiu. B.V. *Spem delinquentium*: Prosa de Concept.apud Clictou. l.4.Elucid. *Spem certam miserorum, matrem orphanorum, leuamen oppressorum, medicamen infirmorum, omnibus omnia*: S. Germanus or. de Præsent. *Splendorem iacentium in tenebris*: & or.de zona Deip. *Spiritum & vitã Christianorum*: S.Odilo ser.14.& S.Bernard.ho.2.super missus est, *Stellam maris*: Petrus Damiani ser.1. *Stellam Solem procreantem*: Hesychius or. 2. de Deip. *Stellam vitæ*: S. Odilo hymno de Natiu. B.V. *Sydus inclytum, illustrans omne seculum, per quod dies & tempora assumunt vitæ lumina*: S.Anselmus l.10. medit.in 10. *Sydus præfulgidum inter primæuas lucernas diuini luminis susceptiuas.*

T. Andreas Hierosol.or.in salut. Angel. *Tabernaculum cæleste solis gloriæ; Thesaurum vitæ immarcescibilis*: Andreas Cretensis or.1. de Assumpt. *Tabernaculum gratiarum Dei*: or.2. *Tabernaculum sanctissimũ*

Verbi omnium Creatoris: or. in salut. Angel. *Tellurem virginalem, ex qua nouus Adam ineffabili fictione formatus est, qui veterem saluti restitueret; Templum magnificum Diuinæ Gloriæ*: or. 3. de dormit. Deip. *Terminum testamentorum à Deo conditorum*: 3. de Assumpt. *Terram verè desiderabilem*: 2. de Assumpt. *Thecam nouam vnguenti, quod minimè exinanitur; Thesaurum absconsi ante secula mysterij; Thesaurum sanctissimum omnis sanctitatis, Thronum excelsum*: S. Germanus or. de Natiu. B.V. *Tabernaculum non manu factum, atque à Deo conditum, in quod semel in consummatione seculi, solus Deus ac summus Pontifex introiuit, occultè in se rem faciens diuinam; Tomum purissimum ac animatum Dei Verbi; in quo sine voce & scriptura ipse inscriptus Deus & Verbum per diem legitur; & Typum Virginitatis*: Dionysius Alexandrinus ep. contra Paulum Samosatenum ad q. 7. in fine, *Tabernaculum non manufactum, idest, non huius creationis*: Athanasius ser. de sanctiss. Deip. *Tabernaculum fœderis*: Arnoldus nouæ Vallis in encomio Deip. *Tabernaculum Dei habens in se Sanctum sanctorum, Virgam signorum, tabulas testamenti, altare incensi*: Gregorius Nicomed. or. de Oblat. *Tabernaculum Domini, quod nostrum, quod ceciderat, erexit tabernaculum*: Honorius Augustod. in sigillo S. Mariæ, initio, *Tabernaculum Dei, in quo veniens requieuit, & de quo vt sponsus de thalamo processit*: S. Ephræm in laud. B. V. *Tabulam scriptam legem mortalibus afferentem; Thuribulum aureum*: Proclus or. de Nat. Dom. *Telam admirandæ œconomiæ, in qua tunica admirabilis illius vnionis confecta est, cuius textor Spiritus sanctus; netrix virtus, ex alto obumbrans; lana, vetusta Adami pellis; trama, impolluta Virginis caro; radius textorius, immensa gestantis gratia; artifex, Verbum per auditum illapsum; Thalamum in quo Verbum carnem humanam sibi desponsauit; Thesaurum purum illibatæ Virginitatis*: Sergius Hierop. or. de Natiu. B.V. *Templum sanctum, receptaculum Diuinitatis, organum virginale, regium thalamum*: Epiphanius or. de laud. Deip. *Templum & Thronum Diuinitatis, qui coruscantem in Cælo & terra solem habet; Thesaurum dispensationis planè arcanum*: S. Hildefonsus l. de virgin. S.M. c. 10. *Templum singulariter vnicum factoris sui*: cap. 3. *Terram, de qua veritas oritur, quæ dedit fructum suum*: Hesychius or. de Deip. *Templum maius Cælo*: S. Damasc. or. 1. de Natiu. B.V. *Templum Dei sanctum, quod ille pacis Princeps Salomon spiritualiter construxit, & habitauit; non auro & inanimis lapidibus ornatum, verùm auri loco spiritu fulgens; pro lapidibus autem pretiosis, margaritam ingentis pretij, Christum habens*: S. Ambrosius l. de instit. Virg. c. 5. *Templum pudoris, honestatis, puritatis*: Basil. Seleuc. or. de Annunt. *Templum verè Deo dignum, castitatis aromatibus benè odoratum, quod magnus inhabita-*

uit Pontifex: Augustinus ser. 2. de Assũpt. & Anselmus de excell. B. V. cap. vlt. *Templum misericordiæ Dei*: Amphiloch. or. in S. Deip. *Templum sanctum spei nostræ, in quo sanctitas omnis, & sapientia residet*: Rupertus l. 7. de process. Spiritus S. c. 13. *Templum proprium Charitatis*: Petrus Chrysologus ser. 144. *Templum magnum Deitatis*: Dionys. Alexandr. ep. ad Paulum Samosat. ad q. 10. *Terram habentem omnia*: S. Bruno in psal. 101. *Terram incorruptam, cui benedixit Dominus*: Guarricus ser. 2. de Annunt. *Terram benedictam; quæ nec tacta, nec fossa, nec seminata, de solo rore Cæli, Saluatorem germinauit, & mortalibus panem Angelorum, alimoniam vitæ æternæ ministrauit*: Andr. Cretens. or. 3. de Assumpt. *Terram virginalem, è qua secundus vetere antiquior processit Adam; Terram ferentem aromata*: Petrus Damiani ser. 3. de Natiu. B. V. *Terram repromissionis, quæ longè ante paritura Saluatorem Mundi, à Prophetis multifariam est promissa; quæ verè lac & mel manauit, dum Deum & hominem intemerata Virginitate profudit*: Theodotus Ancyr. ho. 2. de Nat. Salu. in Conc. Ephes. *Terram sine semine, fructum germinantem Saluatorem; Terram Virginem, meliorem prima terra virgine*: Ioannes Geom. in catena Corderij ad cap. 1. Lucæ ver. 36. *Terram semper sui similem refertam diuinis alimentis, & manna panem incultum proferentem, arationis expertem & sationis*: Laurentius Iustin. de casto connubio Verbi & animæ cap. 9. *Terrorem diaboli*: Proclus or. de Nat. Dom. & Andreas Hierosol. or. in sal. Angel. *Thalamũ, in quo Verbum carnem humanam sibi desponsauit*: Gregorius Neocæs. or. 3. de Annunt. *Thalamũ purum natiuitatis Dei secundùm carnem*: Raym. Iordan. in prologo, *Thesaurariam gratiarum Dei*: Hesychius or. 2. de Deip. *Thesaurum locupletantem*: Hymnus Græc. apud But. 123. *Thesaurum Puritatis*: Theostericus in canone conciliatorio, & Andr. Cretensis or. 1. in Natiu. S. M. *Thesaurum salutis*: Commemor. Græc. 21. Nou. *Thesaurum sacratum gloriæ Dei*: Epiphanius or. de laude Deip. *Thronum Cherubicum, cruciformem, cælestem*: Hesychius or. 2. de Deip. *Thronum sanctum, & solum dignum, qui Sanctum sanctorum gestaret in terra*: Georgius Nicomed. or. de Præsent. B. V. *Thuribulum aureum, in quo Verbum, quod carnem assumpsit, bono odore impleuit Orbem terræ; in quo combusta fuerunt crimina inobedientiæ; per quod liberatur aer à molestia inquinamentorum; per quod bonus odor spiritus spirauit in homines*: Missa Æthiopum ex S. Matthæo, *Thuribulum aureum, quæ carbonem ignitum portasti*: S. Bonauentura in laud. rythm. B. V. S. Thomas opusc. 8. *Triclinium Deitatis*: Adam de S. Vict. in prosa de Assumpt. *Triclinium nobile totius Trinitatis*: Theostericus in canone conciliatorio, *Turrim propugnaculi*: Autor ser. 4. in salue Regina apud

Bernard. *Turrim Libani cum propugnaculis*: Hymnus Græc. apud Bu. p.134.& Iordan.par.14.cap.37. *Turrim immobilem Ecclesiæ*: Richard. à S.Laur.l.11.p.686. Autor ser.4.super salue Reg. Hailgrinus & Rupertus in 4.Cant. *Turrim fortissimam*: Hesychius or.2.de Deip. *Turturem mundam*: Aponius l.4. in Cant. *Turturem pudicissimam*: & B. Albertus ser.2.de Assumpt.sic ait: Hæc est, sicut *Turris Dauid*, idest, manu fortis: quia fideles in ea forte refugium inueniunt. Et hæc est ædificata cum propugnaculis, idest, adiutorium habet à Patre, & Filio, & Spiritu sancto. Mille etiam Clypei, idest, omnium Angelorum præsidia pendent ex ea, ad defensionem ipsorum, qui confugerunt ad ipsam. Omnis etiam armatura fortium pendet ex ipsa; quia omnes Electi eum, quem ipsa adiuuare voluerit, adiuuabunt. Facta est hæc Turris, inquit S. Thomas à Villanoua, Ecclesiæ propugnaculum, & peccatorum vnicum refugium, vt ad ipsam confugiant omnes rei, omnes mœsti, omnes afflicti; & ea protegente liberentur ab hoste. O homo, in quacunque tribulatione, ad Mariam fuge, siue peccatis afflictus, siue persecutionibus attritus, siue tentationibus turbatus, hanc Turrim petito, ad Mariam confugito: mille enim clypei pendent ex ea. Proindè, cum Venerabili Viro ego quoque sic eandem imploro: O *Turris Dauid, ex qua pendet omnis armatura fortium*, arma me inermem famulum tuum, supplicantem tibi in angore spiritus mei; quatenùs auxilio tuo fortior, felicior dimicem aduersùs Philistęos ipsos, crudelissimos animę meæ hostes, qui quasi totidem gigantes obsident me. Nam & virtus cordis mei attrita est à diuturnitate terribilis prælij: tremuntque omnia interiora mea, non modò quia canes multi obsederunt me, verùm etiam quia sagittæ Domini ebibunt spiritum meum, & terrores eius militant aduersùm me. Ad te confugio, ò potentissima Reginarum, quæ contriuisti caput serpentis, vt sub vmbra protectionis tuæ certem bonum certamen, faciamque tandem victoriam magnam, ac postremò cantem in æternum inæstimabiles misericordias tuas.

S.Th. à Vill. conc. 1. de Assumpt.

Ioannes à Iesu Maria to. 4. epist. ad B. V.

V. S.Ephræm in laud. B.V. Deiparam vocat, *Vallum fidelium, mundique salutem; Vas Dei præclarum & electum; Vellus Gedeonis; Virgam Aaron efflorescentem per Spiritum sanctum; Vrnam pulcherrimam Cæli manna gestantē*: S.Hildef. de Virgin. S.M.c.10. *Vas sanctificationis*: Arnoldus Carnot. de tertio Christi Verbo, *Vas aureum continens manna*: S.Germanus or. de fascijs Saluat. & zona Deip. *Vas ex quo recreationis manna, nos malorum ardoribus arefacti ebibimus*: & or. de Natiu. B.V. *Virginem acquisitionis, Vitem mysticam, & à Deo consitam; quæ inuexca idis Ecclesijs sarmentum nobis protulisti, & igneum botrum incorrup-*

tionis germinasti : & or.de Natiu. B.V. *Velamen alterum Sanctorum, in quo elegans propitiatorium Cherubim*.. S.Anselmus alloq.cæl.27. *Vas & templum vitæ salutis vniuersorum* : 21. *Virginem nouam, & intemeratam, facinus antiquæ virginis expiantem: Virginem prudentissimam, Virginem serenissimam* ; 24. *Virginem singularis meriti, solam sine exemplo*: 28. *Virginem intemeratam, & in æternum benedictam; specialem & incomparabilem Virginem, Dei genitricem, gratissimum Dei templum, Spiritus sancti sacrarium, ianuam Regni Cælorum, per quam post Deum totus viuit Orbis terrarum*: Fulbertus ser.2.de Nat.B.V. *Vas virgineum diuinis charismatibus & margaritis ineffabiliter ornatum, in quo qualitas Dei mista homini compaginaretur corporaliter* : Greg. Neocæsar. or.2.de Annunt. *Vas atque receptaculum supercælestis lætitiæ, & mysteriorum omnium* : Adam de S.Vict. in prosa de Assumpt. *Vas electum, vas honoris, vas cælestis gratiæ, ab æterno vas præuisum, vas insigne, vas excisum manu sapientiæ* : Gregorius Nicomed. or.de Præsent.B.V. *Vas pretiosum Virtutum*: Hymnus Græc. apud Bur. p.122. *Vas lætitiæ, per quam primæ Matris maledictio dissoluitur* : 126. *Vehiculum sanctissimum eius, qui est super Cherubim*: Andreas Cretensis or.1.de dormit. Deip. *Vehiculum perspicuissimum spiritalis lucis: Vitulam iugi expertem; saginati vituli parentem* : *Vellus mundissimum cælesti pluuia madens, è quo Pastor ouem induit*: S.Ephræm in laud.B.V. S.Bernardus ho.2.in Missus est, Adam de S.Vict.in prosa de Purif.& S. Bonau. nu.11: *Vellus Gedeonis* : Methodius or.de Hypap. *Vellus imperceptibilis roris* : *Vestem absque macula, eius qui lumen induit sicut vestimentum* : Petrus Chrysologus ser. 143. *Vellus virgineum, cui cælestis imber placido se fudit illapsu; & tota Diuinitatis vnda bibulo se nostræ carnis celauit tegmine, donec per patibulum Crucis expressum, terris omnibus pluuiam se salutis effunderet* : Richardus à S.Laur. l.12. p. 904. *Vellus sanctum* : S.Ambrosius ser.13. *Vellus de quo omnes vestiti*: & in Virg. instit. c.9. *Virgam Iesse*: Richardus à S.Vict.c.42.in Cant. *Venam veniæ, fontem vitæ*: Raym.Iordan. p.14.c.54. *Venam aquarum* : Petrus Damiani ser.3. de Natiu.B.V.& Richard.à S.Laur.l.12. p.927. *Vineam sanctam, cuius hortus Christus*: Chrysippus or.de Deip. *Virgam Iesse semper virentem, quæ generi humano vitam pro fructu attulit*: Augustinus ser. 18. de temp. Andreas Cretensis or.1.de dormit. Deip. & S.Bonau.in laud.B.V.num.5. *Virgam Aaron frugiferam supra naturam*: Raym.Iordan.p.14.c.56. *Virgulam fumi*: Hesychius or. 1. de Deip. & Fulbertus & ser.2. de Natiu. B.V. *Virginem secundam, miseriæ omnis fœmineæ expultricem* : Rupertus l.1. in Cant. post Sedulium, *Virginem Virginum, nec primam similem visam, nec habere sequentem* : Guarricus ser.1. de Annunt. *Virgi-*

nem Virginum, omnium plenam gratiarum: Petrus Chrysologus ser. 143. *Virginem maiorem Cælo, fortiorem terra; Orbe latiorem, quæ Deum, quem mundus non capit, sola cepit*: Giselbertus in altercat. cap. 7. *Virginem florentissimam, fructu speciosissimam, vita & moribus præcellentissimam*: Aldelmus de laude Virginit. c. 22. *Virgulam radicis, gemmulam floris, auroram Solis, nurum Patris, genitricem & germanam Filij, simul sponsam & felicem vernaculam, sanctarum socrum animarum, supernorum Reginam ciuium, columbam inter sexaginta Reginas & bis quadringentas pellices*: Andreas Cretensis or. 2. de Assumpt. *Vitam viuentium, causam vitæ, suppeditatricem vitæ*: Epiphanius or. de laude Deip. *Vitem veritatis fertilissimam, minimè vindemiatam*: S. Bonauentura in Psalt. min. quinquag. 3. *Vitem ferentem botrum, per quem pulsa mundi sitis*: Theochion. apud But. p. 135. *Vitem veram, quæ germinauit fructum vitæ*: Methodius or. de hypap. *Vmbraculum Spiritus sancti*: Hymn. Græc. apud But. p. 135. *Volumen, in quo Verbum scriptum est digito Patris*: Iosephus Confessor in Menæis 6. Martij Ode 7. *Volumen intaminatum recentissimi nitoris, cui sapientia diuina est inscripta*: Amed. Lauf. hom. 1. Damascenus canone 1. Anastasino, Epiphanius or. de laud. Deip. & S. Bonau. in laud. B. V. num. 8. *Vrnam auream continentem manna cæleste*. Et demum, *Vrnam omnium perfectionum*, multi dixerunt. Sicut enim in creatione Mundi, inquit S. Thomas à Villanoua, in homine collecta est omnis creatura, ideò microcosmus, sic in reformatione mundi in Virgine collecta est omnis Ecclesia, & Sanctorum perfectio, vnde Microcosmus Ecclesiæ dici potest. Quicquid in quolibet Sancto fuit illustre, in illa fuit: in illa patientia Iob, mansuetudo Moysi, fides Abrahæ, castitas Ioseph, humilitas Dauid, sapientia Salomonis, zelus Eliæ: in illa puritas Virginum, fortitudo Martyrum, deuotio Confessorum, sapientia Doctorum, contemptus mundi Anachoretarum: in illa donum sapientiæ, scientiæ, & intellectus: donum pietatis & fortitudinis, & omnia dona spiritus, & omnis gratia gratis data, quam ponit Apostolus. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium; idest, omnis virtus Sanctorum, qua armati sunt contra vitia. Vnde Dominus: In plenitudine Sanctorum detentio mea. Propter quod benè eam vidit Ioannes Sole amictam, & lunam sub pedibus habentem, & duodecim stellis coronatam. Propter quod in Canticis, Quid, inquit, videbitis in Sunamitide, nisi choros castrorum? Talis est dilecta nostra: talis est Mater Domini nostri. Imò nihil diximus: multò illustrior est, absque eo quod intrinsecùs latet. Nam quales fuerint in ea reuelationum radij, ab illo Sole, quem gestabat in vtero: quæ inflam-

S. Thomas à Villan. conc. 3. de Natiu. B. V.

mationes spiritus: qui gustus, qui sensus, quæ dulcedines; sola nouit ipsa, & qui dedit Deus: maior enim gloria Filiæ Regis, & Matris Regis ab intus. Hactenùs ille. Te verò, sancta Deipara, in hac tuæ Natiuitatis Octaua, qua tuas vtcunque laudes exscripsi, cum Iusto Lanspergio sic imploro: O Virgo ab initio, & ante secula creata, in Deo ab æterno præparata, à Parentibus verò Sanctis, solo timore Dei & propter obedientiam conuenientibus, in tempore sanctissima es concepta. O præclara puella, ac lucidissima creatura, à Sole iustitiæ de te progressuro matutina quadam irradiatione præuenta. Qui enim fabricatus est auroram & Solem, te multò puriorem fabricauit suam Matrem. Talem te condidit in tempore, qualem te elegit, & habere voluit in sua æternitate: quia in te & ex te statuit assumere quod sibi perpetuò vnitum foret in vnitate personæ, de quo exiret pretium Redemptionis, Iustificationis, & Beatificationis humanæ. O candida, ò rubicunda, ò electa ex millibus, imò post Deum electissima ex omnibus, quæso ne despicias me sordidum, vilem, ac miserrimum, in peccato conceptum & enutritum, dum adhuc infantula es, dum in vtero es: te desidero, te amare concupisco, gratiam tuam ambio, me tibi commendo & dono: fac sim tuus & talis, cuiusmodi tu in oculis Dei esse voluisti, & qualem me esse velis, aut esse debeo: imò cuiusmodi tibi placerem maximè. O dulcis, generosa, & prælecta Puella, sacrosancta Virgo Maria, respice, & suscipe me tibi donatum. Addam cum B. Henrico Calcariensi: *O Virgo Regina Virginum, summum Trinitatis sacrarium, Angelorum speculum, scalam Sanctorum omnium, tutum peccatorum refugium: cerne ò pia nostrum periculum: in morte placatum tuum nobis ostende Filium, & tuum vultum gratiosum. Amen.* Praxes verò colendæ Virginis fortasse alibi opportuniùs exhibebimus. Interim tamen meos lectores moneo ac rogo, vt virtutes studeant Deiparæ Virginis imitari, frequenter eius aram inuisere, eius imagines honorare, sermonē de eius laudibus instituere, effigiem ad ostium & in cubiculo habere, genibus ab ea deflexis sæpe benedictionem exposcere, eius scapularium induere ac super se deuotè gestare, recitare eius Coronam siue Rosarium, eius gaudia vel dolores vel duodecim Prærogatiuas recolere, ad horarum ictus eam salutare, obseruare eius vigilias, sabbato ieiunare, feria quarta in eius honorem etiam carnibus abstinere, sæpe aliquem ei mortificationis actum offerre; & quod caput est, in eius laudem & cultum, sacrum facere, vel Communionis Sacramentum saltem obire. Mox redeamus in lineam, & Decreti Verbum expendentes, necessitatem solitudinis exponamus.

Lansperg. Theoria 6.

B. Henricum sacræ Carthusiæ Coloniensis Priorem cælitùs hāc precem edoctum refert Hermānus Crōbach S. I. histor. Vrsulanæ to. 2. lib. 9. cap. 31. ex Dorlādo Carthusiana Familia Chronologo; & addit, quàm efficax sit, ad Dei & Virginis gratiam impetrandam.

DISQVISITIO SEPTIMA.

Secessum vnicuique quàm necessarium vel Ethnici ac Patres existimauerint.

111 SECESSVM. Quàm necessarius sit secessus literarum ac bonarum artium studiosis, argumento est, multorum stylis laudatus, secessus Demosthenis in subterraneum locum, vbi media parte capitis abrasa, vino abstinens, ac fenestris clausis, ad lucernam scribebat, poliebat, & verè elucubrabat orationes. Hinc illæ Poetarum voces: Hor. l. 2. ep. vlt.

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit Vrbes. Et Ouid. l. 1. trist. eleg. 1.

Carmina secessum scribentis & otia quærunt.

Eundem Æneas Siluius sic commendat: *Est insuper magna virorum recreatio mentis, secessus, cùm se aliquis retrahit in solitarium locum, ac vel meditatur, vel legit, vel scribit, totumque se Musis præbet.* L. Seneca clausis foribus, secessum hunc colere se ait, ad posterorum vtilitatem: *In hoc me recondidi, & fores clausi, vt prodesse pluribus possim. Nullus mihi per otium dies exit: partem noctium studijs vindico: non vaco somno, sed succumbo, & oculos vigilia fatigatos cadentesque in opere detineo. Secessi non tantùm ab hominibus, sed etiam à rebus, & primùm à meis. Posterorum negotium ago, illis aliqua quæ possent prodesse conscribo.* Sed si secessus hic studijs, & pangendis carminibus, & componendis libris est vtilissimus; de plangendis siue delendis criminibus, & componenda conscientia, quid dicendum? Porrò, ex D. Chrysostomo; *Ad perfectionem adipiscendam, ingens in secessu subsidium positum est.* Ideò de se Tertullianus; *Secessi*, inquit, *de populo: imò vnicum negotium mihi est; nec aliud nunc curo, quàm ne curem. Vita meliore magis in secessu fruare, quàm in promptu.* Et alio in loco, Saluatoris exemplo, consolatur Christi athletas, & Martyres; docens, carcerem non esse, nisi secessum: *Ipse Dominus*, inquit, *in secessu frequentiùs agebat, vt liberiùs oraret, & seculo cederet. Gloriam denique suam Discipulis in solitudine demonstrauit. Auferamus carceris nomen, secessum vocemus.* Tertulliano sanctus Gregorius Nazianzenus sic accinit: *Pulchra res, solitudo & quies: idque me docet, Eliæ Carmelus, Ioannis Desertum, ac mons denique ille, in quem Iesum secessisse, secumque animo quieto versatum esse, constat.* Et hæc alibi clariùs, ad nostram eruditionem, exponit: *Nam & Elias libenter in Carmelo philosophabatur, & Ioannes in deserto, & Iesus ipse, vt actiones multitudini hominum*

Pius II. ep. 166.

L. Sen. ep. 81

S. Chrys. ap. S. Damasc. l. 1. parall. c. 37.

Tertul. l. de pallio cap. 5.

Tertul. l. ad Martyr. c. 2.

Naz. or. 16. num. 9.

Id. or. 28. nu. 20.

1 Lib. 3. Disq. 32.

que

quæ frequentia, ita preces quieti locisque ab hominum commercio semotis, ferè tribuebat. Quid per hoc sanciens, ac velut lata lege statuens? nempe nobis quoque nonnihil quiescendum esse: vt animo minimè turbido cum Deo versemur, mentemque à rebus vagis, & incertis paululùm reducamus. Posteà significans secessisse Saluatorem, vt nos instrueret, non ex vlla se se colligendi necessitate, subiungit: *Neque enim ipsa secessione opus habebat (quid enim erat, in quod Deus, qui omnia implet, colligi, ac contrahi posset?) Verùm, vt & actionis, & sublimioris occupationis tempus esse disceremus.*

DISQVISITIO OCTAVA.

Cur quæ Deo in secessu vacando agimus, Spiritualia Exercitia dicantur. Et quomodò olim Isaac & Dauid secessum meditatorium instituerint.

112 AD SPIRITVALIA EXERCITIA. Exercitiorum nomine, ex S. Ignatio, intelligitur modus quilibet examinandi propriam conscientiam, item meditandi, contemplandi, orandi secundùm mentem & vocem, ac postremò alias quascunque spirituales operationes tractandi. Ioannes Trithemius generali quadam definitione, quatuor esse tradit exercitia Monachi, lectionem, orationem, contemplationem, & laborem manuum. Thomas à Campis, caput inscripsit, *De Exercitijs boni Religiosi*, quæ sunt renouatio boni propositi, scrutatio sui ipsius, lectio, scriptio, oratio, meditatio, labor manuum. Sed Dionysius Cartusianus caput texuit de sanctis Exercitijs cellæ, atque in eo partitur illa primùm in spiritualia, seu mentalia, corporalia, & mista; deindè in debita, & spontanea; quæ non sunt, nisi contemplatio, meditatio, preces, horarum Canonicarum recitatio, lectio, ieiunium, verberatio, atque his similes occupationes, quibus Exercitiorum Spiritualium attributum est nomen; & de his, sanctus Bonauentura scripsit opusculum, continens Exercitia Spiritualia; Ioannes Mauburnus, Canonicus Regularis, Alphonsus Rodericus, Aloysius Nouarinus, ac sexcenti alij, iusta etiam volumina texuerunt. Igitur conscientiæ discussio, meditatio, contemplatio, oratio, Spiritualia Exercitia dicuntur, per quandam analogiam. Vt enim deambulatio, saltatio, cursus, sunt exercitia corporis; sic illæ mentis ac voluntatis actiones, exercitationes sunt animi. Locus enim in quo versamur, vt loqui-

S. Ign. annot. 1. & 20.
Trith. in reg. S. Ben. c.4. instr. 56. §.3.
Thom. à Kēp. l. 1. de imit. Chr. c.19.
Dionys. Car. l. de laud. vita solitar. c. 21.
S. Bona. t.1. opusc. vl.

tur Ludouicus de Palma, *Exercitium requirit: & ſicut corpora, quæ nec ambulant, nec aliud exercitium faciunt, infirma ſunt, plurimoſque gignunt malos humores; ita ſpiritus, qui ſe non exercet, infirmus ſit neceſſe eſt. Atque adeò Apoſtolus, tanquam præclarus Medicus, dicit: Spiritu ambulate.* Tum addit: vt corpora noſtra pluribus infirmitatibus ſunt obnoxia, ita ſuis morbis ſpiritum non carere, propter varias mutationes, quibus ſubiacet; & exemplum in ſua Societate ſic ponit: Deſerto quis ſeculo, Religioni ſe conſecrat, paucis ille poſt diebus in Nouitiatu ita ſe mutatum miratur, vt ſe non nouerit; ad eum in oratione feruorem peruenit; tam ad omnem mortificationem animatum ſe, ita contemnentem honoris, & de ſui contemptu lætum, paupertatiſque amantem animaduertit, vt nunquam ſe in vllo honore, rerumque abundantia, & mundi libertate, ſimili gaudio perfuſum fuiſſe meminerit, vt ſibi videatur cum omni gratiarum actione dicere poſſe, *Qui ſanat omnes infirmitates meas*. Sed translatus poſtmodùm *ex amæno Nouitiatus viridario ad ſtudia, aliaque Societatis miniſteria, & exteriores occupationes, paulatim ſe (cauſam ignorans) perſentiſcit tepidum in oratione, effuſum in ſenſibus, in honore viuum, ſuarum commoditatum ambientem, in recreationes corporiſque commoda fædè propenſum, querulum, ambitioſum, functionum, & officiorum bonorificorum cupidum, ſeſuaque ex politica & humana lege, & terrena ſapientia gubernantem; quique omnem ſuam quietem ſitam habet in Superioris erga ſe beneuolentia, & cui ſolus ille arridet Superior, qui non imperat, ſed rogat; & vt roget, prius eum conſulit, & petit, Quid tibi vis faciam?* Hæc ille, & his malis humoribus plerique in Religione laborant; qui ſani quidem, ac vegetes ſpiritualibus Exercitijs haberentur.

Palma in exhort. pro Exercit. cōmendat.

113. Vnde, verè olim Religioſi, Aſcetæ appellabantur, hoc eſt pugiles, & athletæ, inſtar eorum, qui varijs corporis laboribus ad confirmandum robur exercebantur. Videmus enim, huic militiæ adſcriptum, vt eſt in Epiſtola ad Demetriadem, *quotidie in cæleſti agone certantem, hoc veluti ſpiritalis quodam palæſtræ exerceri gymnaſio.* Quod S. Ambroſius, declarans illud Dauidis, *Exercebor in mirabilibus tuis;* ſic exprimit, in rem noſtram: *Videtur longa quædam eſſe meditatio, & moroſa quædam mentis intentio, à quo non longè abeſt exercitium, vel animi, vel corporis. Nam vt ille, qui exercet membra ſua palæſtra diutiùs exercet, vt roboret; ita qui exercet mentem ſuam in ſcripturis diuinis, vel in conſilijs, diutiùs exercere debet.* Et declarans, ea verba; *Exercebor in iuſtificationibus tuis;* idem ſic explicat: *Qui autem meditatur, & diligit, & actus ſuos leuat, vt faciat, quæ placent Deo, is debet non negligere, nec tranſcurrere mandata diuina; ſed exercere ſe in his, immorari plurimùm,*

Autor. epiſt. ad Demet. c. 23.

S. Ambr. in pſ. 18. nu. 4.

Id. in pſ. 118. octon.

iustificationes Dei crebrò reuoluens solicitæ mentis affectu.

114 Eandem secedentium exercitationem, siue agonem, & certamen, mirè explicat Tertullianus, cùm ait; *Vos benedictæ* (Animæ) *quodcunque hoc durum est, ad exercitationem virtutum animi, & corporis deputate. Bonum agonem habituræ estis, in quo Agonothetes* (idest, qui certamen instruit, propositis præmijs) *Deus viuus est. Xistarches* (idest, Xysti, & agonis, in quo exercentur Athletæ, custos) *Spiritus sanctus: Corona, æternitatis brauium* (idest, præmium) *Angelicæ substantiæ politia in Cælis, gloria in secula seculorum. Itaque, Epistates vester* (idest, Magister, qui Athletis præest) *Christus Iesus, qui vos spiritu vexit, & ad hoc scamma* (idest, locum certaminis, in quo congrediuntur Athletæ) *produxit, voluit vos ante diem agonis, ad duriorem tractationem, à liberiore conditione seponere, vt vires corroborarentur in vobis.* (Hem secessionem, Hem causam) *nempe enim & Athletæ segregantur ad strictiorem disciplinam, vt robori ædificando vacent: continentur à luxuria, à cibis lætioribus, à potu iucundiore. coguntur, cruciantur, fatigantur: quantò plus in exercitationibus laborauerint, tantò plus de victoria sperent. Et illi, inquit Apostolus, vt coronam corruptibilem consequantur; Nos æternam consecuturi, Carcerem* (tu solitudinem, & secessum intellige) *pro palæstra interpretemur, vt ad stadium tribunalis benè exercitati incommodis omnibus producamur: quia virtus, duritia extruitur; mollitia verò, destruitur.* Hactenùs Tertullianus. Age ergo, quisquis solitudinem adijsti, lætus atquæ hilaris vires exere: & strenuè ad certamen descendens, dic Cubiculo, vbi versaris: *O cella sacræ militiæ tabernaculum, procinctus triumphatoris exercitus, castrum* Dei, *turris* Dauid, *quæ ædificata es cum propugnaculis; mille clypei pendent ex te, omnis armatura fortium: tu campus diuini prælij, spiritualium arena certaminum, Angelorum spectaculum.* Hæc Magnus Basilius, de laude vitæ solitariæ, si eius tamen est opus.

115 Planè Patriarcha Isaac secedebat meditandi gratia in agrum, stata hora, & vt facilè est conijcere, per aliquot dies. Ita in Genesi habes: *Et egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinata iam die.* Vbi velim aduertas, verbum græcum quod latinè, *ad meditandum* exponitur, esse ἀδολεσχῆσαι, quod & sanctus Hieronymus, & editio septuaginta Interpretum, *exerceri*, conuertunt: vt satis apertè videas spiritualia Exercitia prolixioris orationis, & examinis indicari, secessu Isaaci: quem Cornelius à Lapide egressum dicit, *ad faciendum Spirituale Exercitium meditationis*; & ex Alcuino, *fuisse typum Christi; qui, vespere, & nocte oraturus secessit in montem.* Consonat Philo, qui de Isaac; *Meditaturus*, inquit, *ac priuatim acturus cum Deo* (in

Tertul. l. ad Martyr. c. 3.

S. Basil. tract. de laude vita sol.

Gen. 24. 63.

S. Hier. trad. Hebr. in Gen. S. August. q. 66. in Gen. Corn. à Lap. in c. 24. Gen. ver. 63. Philo. l. 2. al leg. legis. & l. quod deter. insid. potiori. Lip. Cat. in Gen. 23. §. 9.

(in campum) *egreditur*. Et rursus, alio in loco; *Vult tamen*, ait, *aliquantum secedere, & solitarius colloqui cum Deo comite in rectam viam inducente eius animam*. Vt ergo cum Aloysio Lipomano, concludam: *Dicemus exercitasse Isaac Spiritum suum, & in Deum elenasse mentem, quæ est Sanctorum oratio*.

116 Sic Propheta Rex Dauid meditari, exercere se dicit, die ac nocte, in mandatis, mirabilibus, & iustificationibus Dei. In Psalmo enim septuagesimo sexto, sua ipse Spiritualia Exercitia sic describit. *In die tribulationis meæ*, inquit, *Deum exquisiui*, eius auxiliũ implorando; *Manibus meis*, suppliciter ad Mosis imitationem in cælum sublatis; *Nocte*, quo tempore, curis vacuus erat animus: *Et non sum deceptus* à spe, quàm de diuina bonitate conceperam. *Renuit consolari anima mea*, ab alio quàm à Deo: cuius ipse benignitatis, quæ præsto est omnibus, *fui memor*: atque in ea recordatione, *delectatus sum*. Post perceptam hanc voluptatem ex Dei memoria; *exercitatus sum*, meditationibus ac precibus: *& defecit Spiritus meus*: nimirum, animus, magno Dei desiderio, elanguit. Nec de die solùm orabam: sed *anticipauerunt vigilias oculi mei*; antequam custodes suas excubias inchoarent; ac proindè noctes ducebam insomnis. *Turbatus sum* exindè, metu, & alijs affectibus excitatis à meditatione diuinæ iustitiæ, punientis ærumnis in hac vita, & in futura æternis etiam cruciatibus peccatores. *Et non sum locutus*; nec lamentationes nec querimonias edidi: sed animum ad lætiores meditationes adieci. *Cogitaui dies antiquos*, & beneficia in me genusque humanum collata, à mundi initio, vsque ad præsens, euolui. *Et annos æternos in mente habui*: contemplatione enim, seculorum æternitatem expendi, qua beatus es, & cuius me compotem, consortem, & comparticipem facies. Atque hæc, vt iam dixi, *meditatus sum nocte*: quod tempus diuinis meditationibus est aptissimum. *Cum corde meo*, mecum ipse hæc animo versans. Proindè *exercitabar*, eiusmodi meditationibus, quæ actiones, & labores sunt animi. *Et scopebam Spiritum meum*; scilicet, scrutabar, rimabar, purgabam, conscientiam meam: vel in conscientiam, mentis aciem defigebam, & collimabam, & dirigebam meditationes, velut in scopum, vt me ipsum cognoscerem, errata intelligerem, animum perpurgarem; qui omnium Exercitiorum Spiritualium, Dei seruis, scopus, & finis fuit.

Ex S. Hieronymo.

Ex Genebr. in ps. 76.



LIBER IV.

De Vario dierum Spatio, à Religiosis viris, & etiam Episcopis, Spiritualibus Exercitijs attributo.

117 DECEM DIERVM. Varius est, apud multos, numerus dierum, qui huic recollectioni ac secessui deputantur. Et cùm nemo (quod sciam) de illo sedulò scripserit; debeo ipse singulorum ritus exquirere, ac diligentissimè perscrutari. Sed his præsertim enumeratis, illud etiam hoc loco discutiendum: cur decem dierum spatium, nostris hominibus, præscribatur: & qui morbo inueterato laborant, an & quot dies, in cubiculo, ab aliorum consuetudine, sequestrandi?

DISQVISITIO PRIMA.

De Recollectione animi, vnius saltem quadrantis horæ spatio, in dies singulos obeunda.

118 P. D. Carolus de Thomasi, vir è nostris, in Vrbe, non solùm ingenij monumentis, sed & eximia pietate conspicuus, cuique seculari homini persuadet, vt in sui recollectione, ac mente orando Deo, quotidie, hora opportuniori, vnius saltem spatium quadrantis impendat. Quod Clemens IX. cui ille percarus erat, etiam Indulgentia ratum habuit, Diplomate ad septemnium edito; quod adijcio:

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam. Ad ea, per quæ Animarum Christi fidelium salus potest promoueri, libenter intendimus, & eorundem Christi fidelium deuotionem, vt Spiritualibus exercitijs feruentiùs incumbant, Cælestium munerum elargitione libenter fouemus, & incitamus. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis Clericis Regularibus, Theatinis nuncupa-

tis, ac alijs vtriusque sexus Christi fidelibus, Confratribus, Consororibus quorumlibet Oratoriorum, Congregationum, Societatum, & Confraternitatum, tam hactenùs in eorundem Clericorum Regularium Ecclesijs erectorum, quàm in posterùm erigendorum, qui per quadrantem horæ orationi mentali vacauerint, pro qualibet vice centum dies, qui per duos quadrantes continuatos, septem annos de iniunctis eis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. His verò, qui deuotioni huiusmodi per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrantem horæ singulis diebus dabunt operam, & interdum verè pœnitentes, & confessi, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, Plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum Indulgentiam, quam per modum suffragij Animabus Christi fidelium, quæ Deo in Caritate coniunctæ ab hac luce migrauerint, applicare possint, Apostolica auctoritate tenore præsentium misericorditer in Domino concedimus: Insuper quòd dicti Clerici Regulares prò Oratione mentali, ad quam ratione eorum Regulæ, & Constitutionis in duabus vicibus quolibet die tenentur, prædictas omnes Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes proportionabiliter lucrari, & consequi possint, & valeant; Auctoritate, & tenore præsentium indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Præsentibus ad septemnium tantùm valituris. Volumus autem, quòd Præsentium transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constituta munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ Apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris Die IV. Nouembris M.DC.LXIX. Pontificatus nostri anno tertio. Idemque Mazariensis Episcopus, D. Ioseph Cigala è nostro Ordine assumptus, vt vitæ integritate, ita eruditione, doctrina, ac eloquentia celeberrimus, pro sua Diœcesi obtinuit à Clemente X. confirmatum.

DISQVISITIO SECVNDA.

De secessu Vnius Diei, in hebdomadas, menses, & annos singulos vsurpando.

119 SEcessus vnius diei per orbem, in omnes hebdomadas, Panormi, à Theatinis Virginibus, obseruatur; quæ enim orandi vicissitudinem obeunt, in singulas horas (cùm ad tot capita non excreuerint, vt duodecim Eremitarum, quem dixi, ritum

Fundationis initio, hunc illa olim ritum habebant.

habere queant) eandem ſecedendi viciſſitudinem retinent in ſingulos dies; ſuam ipſæ morum reformationem vt curent: & aſſiduè, iuxta noſtræ Matris inſtitutionem, totius Orbis à Deo innouationem efflagitent. Noui etiam homines ſeculares; qui, ſexta quaque feria, ob recolenda Dominicæ Paſſionis Myſteria, intimè ad ſecretiora domus cubicula, ſecedebant. Et alicubi, noſtrorum Tyrociniorum eſt lex, vt Nouitij, Dominicis ac feſtis diebus, Venerabilis Euchariſtiæ ſumptionem, arctiſſimo ſilentio comitentur. Habeo hunc ritum, in S.Columbano Abbate, de quo Ionas hæc narrat: *Solebat, cùm Dominicæ diei, aut quorumlibet Sanctorum ſacræ ſolennitates aduentarent, ab aliorum ſocietate ſeparatus, in loca abdita ſe recipere, & longioris ſpatij Eremi ſecreta expetere: vt ſolida, & tranquilla mente, abſque curarum inquietitudine, ſolus orationi vacaret; & religioni omni conatu intenderet.*

Io. c.9. vita S. Columb. 21. Nou.

120 Vnius item diei ſeceſſum, ſed in ſingulos menſes, ad te benè diſcutiendum, à Iacobo Aluaro, ſic doceris: *Vtiliſſimum etiam eſt, ad virtutes augendas, ſi ſingulis menſibus diem vnum deligas, in quo, ab externis occupationibus ſequeſtratus, tibi vaces; & mores, atque actus tuos ſolerter inſpicias.* Conſuli poteſt, inquit Marchantius, *menſtrua vnius diei ſpecialis recollectio, qua renouetur animus: imò & hebdomadalis, qua totius hebdomadæ defectus ad mentis tribunal vocentur; inueſtigenturque radices eorum, & contra occurrentes occaſiones, animus obfirmetur.* Sed ab Aluarezio audiamus, quid in ea Recollectione præſtandum: *Hoc die*, inquit, *deuotiùs, & prolixiùs orabis, attentiùs, & quietiùs pſalmos recitabis, plus temporis librorum ſpiritualium lectioni tribues. Præcipuè tamen in hoc incumbes, vt ſis cenſor tui ipſius, & ſeuerus Iudex actuum tuorum. Vide igitur quæ ſupra te ſunt, an purè & feruenter Deum colas, Sanctos venereris, & cæleſtia ſuſpires. Vide, quæ infra te ſunt, an corpus domes, ſenſus comprimas, affectuſque cohibeas. Vide, quæ circa te ſunt, ſuperflua reſeces, neceſſaria moderatè accipias, & fratribus exemplo præluceas. Vide tandem, quæ intra te ſunt, an puriùs cogites, virtutes augeas, & tranquilliùs viuas. Hoc ſit ſtudium huius diei, vt imperfecta emendentur, perfecta excolantur, & conatus tui ad ſublimiores virtutum actiones incitentur.*

Alu. de vita relig. inſtit. lib.4. c.3.

March. in Vir. Aar. tr. 3. lect. 13.

Idem ibid.

121 Alterum etiam, qui tuæ religioſæ vocationis eſt dies, ex S.Gertrude, in annos ſingulos, ſpiritualibus Exercitijs, celebrabis; & formulam, ex prædicto Autore, ſic habe: In vigilia illius diei, te ieiunio, aut abſtinentia aliqua, & corporis maceratione, & publica aliqua humilitatis, & mortificationis oſtenſione, diſpones. Ipſo autem die, cùm primùm ſurrexeris, tempus meditationis, in conſi-

Idem ibid. lib.5. cap.3.

deratione huius tanti beneficij, & in feruentissima gratiarum actione, atque in laudibus diuinis, insumes. Nolo, vt in hac meditatione aspicias religionis ingressum, vt obsequium Deo factum, sed vt ingens beneficium, sicut re vera est, de benignissima Domini manu susceptum. Reliquisti modica, suscepisti maxima; pro vno parente multos patres, & pro paucis propinquis fratres plurimos inuenisti; delicias exiguas, & vmbratiles, pro ineffabilibus & stabilibus, & voluntatem tuam præposteram pro Dei voluntate rectissima commutasti. A tumultu ad serenitatem, à bello ad pacem, ab Aegypto ad Paradisum, translatus es: & à duris operibus luti, & lateris, ad statum filij, ad occupationes honorificentissimas, & ad diuinam familiaritatem, euocatus. Hæc & alia similia voluens, ad laudes Domini liberatoris tui assiduè canendas, te tota deuotione conuerte. Dicque illi: *Laudabo nomen tuum assiduè, & collaudabo illud in confessione, & exaudita est oratio mea. Et liberasti me de perditione, & eripuisti me de tempore iniquo. Propterea confitebor, & laudem dicam tibi, & benedicam nomini Domini.* Ecclef. 51. 15. 16.17. Confessione præmissa, in qua te de ingratitudine erga tantum beneficium, & de annis tepidè in religione impensis, accuses, ad gratias agendas, Missam celebrabis, aut si sacerdos non es, sacrum Eucharistiæ Sacramentum accipies. Cæterùm, & si etiam in hoc secessu silendum, rogare poteris fratres tuos, vt eo die in gratiarum actionem pro te Missas celebrent; &, si dies festus fuerit, ad Communionem sacram accedant, ac orationibus se tibi in affectus gratitudinis comites præbeant. In remissionis autem hora, si loqui velis, ea verba in hoc die Natalis tui cum fratribus misceas, quæ gratitudinem sonent, quæ te tuæ vocationis & status amatorem ostendant, & quæ diuinam in te collatam misericordiam prædicent.

DISQVISITIO TERTIA.

De secessu trium, quatuorue Dierum.

122 TRidui *secessus*, ex Iulio Nigronio, *vtilissimus est*. Et hunc docuit Sara, ab ancilla improperio prouocata, sanctus Martinus Idolorum Fanum euersurus, & sanctus Stanislaus Polonus, mortuum reuocaturus ad vitam; vt superiùs vidimus. Iul.tr.6.cap. 4.§.16.Tob. 3.10. Posset hic fieri, vt docet Marchantius, in honorem tridui mortis Christi, vt scilicet perfectiùs commoriamur cum ipso vitæ veteri, & Iac.Marc. in horto past.in Virga tr. 3. lect. 13.

sepeliamus vetustum Adam, ad resurgendum & ambulandum in nouitate vitæ. Eundem verò, ante semestrem Renouationem Votorum, Societas Iesu in Sexta Congregatione sic statuit: *Ante votorum renouationem, vacatio per triduum instituatur. Ea huiusmodi erit, vt cessent ab omnibus occupationibus, qui ea renouaturi sunt, etiam literarijs, præterquam à consuetis lectionibus, vbi eæ habentur.* Porrò videntur in hoc secessu dicere posse, cum Moyse: *Viam trium dierum pergemus in solitudinem, & sacrificabimus Domino.* Quid autem iter hoc sit, quo & nostri religiosi ac cæteri homines innouentur, exponat Origenes: *Tridui iter de Ægypto proficiscimur, si purificata in nobis dicta, facta, vel cogitata (tria sunt enim hæc per quæ peccare homines possunt) efficiamur mundi corde, vt possimus Deum videre.* Eandem trium rerum innouationem, hoc triduo etiam à religiosis habendam, videtur sanctus Bernardus innuisse, cùm ait: *Est autem triplex vetustas, & è contrario triplex nouitas; est enim vetustas in corde, in ore, in corpore; in quibus tribus modis peccauimus, cogitatione, locutione, & opere. In corde sunt desideria carnalia, & secularia, idest amor carnis, & amor seculi. Similiter in ore est gemina vetustas, arrogantia, & derogatio. Item gemina in corpore, flagitia, & facinora. Hæc omnia sunt imago veteris hominis & hæc omnia renouanda sunt in nobis.* Sed praxim innouandi cordis, oris, atque operis, vide adud Ioannem Eusebium in doctrinis Asceticis.

Congr. 6. decr. 48. can. 8. — *Exod. 8.* — *Orig. ho. 3. in Exod.* — *S. Bern. ser. 30. in paruulorum.* — *Io. Eusеb. lib. 2. doc. 6. cap. 31. doc. 7. c. 48. &c.* — *Alu. l. cit. lib. 5. cap. 5.*

123 Si quis ergo hoc triduano secessu vteris, hæc accipias: *Deberes enim in quolibet die quatuor horis meditationi vacare, & diuersa Exercitia ad manum habere. Primum diem gratiarum actioni, pro vocationis religiosæ beneficio consecrabis, & hoc magnum donum considerabis. Secundum compunctioni, & detestationi tuorum defectuum dedicabis; & tuam malitiam, & ignauiam, & ingratitudinem meditaberis & lugebis. Item, & eodem die, generaliter confiteberis, & rationem conscientiæ reddes. Tertio die, quomodò tibi in posterum sit viuendum, inspicies.* Ita Iacobus Aluarus. Si verò postules, quæ, in reddenda ratione conscientiæ, sint aperienda Prælato, vti est mos in Societate Iesu? Respondet: *Omnia interiora nostra, tum bona, tum mala.* Bonorum nomine, intelligit inspirationes Domini, quibus ad sanctitatem vocamur; bona desideria, quibus ad bonam conuersationem incitamur; virtutum profectum, quo thesaurum meritorum augemus; orationis donum, quo, Domino, per intellectum, & sanctum affectum, adhærescimus. Malorum nomine, intelligit tentationes, propensiones ad malum, tepiditatem spiritus, distractionem mentis, & si quæ sunt alia, augmento nostræ virtutis obstantia. At peccata, si quæ admi-

Ibid. cap. 8. §. 2.

simus, *non sunt in hac manifestatione propalanda, sed confessioni relinquenda*. Sic ille.

124 Si rogas, quo nam tempore, hoc triduo, secedendum? Paulus de Barry, Gallus, in Triduo Hagiophilæ, hæc ait: *Sunt, quibus placent tres postremi dies hebdomadæ. In anno meo sancto, suadeo tres vltimos Anni exeuntis*. Venerabilis Arbousia deligebat proximos solemnitati Christi nascentis, sua deindè suis cum sororibus vota innouans sub sacro noctis mediæ, cum voto, vt spiritaliter Iesus in suo suarumque Virginum corde nasceretur. Societas annuè bis hanc Recollectionem instituit, semel ad festum trium Regum, iterum ad finem Iunij, die Apostolorum Principibus, præcipuis Ordinis nostri Patronis sacro. Religiosæ Visitationis, Festo Virginis præsentatæ, restaurant vota sua; Vrsulinæ, festo sancti Augustini. Sic Barryus: qui secundo die post lectionem Thomæ à Campis fortuitam, visitationem Venerabilis Sacramenti, & Examen conscientiæ, à prandio, vel à recreatione, si ea tibi permittitur, suadet, vt excutias cubiculum tuum, & quicquid in eo est, vtrum non aliquid sit, quod displiceat Deo, vel superfluum, vel eiusmodi, quod moriens habuisse nolles. *In Mon. Gener.* *Barry. die 2.*

125 Tridui, & quatridui secessum inuenio apud Præmonstratenses; qui Pastoribus, & Curatis, hæc mandant: *Singulis annis, per tres ad minus dies, in proprio monasterio, vel alio loco per Prælatum designando, & ad eius ordinationem, singuli Pastores, eorumque Capellani, sepositis omnibus alijs occupationibus, in spiritualibus Exercitijs, toti versentur, vt hac ratione spiritum renouent, mentem recolligant, & redigant in vnum, à quo fortè in multa defluxerant*. Indicat hoc statutum P. Ioannes Chrysostomus, Abbas S. Michaelis Antuerpiæ, in itinere trium dierum, & subdit: *Olim Capituli Prouincialis Patres prouidè sanxerunt, omnes, & singulos Religiosos, tam in Abbatia, quàm Conuentu habitantes, annuè tres dies huiusmodi spiritus Recollectioni debere impendere; vt professionem suam frequentiùs renouent, & perfectiùs adimplere nitantur, in spirituali hoc secessu, sese conformantes Ordini à Prælatis præfigendo*. Hæc Abbas Antuerpiæ. Et Gregorius du Crocq Procurator Generalis eiusdem Ordinis, in epistola, quam Romæ olim ad me scripsit, hæc habet: *Præter communia statuta, Prouincia quælibet habet aliqua particularia in capitulis Prouincialibus sub beneplacito Reuerendissimi Generalis edita. Quædam Prouinciæ statuerunt, omnibus suis Religiosis, tam Canonicis, quàm Conuersis, Recollectionem annuam cum Confessione Generali totius Anni, & Renouatione Professionis, velut Prouincia, quæ nuncupatur, Communitas antiqui rigoris. Aliæ Recollectionem* *Stat. dist. 2. c. 23. §. 19.* *Ab. antuer. introd. fol. 22.* *Gregor. du Crocq. in ep. ad Authorẽ.*

annuam acceperunt ad triduum extensam. Alia non admittunt, nisi communibus statutis praeceptam: sed Superiori locali relinquunt in dissolutionem labentibus imponendam. Et quæ præcepta est communibus statutis, non permittitur habere quicquam relaxationis; vt patet ex Decretis Reuerendissimi Generalis, factis in cursu Visitationis. Siquidem Anno 1651. visitans Cænobium de Ardena, quod est de prædicta Communitate antiqui Rigoris, sic decreuit & ordinauit: Pastores & quicunque Beneficiati Ordinem nostrum Professi, qui Curas & Beneficia, ab hoc Monasterio dependentia, administrant; singulis Annis, per tres ad minus dies iuxta distinctionem secundam statutorum cap. 23. n. 19. sepositis alijs occupationibus, diebus à Patre Priore designandis, huc conueniant, vt distractam per varia negotia mentem, spiritualibus Exercitijs collecturi, Dei & animarum sibi creditarum obsequio, maiore cum fructu possint applicare. Signatum: Fr. Augustinus le Scellice, Abbas Præmonstratensis & Generalis. Et in Visitatione Monasterij de Genlis facta anno 1652. sic præcepit: Omnes Beneficiati conformiter ad statutum dist. 2. cap. 23. & plures à Visitatoribus antehac Ordinationes, singulis annis, à statutis aut P. Priore præfixis diebus, sepositis alijs occupationibus, in hoc Cænobio spiritualibus Exercitijs se dedant: vt inde vegetiores ad ouium sibi commissarum curam reuertantur. Poterunt nihilominùs, si ita ipsis videatur, dictis spiritualibus Exercitijs Præmonstrati vacare, relato ad P. Prioris manus illius Officij peracti testimoniali schedio, à nobis, aut P. Priore Præmonstratensi subsignato. De Annua Tridui Recollectione sic ille. Sed de quatuor dierum secessu ac solitudine meminit Seruatius de Lairuelz Abbas S. Mariæ Moioris Mussipontanæ, & Vicarius Generalis; qui, in Catechismo Nouitiorum, & si narrat ab alijs plures insumi dies in spiritualibus Exercitijs; tamen, *Mariana praxis*, ait (de suo Monasterio loquitur) *quatuor indulsit, ad faciliorem rigoris auiti resumpti obseruationem: ibi enim anima, quæ pedetentim toto anni decursu in tepiditatem vergit, & in exercitatione religiosa tepescit, vires nouas induit, & agiliores ad currendum iucundiùs hilariùsque rigoris resumpti, & perfectionis viam, pennas mutuatur.* Hactenùs Seruatius. At si quæras, quomodo hæc Exercitia à Præmonstratensibus fiant? Respondet Gregorius du Crocq, Procurator Generalis eruditissimus, *fieri sub vno, qui dirigat, qui meditationes præscribat, qui fructum requirat, qui doceat, consulat, & Confessiones excipiat: adeò, vt qui se recolligit, pro Nouitio se habeat, nec de ipso etiam in tali arte magisterio quicquam præsumat.* Eundem quatuor dierum secessum, ac ritum, P. Marcus Antonius Albitius, Vicarius Generalis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, suæ Congregationi, præscripsit: vt, nimirum, breuì quotannis, resumpto robore, ac spiritu,

Seru. t. 2. lect. 63.

alacriùs, ac ſecuriùs diu noctuque, lucrandarum animarum cupidine acti, in extremo Chriſtianæ pietatis officio, verſarentur.

DISQVISITIO QVARTA.

De ſeceſſu quinque, ſex, ſeptem, octo, nouem, decem, vel duodecim dierum.

126 QVinque dierum ſpatium ſuaſi plerunque occupatiſſimis viris hoc ritu, vt nimirum pridie ſe diſponerent: prima, ſecunda, & tertia die, Confeſſionem annuam, aut generalem, obirent: quarta, & deinceps, Communionem: quinta verò, iuxta concepta propoſita, vitæ ſeriem ordinarent. Quinque dierum, in ſeceſſu, præparationem ad mortem retuli ſuperiùs ex Gerſone; idenque ſpatium obſeruo, in S. Macario Alexandrino, cùm ſic loquitur apud Palladium: *Statui, quinque dies, ſolam mentem meam ita componere, vt à Deo auelli non poſſet; & nihil aliud omnino cogitaret: & cùm id apud me ſtatuerem, clauſi cellam meam, & aulam extrinſecùs, vt nulli reſponſum darem.* *Vide fol. 97.* *Hiſt. Lauſ. c. 20.*

127 Sex dies, orauit, in ſeceſſu, S. Martinus, antequam Valentinianum Imperatorem, vti diximus, adijſſet. Sed nonnemo ſeptem, hoc eſt, integram maiorem hebdomadam, ex Chriſtophoro Iarda, *Cùm Dominicæ Paſſionis recordatio ab Eccleſia recolenda proponitur.* Sic Ioannes Suffrenus, in Circo perfectionis, ſiue in Exercitijs Spiritualibus, per dies aliquot decurrendis; *Alijs*, inquit, *placet hebdomada ſanctior* (ad ſecedendum) *vt tantò copioſiùs percipiant fructum ſanguinis Chriſti in Cruce profuſi, cuius vis hoc tempore, quàm aliàs, videtur efficacior.* Et planè totidem dies orarunt relati à nobis ſuperiùs lib. 2. diſquiſ. 21. fol. 85. *Seuer. Dial. 2. §. 5.* *Gierda in Ap. rel. ind. lit. E.* *Suffr. in Mon. §. 8.*

128 Seceſſus tamen dies, vt Iulius Nigronius loquitur, *octo ſolent eſſe communiter.* Hoc ſpatium præſertim obſeruant Clerici Regulares Matris Dei, Patres Miſſionis in Gallia, Eremitæ Diſcalceati ſancti Auguſtini, & in Præmonſtratenſium Ordine, *Sunt*, inquit Seruatius, *& qui ſingulis annis octo circiter dies illis Exercitijs concedant.* Iacobus Aluarus totidem præſcripſit his verbis: *Per ſingulos annos ad octo, vel plures dies, omnino vacandum eſt, & ſpiritu quieſcendum, ac penitùs ab omni externa occupatione ceſſandum, vt mente caleſcamus, & à torpore liberemur.* Et Nicolaus Lancicius ex eadem Societate Ieſu Opuſculum edidit *de Recollectione Octiduana.* *Nigr. tr. 6. c. 4. §. 16.* *Seru. to. 2. lect. 63.* *Alu. de vita relig. inſtit. cap. 11. lib. 5.*

129 Nouem, conijcio, secessisse Iulianum Monachum; qui, apud Theodoretum, solitus erat, sæpe quidem quinquaginta stadia, nonnunquam etiam bis totidem, in desertum proficisci, & se ab omni humana consuetudine separare, ac redire ad se ipsum, congredi, & conuersari cum Deo, ac diuinam illam & ineffabilem pulchritudinem speculari. Nam subdit Theodoretus: *Decima die, velut quidam Moses, reuersus à monte, & ab ea, quæ verbis explicari non potest, conuersatione, &c.* Porrò Panormi, quandam, vt ita dicam, recollectionem secularibus hominibus suademus, per nouem dies, ante Christi Natiuitatem, hoc ritu, vt mane ad sacrum & communionem accedant: rursus à prandio in templum redeant, & Venerabile Sacramentum adorent; quod præcelsa speciosaque mole, vario peristromatum, ac luminum apparatu, musicoque concentu, populis exhibetur; & sermonem auscultent. Vesperi tamen, fœminis abeuntibus domum, cuiusque ordinis viri, præsertim nobiles, & Sacerdotes, prisco more in cœmeterio congregantur; vbi data vicissim orandi materia, factisque (dum suaues melodiæ ad Deum sensim alliciunt) meditationibus sacris, alterna collatio, ritu veterum, instituitur; eo animorum fructu, quem in Venerabilis Serui Dei P. D. Petri Iardinæ vita descripsimus. Hoc ergo secessu, & vulgarem Annum benè concludunt, & ad nouum mense Ianuario ineundum, Festumque sanctissimum ritè celebrandum se se disponunt. Sed *de Nouendialibus in honorem S. Caietani institutis*, peculiarem librum edidimus, Romæ, Mediolani, atque Neapoli, pluries iam typis impressum.

Theod. cap. 2. hist. relig.

130 Societas Iesu, in sexta Congregatione, octo, vel decem præscripsit: *Nostri omnes quotannis, continenti octo vel decem dierum spatio, Spiritualibus Exercitijs vacent.* Monachi Reformati sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis, vt D. Ioannes Bona, Abbas ipsorum Generalis, nunc S.R.E. Cardinalis, sacris humanisque literis eruditissimus, attestatur: *Tenentur singulis annis, octo, vel decem dierum spatio, Spiritualibus Exercitijs incumbere, ex laudabili consuetudine, ab ipso initio Congregationis introducta.* Qua de re, extant in eadem Congregatione Decreta Capitulorum Generalium edita anno 1614. & confirmata anno 1617. Et huc facit Ioannis Suffreni monitum, in Circo perfectionis. *Alij*, inquit, Exercitia *ad dies decem producunt, alijs sufficiunt octo, alijs sex, alijs etiam quatuor. Existimo ego, vt fructus necessarius colligatur, priùs finiri non debere hanc recollectionem, quàm lustrata sint interiora omnia, & industria ad vitam conformandam concepta.* Et subdit: *Ego me ijs attemperabo, qui decem dies huic negotio impendunt.* Totidemque Ordo sanctissimæ Trinitatis Redemptionis

Decr. 48. can. 9.

Suffr. fol. 32 n. 33.

Const. p. p. cap. 7. §. 4.

Captiuorum præscripsit. *Religiosi omnes*, inquit, *tàm inferiores, quàm Prælati semel annis singulis, decem dierum spatio, spiritualia Exercitia faciant: quibus se se solitarium aliquem in locum* (de quo nos infra dicemus) *ad hunc effectum deputatum recipient*. Et si petas, quibus ipsi nam actibus communitatis debeant interesse, subiungunt: *Solummodò Matutino, sanctæ Missæ sacrificij celebrationi, vel auditui, & Refectorio interueniant*. Præmonstratensium statuta, edita Anno 1630. in prima distinctione sic habent: *Admissi, per decem vel circiter dies ante Vestitionem (quod idem fiet ante Professionem) spiritualibus Exercitijs sedulò applicentur: & exacto conscientiæ examine, pura Confessione, ac feruentibus orationibus meditationibusque ad auspicandum spiritualis militiæ cursum, disponantur: vt tanto maiori gratiæ incremento eum incipiant, atque prosequantur*. Celebraturis verò primam Missam, dierum numerum non præscribunt, sed aiunt: *Consecrati Sacerdotes, aliquot diebus, spiritualibus Exercitijs, ante Primitias præparentur*. Laudo ergo Sancium à sancta Catharina Fuliensium Generalem, quòd in Directorio hæc ait: *Primùm Exercitijs Spiritualibus Religiosus insumet decem, & ampliùs, si sic oportuerit*.

Statut. Præmonstr. dist. 1. cap. 15. n. 21.

Statuta Præmonstr. d. 1. cap. 21. nu. 16.

DISQVISITIO QVINTA.

De secessu plurium, & præsertim quadraginta dierum.

131 TYrones, in sancto Michaele Antuerpiæ, vt in itinere trium dierum obseruo, *antequàm Præmonstrati Ordinis habitum induant, iubentur per decem vel circiter dies ante vestitionem (quod idem fieri debet ante professionem) Spiritualibus Exercitijs sedulò applicari*. Sed alibi quatuordecim dies, vt dixi, Præmonstratensium Nouitijs, ex Seruatio, præscribuntur. Et planè Beatus Franco, Episcopus Vuormatiensis, qui cum Othone III. Imperatore, cui erat carissimus & à secretis, in Italiam venerat, secessit quatuordecim dies. *Eodem tempore*, (Cardinalis Baronius loquitur) *pedibus penitùs denudatis* (Imperator, & prædictus Episcopus, induti cilicijs) *quandam speluncam, iuxta sancti Clementis Ecclesiam, clam cunctis intrauerunt: ibique orationibus, atque ieiunijs nec non in vigilijs, quatuordecim dies latuerunt*. In quibus, *ferunt quidam, visionibus, & allocutionibus fuisse consolatos*. Verùm, sanctus Carolus Borromæus, Mediolanensis & ipse Archiepiscopus, vt Nicolaus Lancicius meminit, *bis quolibet anno illa* (Exercitia) *per octo vel quindecim dies* repetebat; *& alios suæ*

Abb. Chrysost. in distrib. temp.

Bar. to. 10. an. 999.

Lancic. in præf. ad opusc. 6.

curæ immediatè subiectos, quotannis, exerceri curabat. In vita Balthassaris Aluarez, à Ludouico Pontano descripta, legitur, consueuisse singulis annis minimùm se se per octo vel quindecim dies plus minùs colligere, pro vt occupationes ferebant, vt Societatis Iesu Exercitia pro more perageret.

Pont. cap. 2.

132 Obseruo secessum in pœnam Religiosis infligi, etiam ad quindecim dies. P. Ioannes Rhò è Societate Iesu, in varijs virtutum historijs, de P. Ioanne à Cruce, Carmelita Discalceato, sic narrat: Hominem domi habuit præfractæ contumaciæ, qui solenni die, frequétissima in templo iam coacta concione, quæ ipsum expectaret, nescio qua offensiuncula irritatus, repentè se dicturum aut progressurum negaret, nec monentibus amicis quicquam concederet. Ioannes ergo, excusata Oratoris repentina valetudine, quæ grauior profectò erat, quàm si ex febre decubuisset, *hominem se in cubiculo iussit continere, totisque quindecim diebus ne appellauit quidem*. Hac mora probè subactum ac sibi redditum, quòd ita exempli interesset, publicè castigauit. Et, hac de re, innumera exempla extant, in vitis SS. Patrum. Quapropter, vt refert Gregorius du Crocq, Procurator Generalis Præmonstratensium; *Aliquot* (eius Prouinciæ) *recollectionem annuam non admittunt, nisi communibus statutis præceptam; sed Superiori Locali relinquunt, in dissolutionem labentibus imponendam*.

Rhò l. 5. cap. 1. num. 26.

133 Scio nonnullos, è nostris, Theatinas Venerabilis Matris Vrsulæ Virgines imitari; quæ ad purissimæ Deiparæ Virginis, & sine labe conceptæ celebritatem, vt narrat Episcopus Tropeensis, *octo dierum secessu se apparant, & post, iterum, quoad fieri potest, custodiunt se silentio dierum octo*. Quod in hac Domo Recessus nos hodieq; præstamus.

Vita M. Vrs. Elog. inter extra elog. 17. fol. 84.

134 S. Francisco mos erat, post festum Epiphaniorum, vt tradit S. Bonauentura, ad continuos quadraginta dies, declinare ad solitudinis loca: *cellæque reclusus quanta poterat arctitudine, cibi potusque ieiunijs, & orationibus, & laudibus Dei, sine intermissione vacabat*. S. Leo Papa quadraginta item dies orauit ad S. Petri Apostolorum Principis tumulum, vt apud Sophronium Amos Abbas, & Ierosolymorum Patriarcha, sic refert: *Inueni scriptum, quia Beatissimus, & æqualis Angelis Papa Leo, qui Romanorum Ecclesiæ præfuit, per quadraginta dies, perseuerauit ad sepulchrum Apostoli Petri, vigilijs, & orationibus insistens, petensque ab Apostolo, vt pro se apud Deum intercederet, vt dimitterentur sibi peccata sua. Impletisque diebus quadraginta, apparuit ei Apostolus Petrus, dicens: Oraui pro te, & dimissa sunt tibi omnia peccata tua*. Pluries Christus ad orandum secessit à turbis in secretum locum, vti mox dicam: sed ex omnibus eius secessibus, primus ac

S. Bon. cap. 9. vitæ S. Fr.

Io. Euir. in prat. spir. c. 149. & Baron. t. 8. ann. 1535.

princeps fuit, cùm in Desertum est ductus; vbi ieiunauit ipsos dies quadraginta,& contemplationi operam dedit diuturniorem,vt scripsit S.Gregorius Nazianzenus, & probabilissimum putat S. Chrysostomus, docens, *Ieiunio preces semper coniunctas esse* oportere. Et demum Moses,qui Christi figuram gerebat,secessit totidem dies:quippè, vt narrat S. Ambrosius,*quadraginta diebus positus in Monte, totam legem complexus est: & in illa solitudine, qui cum eo loqueretur,non defuit.*

S.Chrys. ho. 30. in Gen.

S.Ambr.l.3. de off. cap.

DISQVISITIO SEXTA.

Cur saltem ad decem dies secedere instituamur.

135 SALTEM. Decem saltem dierum numerus, & semel saltem in anno secessus, vt dixi, ad spiritualia Exercitia, nobis indicitur: quod lego, apud S.Pauli primi Eremitæ Religiosos: *Exercitia Spiritualia quilibet frater, nullo excepto, incipiendo ab ipso Superiore, saltem semel in anno, per decem dies, in loco ad id apto facere tenebitur.* Et Somaschenses: *Conabitur* (Superior) *consequi suadendo, vt singuli ex subditis saltem semel quotannis se ipsos colligant, & ab omni alia cura seiuncti per dies decem, vel quindecim, spiritualibus Exercitijs toti ex animo vacent.* Sic Minimi S.Francisci de Paula, sic Prædicatores, & alij; qui nobiscum saltem secedunt ad decem dies, ob indultam à Paulo V. noxarum condonationem ijs, *qui de suorum Superiorum licentia, à negotijs, per decem dies, alieni, in cella commorabuntur.*

Const. p. 1. cap.10. n.4.

Const.Som.l. 3. cap. 1.

Paul. V. in Bul.Rom. Pont.

136 In hoc autem decem dierum secessu, Ioannes Suffrenus, in Circo perfectionis, præter Meditationes quas tradit, recoli subindè suadet decem Christi solitudines, quæ sequuntur. I. In vtero virgineo, per nouem menses. II. In Nazareth, vsque ad annum ætatis tricesimum. III. In Deserto, quando ieiunauit 40. diebus, & quadraginta noctibus, ab omni hominum vsu separatus, & cum bestijs commorans, vt loquitur S.Marcus. IV. In Ciuitate Ephrem, quò cum solis discipulis suis, relicta Iudæa, se contulit. V. In Monte, quò solus secessit ad orationem, & vbi erat pernoctans in oratione Dei. VI. In Monte Thabor, vbi transfiguratus est dum orauit, tribus tantùm Apostolis præsentibus, Petro, Iacobo, & Ioanne; cæteris alibi relictis. VII. In regione Decapoleos, quando oblatum surdum & mutum *apprehendit de turba seorsum*, vt curaret. VIII. In horto Oliueti, nocte mortem antecedente, quando discessit ab Apo-

Suffr. in Mon. S. V.

ſtolis, vt Patri ſupplicaret. IX. In Venerabili Euchariſtia, vbi noctu diúque in templis commoratur, magna ſtupendaque ſolitudine. X. Poſt Reſurrectionem: & ſi enim in terris fuerit per quadraginta dies, toto tamen illo tempore, magis ſolus, quàm inter homines fuit. Sume ergo, vt monet Suffrenus, vnam ex hiſce ſolitudinibus, aut vni alicui, quæ tibi magis arriſerit, maioremque in te excitauerit deuotionis affectum, per plures dies immorare, vt conuerſeris cum hoc homine Deo, eoque tota die familiariter vtaris, omnes tuas actiones, & exercitia in eius ſocietate ſanctiſſimaque præſentia peragens, dans operam, vt à perfectione, & merito ſolitudinis illius, tua quoque perficiatur: & defectus, quos tu in tua admittes, ſuppleantur ab illius excellentia, & ſanctitate. Neque decem hæ Chriſti ſolitudines tãtùm, ſed etiam B. Virginis, & Apoſtolorum exemplum ſuadet ſeceſſum decem dierum; quem Petrus Auitabilis noſtrarum Miſſionum Præfectus, à Feſto Aſcenſionis ad Pentecoſten inſtituere amabat: quòd Deipara, & Apoſtoli, decem hiſce diebus, ſe ſe domi continuerint, vt ſe ad excipiendum Spiritum ſanctum, magna orationis inſtantia, præpararent. *Sic iuſſit Dominus*, inquit Iacobus Marchantius, *Apoſtolos ſuos decem diebus ſedere, & in tranquillitate animi agere, vt induerentur virtute ex alto.*

Io. Suffren. Ibid.

March. in Vir. Aaron. lect. 13. tr. 3.

DISQVISITIO SEPTIMA.

An qui ſeceſſum omittat, vel morbo diuturno laboret, etiam velit nolit, in ſolitudinem cogi debeat.

137 NON OMITTANT. Si quis Spiritualia Exercitia omiſerit, lego, apud Eremitas S. Pauli, ſeuerè correptum. Poſtquàm enim fieri à ſubditis, & à ſuperiore omninò decernunt, hæc ſtatuunt: *Superior huius rei negligens, vtpotè contemptor vitæ ſpiritualis, grauiter in Viſitatione, aut Capitulo, redarguatur: ſubditus verò ad locum pœnitentiæ per menſem detrudatur.* Sed Superiorem, ne à quoquam Exercitia hæc omitti permitteret, Eremitæ Diſcalceati S. Auguſtini præcepto olim adigebant. Verùm, in Actis Capitulorum Generalium, *Loco præcepti ponitur pœna ſuſpenſionis, per quindecim dies.* Et in Cap. an. 1625. ſeſſ. 2. confirmata eſt iterum Ordinatio, *de ſolitudine facienda, quòd per* 15. *dies ſuſpendatur Prior ab Officio, ſi hoc neglexerit.* Anno verò 1635. ſeſſ. 7. decretum, *Quòd Prior per menſem ſuſpendatur ab Officio, ſi prætermiſerit, aliquem Fratrem, tam Sa-*

Conſt. p. 1. cap. 10. n. 4.

Acta Congr. Ital. in cap. Rom. celebr. n. 54. ſeſſ. 10.

cerdotem, quàm Laicum, singulis annis, in cella solitaria, Deo & animæ suæ vacare. Idemque anno 1638. sess. 11. & in Capit. 1641. sess. 21. communi suffragio confirmarunt.

138 Petes? Quid si Superior, quid si subditus Exercitia, vel ex morbo, vel ex alia causa, obire non valeat? Secedat saltem, vt potest: & exclusa aliorum consuetudine, in cubiculo se contineat; vbi de tergenda conscientia, & instituenda sanctiori vita, seriò cogitet. Habeo à Carmelitis Excalceatis hoc documentum: quippè in Actis Capituli Generalis, Romæ coacti die 2. Maij, Anno 1653. statuerunt, *vt in posterum omnes tam Superiores, quàm subditi, omnino teneantur, singulis annis, semel saltem Exercitia spiritualia facere: & quòd si quis, ex aliqua rationabili causa, ea facere non possit, teneatur nihilominùs, per decem dies, ab exitu è claustro, à Confessionibus audiendis, à Prædicatione, & à quolibet alio exercitio externo, abstinere: denique Orationi, Lectionibus pijs, & alijs Communitatis actibus omninò vacare.* Noscis causam aut finem? *Ne spiritus tepescat.* Hæc autem, & his similia statuta, vt executioni mandentur, Ordinum Generales inuigilent. Sic Capitulum Generale Monachorum S. Bernardi, in Abbatia Pinerolienfi, anno 1617. confirmauit decretum, *vt fiant semel in anno Exercitia spiritualia; idque, & in singulis Monasterijs inuiolabiliter obseruari curet Domnus Abbas Generalis.* *Act. cap. Carm. n. 57.*

139 Per hos igitur Exercitiorum dies, quoduis aliud negotiũ, cura, & occupatio seponenda sunt; neque permittendum quocunque prætextu, ne pietatis quidem aut importunitatis aliorum, vt ad alia distraharis, quantum scilicet vera prudentia dictabit. Et huius rei rationes accipe à Ioanne Suffreno. I. Constat annus trecentis, & sexaginta quinque diebus: si trecentos & quinquaginta quinque aliorum subsidio & cum illis conuersando impendis; quidni octo, vel decem sumis, quibus vni Deo, & tibi vaces? II. Si morbo affligereris, necesse foret omni alia omissa occupatione & cura, soli valetudini intendere, neque vllus quereretur aut improbaret, si toto eo tempore neminem inuiseres, & cum nemine loquereris. Cur idem tibi non liceat morbis animæ curandis, & recuperandæ spiritali valetudini intento? An non anima corpori præstat; an non eius morbi sunt periculosiores infirmitatibus corporis? III. Curijs, suæ sunt vacationes; & lites etiam inchoatæ, in aliud tempus differuntur, obloquente nemine, cùm sic vsus ferat. Quidni & tu, pro quadam consuetudine, quotannis, per dies aliquot, te subducas negotijs, vt tua perscrutere, & cogites vias tuas, & conuertas iterum pedes tuos in testimonia, & semitam mandatorum Dei, à qua aberrasti? IV. Vt *Suffr in Cir. perf. §. 4.* *Exod. 19.*

sepeliamus vetustum Adam, ad resurgendum & ambulandum in nouitate vitæ. Eundem verò, ante semestrem Renouationem Votorum, Societas Iesu in Sexta Congregatione sic statuit: *Ante votorum renouationem, vacatio per triduum instituatur. Ea huiusmodi erit, vt cessent ab omnibus occupationibus, qui ea renouaturi sunt, etiam literarijs, præterquam à consuetis lectionibus, vbi ea habentur.* Porrò videntur in hoc secessu dicere posse, cum Moyse: *Viam trium dierum pergemus in solitudinem, & sacrificabimus Domino.* Quid autem iter hoc sit, quo & nostri religiosi ac cæteri homines innouentur, exponat Origenes: *Tridui iter de Ægypto proficiscimur, si purificata in nobis dicta, facta, vel cogitata (tria sunt enim hæc per quæ peccare homines possunt) efficiamur mundi corde, vt possimus Deum videre.* Eandem trium rerum innouationem, hoc triduo etiam à religiosis habendam, videtur sanctus Bernardus innuisse, cùm ait: *Est autem triplex vetustas, & è contrario triplex nouitas; est enim vetustas in corde, in ore, in corpore; in quibus tribus modis peccauimus, cogitatione, locutione, & opere. In corde sunt desideria carnalia, & secularia, idest amor carnis, & amor seculi. Similiter in ore est gemina vetustas, arrogantia, & derogatio. Item gemina in corpore, flagitia, & facinora. Hæc omnia sunt imago veteris hominis & hæc omnia renouanda sunt in nobis.* Sed praxim innouandi cordis, oris, atque operis, vide adud Ioannem Eusebium in doctrinis Asceticis.

Congr. 6. decr. 48. can. 8.

Exod. 8.

Orig. ho. 3. in Exod.

S. Bern. ser. 30. in paruulorum.

Io. Eus eb. lib. 2. doc. 6. cap. 31. doc. 7. c. 48. &c.

Alu. l. cit. lib. 5. cap. 5.

123 Si quis ergo hoc triduano secessu vteris, hæc accipias: *Deberes enim in quolibet die quatuor horis meditationi vacare, & diuersa Exercitia ad manum habere. Primum diem gratiarum actioni, pro vocationis religiosæ beneficio consecrabis, & hoc magnum donum considerabis. Secundum compunctioni, & detestationi tuorum defectuum dedicabis; & tuam malitiam, & ignauiam, & ingratitudinem meditaberis & lugebis. Item, & eodem die, generaliter confiteberis, & rationem conscientiæ reddes. Tertio die, quomodò tibi in posterum sit viuendum, inspicies.* Ita Iacobus Aluarus. Si verò postules, quæ, in reddenda ratione conscientiæ, sint aperienda Prælato, vti est mos in Societate Iesu? Respondet: *Omnia interiora nostra, tum bona, tum mala.* Bonorum nomine, intelligit inspirationes Domini, quibus ad sanctitatem vocamur; bona desideria, quibus ad bonam conuersationem incitamur; virtutum profectum, quo thesaurum meritorum augemus; orationis donum, quo, Domino, per intellectum, & sanctum affectum, adhærescimus. Malorum nomine, intelligit tentationes, propensiones ad malum, tepiditatem spiritus, distractionem mentis, & si quæ sunt alia, augmento nostræ virtutis obstantia. At peccata, si quæ admi-

Ibid. cap. 8. §. 2.

simus, *non sunt in hac manifestatione propalanda, sed confessioni relinquenda*. Sic ille.

124 Si rogas, quo nam tempore, hoc triduo, secedendum? Paulus de Barry, Gallus, in Triduo Hagiophilæ, hæc ait: *Sunt, quibus placent tres postremi dies hebdomadæ. In anno meo sancto, suadeo tres vltimos Anni exeuntis*. Venerabilis Arbousia deligebat proximos solemnitati Christi nascentis, sua deindè suis cum sororibus vota innouans sub sacro noctis mediæ, cum voto, vt spiritaliter Iesus in suo suarumque Virginum corde nasceretur. Societas annuè bis hanc Recollectionem instituit, semel ad festum trium Regum, iterum ad finem Iunij, die Apostolorum Principibus, præcipuis Ordinis nostri Patronis sacro. Religiosæ Visitationis, Festo Virginis præsentatæ, restaurant vota sua; Vrsulinæ, festo sancti Augustini. Sic Barryus: qui secundo die post lectionem Thomæ à Campis fortuitam, visitationem Venerabilis Sacramenti, & Examen conscientiæ, à prandio, vel à recreatione, si ea tibi permittitur, suadet, vt excutias cubiculum tuum, & quicquid in eo est, vtrum non aliquid sit, quod displiceat Deo, vel superfluum, vel eiusmodi, quod moriens habuisse nolles.

In Mon. Gener.

Barry. die 2.

125 Tridui, & quatridui secessum inuenio apud Præmonstratenses; qui Pastoribus, & Curatis, hæc mandant: *Singulis annis, per tres ad minus dies, in proprio monasterio, vel alio loco per Prælatum designando, & ad eius ordinationem, singuli Pastores, eorumque Capellani, sepositis omnibus alijs occupationibus, in spiritualibus Exercitijs, toti versentur, vt hac ratione spiritum renouent, mentem recolligant, & redigant in vnum, à quo forte in multa defluxerant*. Indicat hoc statutum P. Ioannes Chrysostomus, Abbas S. Michaelis Antuerpiæ, in itinere trium dierum, & subdit: *Olim Capituli Prouincialis Patres prouidè sanxerunt, omnes, & singulos Religiosos, tam in Abbatia, quàm Conuentu habitantes, annuè tres dies huiusmodi spiritus Recollectioni debere impendere; vt professionem suam frequentiùs renouent, & perfectiùs adimplere nitantur, in spirituali hoc secessu, sese conformantes Ordini à Prælatis præfigendo*. Hæc Abbas Antuerpiæ. Et Gregorius du Crocq Procurator Generalis eiusdem Ordinis, in epistola, quam Romæ olim ad me scripsit, hæc habet: *Præter communia statuta, Prouincia qualibet habet aliqua particularia in capitulis Prouincialibus sub beneplacito Reuerendissimi Generalis edita. Quædam Prouinciæ statuerunt, omnibus suis Religiosis, tam Canonicis, quàm Conuersis, Recollectionem annuam cum Confessione Generali totius Anni, & Renouatione Professionis, velut Prouincia, quæ nuncupatur, Communitas antiqui rigoris. Aliæ Recollectionem*

Stat. dist. 2. c. 23. §. 19.

Ab. antuer. introd. fol. 22.

Gregor. du Crocq. in ep. ad Authorē.

annuam acceperunt ad triduum extensam. Alia non admittunt, nisi communibus statutis praeceptam: sed Superiori locali relinquunt in dissolutionem labentibus imponendam. Et quae praecepta est communibus statutis, non permittitur habere quicquam relaxationis; ut patet ex Decretis Reuerendissimi Generalis, factis in cursu Visitationis. Siquidem Anno 1651. visitans Cœnobium de Ardena, quod est de praedicta Communitate antiqui Rigoris, sic decreuit & ordinauit: Pastores & quicunque Beneficiati Ordinem nostrum Professi, qui Curas & Beneficia, ab hoc Monasterio dependentia, administrant; singulis Annis, per tres ad minus dies iuxta distinctionem secundam statutorum cap. 23. n. 19. sepositis alijs occupationibus, diebus à Patre Priore designandis, huc conueniant, ut distractam per varia negotia mentem, spiritualibus Exercitijs collecturi, Dei & animarum sibi creditarum obsequio, maiore cum fructu possint applicare. Signatum: Fr. Augustinus le Scellice, Abbas Praemonstratensis & Generalis. Et in Visitatione Monasterij de Genlis facta anno 1652. sic praecepit: Omnes Beneficiati conformiter ad statutum dist. 2. cap. 23. & plures à Visitatoribus antehac Ordinationes, singulis annis, à statutis aut P. Priore praefixis diebus, sepositis alijs occupationibus, in hoc Cœnobio spiritualibus Exercitijs se dedant: ut inde vegetiores ad ouium sibi commissarum curam reuertantur. Poterunt nihilominùs, si ita ipsis videatur, dictis spiritualibus Exercitijs Praemonstrati vacare, relato ad P. Prioris manus illius Officij peracti testimoniali schedio, à nobis, aut P. Priore Praemonstratensi subsignato. De Annua Tridui Recollectione sic ille. Sed de quatuor dierum secessu ac solitudine meminit Seruatius de Lairuelz Abbas S. Mariae Moioris Mussipontanae, & Vicarius Generalis; qui, in Catechismo Nouitiorum, & si narrat ab alijs plures insumi dies in spiritualibus Exercitijs; tamen, *Mariana praxis*, ait (de suo Monasterio loquitur) *quatuor indulsit, ad faciliorem rigoris auiti resumpti obseruationem: ibi enim anima, quae pedetentim toto anni decursu in tepiditatem vergit, & in exercitatione religiosa tepescit, vires nouas induit, & agiliores ad currendum iucundiùs hilariúsque rigoris resumpti, & perfectionis viam, pennas mutuatur.* Hactenùs Seruatius. At si quaeras, quomodo haec Exercitia à Praemonstratensibus fiant? Respondet Gregorius du Crocq, Procurator Generalis eruditissimus, *fieri sub vno, qui dirigat, qui meditationes praescribat, qui fructum requirat, qui doceat, consulat, & Confessiones excipiat: adeò, ut qui se recolligit, pro Nouitio se habeat, nec de ipso etiam in tali arte magisterio quicquam praesumat.* Eundem quatuor dierum secessum, ac ritum, P. Marcus Antonius Albitius, Vicarius Generalis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, suae Congregationi, praescripsit: ut, nimirum, breuì quotannis, resumpto robore, ac spiritu,

Seru. t. 2. lect. 63.

 ala-

alacriùs, ac ſecuriùs diu noctuque, lucrandarum animarum cupidine acti, in extremo Chriſtianæ pietatis officio, verſarentur.

DISQVISITIO QVARTA.

De ſeceſſu quinque, ſex, ſeptem, octo, nouem, decem, vel duodecim dierum.

126 QVinque dierum ſpatium ſuaſi plerunque occupatiſſimis viris hoc ritu, vt nimirum pridie ſe diſponerent: prima, ſecunda, & tertia die, Confeſſionem annuam, aut generalem, obirent: quarta, & deinceps, Communionem: quinta verò, iuxta concepta propoſita, vitæ ſeriem ordinarent. Quinque dierum, in ſeceſſu, præparationem ad mortem retuli ſuperiùs ex Gerſone; idenque ſpatium obſeruo, in S. Macario Alexandrino, cùm ſic loquitur apud Palladium: *Statui, quinque dies, ſolam mentem meam ita componere, vt à Deo auelli non poſſet; & nihil aliud omnino cogitaret: & cùm id apud me ſtatuerem, clauſi cellam meam, & aulam extrinſecùs, vt nulli reſponſum darem.* *Vide fol. 97.* *Hiſt. Lauſ. c. 20.*

127 Sex dies, orauit, in ſeceſſu, S. Martinus, antequam Valentinianum Imperatorem, vti diximus, adijſſet. Sed nonnemo ſeptem, hoc eſt, integram maiorem hebdomadam, ex Chriſtophoro Iarda, *Cùm Dominicæ Paſſionis recordatio ab Eccleſia recolenda proponitur.* Sic Ioannes Suffrenus, in Circo perfectionis, ſiue in Exercitijs Spiritualibus, per dies aliquot decurrendis; *Alijs,* inquit, *placet hebdomada ſanctior* (ad ſecedendum) *vt tantò copioſiùs percipiant fructum ſanguinis Chriſti in Cruce profuſi, cuius vis hoc tempore, quàm aliàs, videtur efficacior.* Et planè totidem dies orarunt relati à nobis ſuperiùs lib. 2. diſquiſ. 21. fol. 85. *Seuer. Dial. 2. §. 5.* *Gierda in Ap. rel. ind. lit. E.* *Suffr. in Mon. §. 8.*

128 Seceſſus tamen dies, vt Iulius Nigronius loquitur, *octo ſolent eſſe communiter.* Hoc ſpatium præſertim obſeruant Clerici Regulares Matris Dei, Patres Miſſionis in Gallia, Eremitæ Diſcalceati ſancti Auguſtini, & in Præmonſtratenſium Ordine, *Sunt,* inquit Seruatius, *& qui ſingulis annis octo circiter dies illis Exercitijs concedant.* Iacobus Aluarus totidem præſcripſit his verbis: *Per ſingulos annos ad octo, vel plures dies, omnino vacandum eſt, & ſpiritu quieſcendum, ac penitùs ab omni externa occupatione ceſſandum, vt mente caleſcamus, & à torpore liberemur.* Et Nicolaus Lancicius ex eadem Societate Ieſu Opuſculum edidit *de Recollectione Octiduana.* *Nigr. tr. 6. c. 4. §. 16.* *Seru. to. 2. lect. 63.* *Alu. de vita relig. inſtit. cap. 11. lib. 5.*

129 Nouem, conijcio, feceſſiſſe Iulianum Monachum; qui, apud Theodoretum, ſolitus erat, ſæpe quidem quinquaginta ſtadia, nonnunquam etiam bis totidem, in deſertum proficiſci, & ſe ab omni humana conſuetudine ſeparare, ac redire ad ſe ipſum, congredi, & conuerſari cum Deo, ac diuinam illam & ineffabilem pulchritudinem ſpeculari. Nam ſubdit Theodoretus: *Decima die, velut quidam Moſes, reuerſus à monte, & ab ea, quæ verbis explicari non poteſt, conuerſatione, &c.* Porrò Panormi, quandam, vt ita dicam, recollectionem ſecularibus hominibus ſuademus, per nouem dies, ante Chriſti Natiuitatem, hoc ritu, vt mane ad ſacrum & communionem accedant: rurſus à prandio in templum redeant, & Venerabile Sacramentum adorent; quod præcelſa ſpecioſaque mole, vario periſtromatum, ac luminum apparatu, muſicoque concentu, populis exhibetur; & ſermonem auſcultent. Veſperi tamen, fœminis abeuntibus domum, cuiuſque ordinis viri, præſertim nobiles, & Sacerdotes, priſco more in cœmeterio congregantur; vbi data viciſſim orandi materia, factiſque (dum ſuaues melodiæ ad Deum ſenſim alliciunt) meditationibus ſacris, alterna collatio, ritu veterum, inſtituitur; eo animorum fructu, quem in Venerabilis Serui Dei P. D. Petri Iardinæ vita deſcripſimus. Hoc ergo ſeceſſu, & vulgarem Annum benè concludunt, & ad nouum menſe Ianuario ineundum, Feſtumque ſanctiſſimum ritè celebrandum ſe ſe diſponunt. Sed *de Nouendialibus in honorem S. Caietani inſtitutis*, peculiarem librum edidimus, Romæ, Mediolani, atque Neapoli, pluries iam typis impreſſum.

Theod. cap. 2. hiſt. relig.

Decr. 48. can. 9.

130 Societas Ieſu, in ſexta Congregatione, octo, vel decem præſcripſit: *Noſtri omnes quotannis, continenti octo vel decem dierum ſpatio, Spiritualibus Exercitijs vacent.* Monachi Reformati ſancti Bernardi Ordinis Ciſtercienſis, vt D. Ioannes Bona, Abbas ipſorum Generalis, nunc S.R.E. Cardinalis, ſacris humaniſque literis eruditiſſimus, atteſtatur: *Tenentur ſingulis annis, octo, vel decem dierum ſpatio, Spiritualibus Exercitijs incumbere, ex laudabili conſuetudine, ab ipſo initio Congregationis introducta.* Qua de re, extant in eadem Congregatione Decreta Capitulorum Generalium edita anno 1614. & confirmata anno 1617. Et huc facit Ioannis Suffreni monitum, in Circo perfectionis. *Alij*, inquit, Exercitia *ad dies decem producunt, alijs ſufficiunt octo, alijs ſex, alijs etiam quatuor. Exiſtimo ego, vt fructus neceſſarius colligatur, priùs finiri non debere hanc recollectionem, quàm luſtrata ſint interiora omnia, & induſtria ad vitam conformandam concepta.* Et ſubdit: *Ego me ijs attemperabo, qui decem dies huic negotio impendunt.* Totidemque Ordo ſanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis

Suffr. fol. 32 n. 33.

Conſt. p. p. cap. 7. §. 4.

Captiuorum præscripsit. *Religiosi omnes*, inquit, *tàm inferiores, quàm Prælati semel annis singulis, decem dierum spatio, spiritualia Exercitia faciant: quibus se se solitarium aliquem in locum* (de quo nos infra dicemus) *ad hunc effectum deputatum recipient*. Et si petas, quibus ipsi nam actibus communitatis debeant interesse, subiungunt: *Solummodò Matutino, sanctæ Missæ sacrificij celebrationi, vel auditui, & Refectorio interueniant*. Præmonstratensium statuta, edita Anno 1630. in prima distinctione sic habent: *Admissi, per decem vel circiter dies ante Vestitionem (quod idem fiet ante Professionem) spiritualibus Exercitijs sedulò applicentur: & exacto conscientiæ examine, pura Confessione, ac feruentibus orationibus meditationibusque ad auspicandum spiritualis militiæ cursum, disponantur: vt tanto maiori gratiæ incremento eum incipiant, atque prosequantur*. Celebraturis verò primam Missam, dierum numerum non præscribunt, sed aiunt: *Consecrati Sacerdotes, aliquot diebus, spiritualibus Exercitijs, ante Primitias præparentur*. Laudo ergo Sancium à sancta Catharina Fuliensium Generalem, quòd in Directorio hæc ait: *Primùm Exercitijs Spiritualibus Religiosus insumet decem, & ampliùs, si sic oportuerit*.

Statut. Præmonstr. dist. 1. cap. 15. n. 21.

Statuta Præmonstr. d. 1. cap. 21. nu. 16.

DISQVISITIO QVINTA.

De secessu plurium, & præsertim quadraginta dierum.

131 TYrones, in sancto Michaele Antuerpiæ, vt in itinere trium dierum obseruo, *antequàm Præmonstrati Ordinis habitum induant, iubentur per decem vel circiter dies ante vestitionem (quod idem fieri debet ante professionem) Spiritualibus Exercitijs sedulò applicari*. Sed alibi quatuordecim dies, vt dixi, Præmonstratensium Nouitijs, ex Seruatio, præscribuntur. Et planè Beatus Franco, Episcopus Vuormatiensis, qui cum Othone III. Imperatore, cui erat carissimus & à secretis, in Italiam venerat, secessit quatuordecim dies. *Eodem tempore*, (Cardinalis Baronius loquitur) *pedibus penitùs denudatis* (Imperator, & prædictus Episcopus, induti cilicijs) *quandam speluncam, iuxta sancti Clementis Ecclesiam, clam cunctis intrauerunt: ibique orationibus, atque ieiunijs nec non in vigilijs, quatuordecim dies latuerunt*. In quibus, *ferunt quidam, visionibus, & allocutionibus fuisse consolatos*. Verùm, sanctus Carolus Borromæus, Mediolanensis & ipse Archiepiscopus, vt Nicolaus Lancicius meminit, *bis quolibet anno illa* (Exercitia) *per octo vel quindecim dies* repetebat; *& alios suæ curæ*

Abb. Chrysost. in distrib. temp.

Bar. to. 10. an. 999.

Lancic. in præf. ad opusc. 6.

curæ immediatè subiectos, quotannis, exerceri curabat. In vita Balthassaris Aluarez, à Ludouico Pontano descripta, legitur, consueuisse singulis annis minimùm se se per octo vel quindecim dies plus minùs colligere, pro vt occupationes ferebant, vt Societatis Iesu Exercitia pro more perageret.

Pont. cap.2.

132 Obseruo secessum in pœnam Religiosis infligi, etiam ad quindecim dies. P. Ioannes Rhò è Societate Iesu, in varijs virtutum historijs, de P. Ioanne à Cruce, Carmelita Discalceato, sic narrat: Hominem domi habuit præfractæ contumaciæ, qui solenni die, frequẽtissima in templo iam coacta concione, quæ ipsum expectaret, nescio qua offensiuncula irritatus, repentè se dicturum aut progressurum negaret, nec monentibus amicis quicquam concederet. Ioannes ergo, excusata Oratoris repentina valetudine, quæ grauior profectò erat, quàm si ex febre decubuisset, *hominem se in cubiculo iussit continere, totisque quindecim diebus ne appellauit quidem.* Hac mora probè subactum ac sibi redditum, quòd ita exempli interesset, publicè castigauit. Et, hac de re, innumera exempla extant, in vitis SS. Patrum. Quapropter, vt refert Gregorius du Crocq, Procurator Generalis Præmonstratensium; *Aliquot* (eius Prouinciæ) *recollectionem annuam non admittunt, nisi communibus statutis præceptam; sed Superiori Locali relinquunt, in dissolutionem labentibus imponendam.*

Rhò l.5.cap.1. num.26.

133 Scio nonnullos, è nostris, Theatinas Venerabilis Matris Vrsulæ Virgines imitari; quæ ad purissimæ Deiparæ Virginis, & sine labe conceptæ celebritatem, vt narrat Episcopus Tropeensis, *octo dierum secessu se apparant, & post, iterum, quoad fieri potest, custodiunt se silentio dierum octo.* Quod in hac Domo Recessus nos hodieq; prestamus.

Vita M.Vrs. Elog. inter-ta elog. 17. fol.84.

134 S. Francisco mos erat, post festum Epiphaniorum, vt tradit S. Bonauentura, ad continuos quadraginta dies, declinare ad solitudinis loca: *cellæque reclusus quanta poterat arctitudine, cibi potusque ieiunijs, & orationibus, & laudibus Dei, sine intermissione vacabat.* S. Leo Papa quadraginta item dies orauit ad S. Petri Apostolorum Principis tumulum, vt apud Sophronium Amos Abbas, & Ierosolymorum Patriarcha, sic refert: *Inueni scriptum, quia Beatissimus, & æqualis Angelis Papa Leo, qui Romanorum Ecclesiæ præfuit, per quadraginta dies, perseuerauit ad sepulchrum Apostoli Petri, vigilijs, & orationibus insistens, petensque ab Apostolo, vt pro se apud Deum intercederet, vt dimitterentur sibi peccata sua. Impletisque diebus quadraginta, apparuit ei Apostolus Petrus, dicens: Oraui pro te, & dimissa sunt tibi omnia peccata tua.* Pluries Christus ad orandum secessit à turbis in secretum locum, vti mox dicam: sed ex omnibus eius secessibus, primus ac

S. Bon. cap. 9. vitæ S.Fr.

Io. Euir. in prat. spir. c. 149. & Baron. t.8.ann. 1535.

 prin-

princeps fuit, cùm in Desertum est ductus; vbi ieiunauit ipsos dies quadraginta, & contemplationi operam dedit diuturniorem, vt scripsit S. Gregorius Nazianzenus, & probabilissimum putat S. Chrysostomus, docens, *Ieiunio preces semper coniunctas esse* oportere. Et demum Moses, qui Christi figuram gerebat, secessit totidem dies: quippè, vt narrat S. Ambrosius, *quadraginta diebus positus in Monte, totam legem complexus est: & in illa solitudine, qui cum eo loqueretur, non defuit.*

S. Chrys. ho. 30. in Gen.

S. Ambr. l. 3. de off. cap.

DISQVISITIO SEXTA.

Cur saltem ad decem dies secedere instituamur.

135 SALTEM. Decem saltem dierum numerus, & semel saltem in anno secessus, vt dixi, ad spiritualia Exercitia, nobis indicitur: quod lego, apud S. Pauli primi Eremitæ Religiosos: *Exercitia Spiritualia quilibet frater, nullo excepto, incipiendo ab ipso Superiore, saltem semel in anno, per decem dies, in loco ad id apto facere tenebitur.* Et Somaschenses: *Conabitur* (Superior) *consequi suadendo, vt singuli ex subditis saltem semel quotannis se ipsos colligant, & ab omni alia cura seiuncti per dies decem, vel quindecim, spiritualibus Exercitijs toti ex animo vacent.* Sic Minimi S. Francisci de Paula, sic Prædicatores, & alij; qui nobiscum saltem secedunt ad decem dies, ob indultam à Paulo V. noxarum condonationem ijs, *qui de suorum Superiorum licentia, à negotijs, per decem dies, alieni, in cella commorabuntur.*

Const. p. 1. cap. 10. n. 4.

Const. Som. l. 3. cap. 1.

Paul. V. in Bul. Rom. Pont.

136 In hoc autem decem dierum secessu, Ioannes Suffrenus, in Circo perfectionis, præter Meditationes quas tradit, recoli subindè suadet decem Christi solitudines, quæ sequuntur. I. In vtero virgineo, per nouem menses. II. In Nazareth, vsque ad annum ætatis tricesimum. III. In Deserto, quando ieiunauit 40. diebus, & quadraginta noctibus, ab omni hominum vsu separatus, & cum bestijs commorans, vt loquitur S. Marcus. IV. In Ciuitate Ephrem, quò cum solis discipulis suis, relicta Iudæa, se contulit. V. In Monte, quò solus secessit ad orationem, & vbi erat pernoctans in oratione Dei. VI. In Monte Thabor, vbi transfiguratus est dum orauit, tribus tantùm Apostolis præsentibus, Petro, Iacobo, & Ioanne; cæteris alibi relictis. VII. In regione Decapoleos, quando oblatum surdum & mutum *apprehendit de turba seorsum*, vt curaret. VIII. In horto Olíueti, nocte mortem antecedente, quando discessit ab Apo-

Suffr. in Mon. S. V.

 stolis,

cerdotem, quàm Laicum, singulis annis, in cella solitaria, Deo & animæ suæ vacare. Idemque anno 1638. sess. 11. & in Capit. 1641. sess. 21. communi suffragio confirmarunt.

138 Petes? Quid si Superior, quid si subditus Exercitia, vel ex morbo, vel ex alia causa, obire non valeat? Secedat saltem, vt potest: & exclusa aliorum consuetudine, in cubiculo se contineat; vbi de tergenda conscientia, & instituenda sanctiori vita, seriò cogitet. Habeo à Carmelitis Excalceatis hoc documentum: quippè in Actis Capituli Generalis, Romæ coacti die 2. Maij, Anno 1653. statuerunt, *vt in posterum omnes tam Superiores, quàm subditi, omnino teneantur, singulis annis, semel saltem Exercitia spiritualia facere: & quòd si quis, ex aliqua rationabili causa, ea facere non possit, teneatur nihilominùs, per decem dies, ab exitu è claustro, à Confessionibus audiendis, à Prædicatione, & à quolibet alio exercitio externo, abstinere: denique Orationi, Lectionibus pijs, & alijs Communitatis actibus omninò vacare.* Poscis causam aut finem? *Ne spiritus tepescat.* Hæc autem, & his similia statuta, vt executioni mandentur, Ordinum Generales inuigilent. Sic Capitulum Generale Monachorum S. Bernardi, in Abbatia Pimeroliensi, anno 1617. confirmauit decretum, *vt fiant semel in anno Exercitia spiritualia; idque, & in singulis Monasterijs inuiolabiliter obseruari curet Domnus Abbas Generalis.* *Act. cap. Carm. n. 57.*

139 Per hos igitur Exercitiorum dies, quoduis aliud negotiū, cura, & occupatio seponenda sunt; neque permittendum quocunque prætextu, ne pietatis quidem aut importunitatis aliorum, vt ad alia distraharis, quantum scilicet vera prudentia dictabit. Et huius rei rationes accipe à Ioanne Suffreno. I. Constat annus trecentis, & sexaginta quinque diebus: si trecentos & quinquaginta quinque aliorum subsidio & cum illis conuersando impendis; quidni octo, vel decem sumis, quibus vni Deo, & tibi vaces? II. Si morbo affligereris, necesse foret omni alia omissa occupatione & cura, soli valetudini intendere, neque vllus quereretur aut improbaret, si toto eo tempore neminem inuiseres, & cum nemine loquereris. Cur idem tibi non liceat morbis animæ curandis, & recuperandæ spiritali valetudini intento? An non anima corpori præstat; an non eius morbi sunt periculosiores infirmitatibus corporis? III. Curijs, suæ sunt vacationes; & lites etiam inchoatæ, in aliud tempus differuntur, obloquente nemine, cùm sic vsus ferat: Quidni & tu, pro quadam consuetudine, quotannis, per dies aliquot, te subducas negotijs, vt tua perscrutere, & cogites vias tuas, & conuertas iterum pedes tuos in testimonia, & semitam mandatorum Dei, à qua aberrasti? IV. Vt *Suffr. in Cir. perf. §. 4.* *Exod. 19.*

igitur Moyses, acturus cum Deo in Monte Sinai, spatio quadraginta dierum, & totidem noctium, fuit nube tectus, neque vllum vidit, neque ab vllo visus est: & Abraham immolaturus dilectum filium suum Isaac, cum illo solo ascendit in montem Moria, famulis, & asina ad montis radicem relictis. Ita & tu, amandatis omnibus alijs occupationibus, vnum id tibi propone, Vacare Deo & tibi, & ita te gere, quasi nihil aliud in mundo foret, præter Deum & te, & sola huius Recollectionis cura tibi incumberet. Adeò vt, per hos dies, sis quasi cæcus, qui nil nisi Deum intuearis: quasi surdus, non creaturarum, sed Creatoris alloquijs aurem præbens: quasi mutus, cum nemine loquens, nisi magna vrgeat necessitas: denique quasi mundo mortuus, & solùm Deo viuens & propter Deum. Si aliquam hinc molestiam experiris, eandem offer in satisfactionem diuinæ iustitiæ, quam, conuersando cum creaturis, & tanta oculis, auribus, & linguæ permissa licentia, offendisti.

DISQVISITIO OCTAVA.

An aliqua Sanctimonialis diuturno morbo in lecto laborans, si recollectionem instituat; bene possit, ac deceat, quotidie à Confessario in claustrum ingressò, peccatorum absolutionem & sacram Communionem accipere: quæ verò ægrotæ lecto decumbunt, quoto die, expediat vt Communionis Sacramento reficiantur.

140 NOnnemo, instituta quæstione, olim à me poposcit, si ægra quædam Sanctimonialis lecto decumbens Recollectionem obiret, an laudabile esset, quotidie in Claustrum Confessarium ingredi, & Confessionis ac Communionis illi Sacramentum conferre? Quod cùm audirem, laude dignum existimaui, ægras Virgines in lecto ac morbo se recolligere. Nam Iacobi Aluarezij monitum est, vt si morbo premeris ac lecto decumbis; *Orationem & spiritualia Exercitia ex toto non omittas: sed secundùm qualitatem ægritudinis, & pro vt ipsa locum dederit, aliquid saltem eorum exolu as.* Tamen, sicut dedecet ægras Sanctimoniales Sacramentorum perceptione priuari, sic respondi indecentissimum esse, ac meo iudicio nulla omninò ratione ferendum, facilè ad eas ac quotidiè Cõfessarium ingredi. Quocircà, Theatinæ Eremi nos initio constituimus, vt quintodecimo quoque die, quæ in lecto detineretur, nisi aliud ægritudinis periculum suaderet, sacram Eucharistiam, à Con-

Iacobus Aluarez de vita religiosè instituenda, lib. 5. cap. 13

fessario illuc ingresso, post obitam Confessionem, acciperet. Et id quidem D. Franciscus Maria Carafa, primus eius loci Ordinarius, tanto studio obseruari curabat, vt numerum dierum imminui, nisi ob Christi Corporis Viaticum, Mariæ Vrsulæ Benincasiæ, non permiserit. Et ne durum id alicui ac benigniori planè homini videatur; aliarum morem ac ritum inspiciamus.

141 S. Franciscus Salesius in vigesima prima Monialium Visitationis constitutione præscribit, vt ægrotæ, *Octauo quoque die*, Eucharistico Christi pane reficiantur. Quē planè morem obseruo, in regulis ac monitis Monasterij Genuensis salutatæ ab Angelo Virginis: vbi disertè rationem assignant, cur nō deceat frequentiùs quàm octauo quoque die Communionem obiri: *Ne Confessarius*, inquiunt, *sæpiùs Clausuram ingrediatur*. Ideòque constitutiones Monasterij Reformati S. Mariæ Ægyptiacæ, sub titulo nostræ S. Mariæ Puritatis, quæ Neapoli insigni sanctimonia florent, mandant, vt *quandoque id fiat, præsertim solemnioribus festis*. Cùm verò arctiùs à nobis custodiri conueniat Eremi clausuram, indictum initio quindecim dierum spatium prætereundum non censeo: quod video præscripsisse Venerabilem Franciscam Farnesiam in constitutionibus, vbi hoc modo decernit: *Confessarius intret, vt ægra Sanctimonialis Confessionem auscultet, & eidem Christi Corporis Sacramentum impertiat, quintodecimo quoque die*. Quod si adhuc tibi durius videatur, quàm ægræ Virginis deuotio ferre queat, consule Antonium Restam Messapiensem Episcopum; qui in Directorio, ipso initio constitutionum & ordinationum Monialium cauet, ne Confessarij *possint ingredi Monasteria earum, nisi instante infirmarum, & conferendorum Sacramentorum necessitate*. Nec necessitatem instare quisquam intelliget, nisi aut diuturnum planè tempus excurrerit, & aut magna aliquà festiuitas, aut periculum adsit.

Regula Monialium salutatæ ab Angelo Virginis fol. 51. num. 3.

Regula Monac. Ægypt. Reformat. fol. 95.

M. Franc. Farnasia in constit. fol. 84.

Antonius Resta in Director. fol. 158.

(✠)



LIBER V.

De Fructu, qui ex Recollectione percipi solet. Et de Loco spiritualibus eiusmodi Exercitijs opportuno.

142 HIC mihi de sex hisce rebus est differendum. Quis fructus ex secessu hauriatur? Vbi nam solitudo à Religiosis Viris instituenda? Vbi excipi debeant ad spiritualia Exercitia seculares? An Superioribus, & occupatissimis Viris, ad alia Monasteria secendendum? Quomodò si aptior non sit locus, orandum in Cubiculo proprio? Et cur à Nostratibus Exercitia, sub Deiparæ Puritatis auspicio, instituantur?

DISQVISITIO PRIMA.

Spiritualia Exercitia quàm valeant ad interiorem hominem colligendum.

143 VT EXPERIMENTO ENIM DOCEMVR, AD COLLIGENDVM. Scribit Tullius, *Ludorum Romanorum diebus L. Craßum, quasi colligendi sui causa, se in Tusculanum contulisse.* Quídue sit se colligere, ipse declarat. *Quid est autem*, inquit, *ipsum colligere, nisi dissipatas animæ partes rursum in suum locum cogere?* Sed hæc collectio animi quàm in deliberandis rebus sit necessaria, & vt haberi nisi in solitudine ac secessu vix possit, sæpe docuit suo exemplo Christus in Deserto, de quo Maldonatus hæc ait: *Voluit eum se esse ostendere, cuius Moyses figura fuisset, cuius præcursor Ioannes, quem ijsdem vestigijs per solitudinem sequeretur. Voluit nos exemplo docere, vt cùm de vita rationibus, vel de re alia graui deliberamus, turbam relinquamus hominum, & nos in solitudinem* (hem decreti monitum!) *colligamus, nostra cum Deo consilia communicaturi, quæ frequentia hominum impediuntur, solitudine iuuantur. Nam & Comicus ille dixit: Meditatus venis alicundè ex solo loco.* Sanctus Gregorius Nazianzenus

Cic. l. 1. de Or.

Id. Tusc. 4.

Mald. Matt. 4. §. 1.

nus optabile admodùm putat, vt in ſe quiſpiam collectus & abditus vitam agat. *Nihilominus*, inquit, *tam optandum cuiquam eſſe videbatur, quàm vt occluſis ſenſibus, atque extra carnem mundumque poſitus, & in ſe ipſum collectus, nec niſi quantum neceſſitas exigit, quicquam humanarum rerum attingens, atque ſecum ipſe & cum Deo colloquens; ſuperiorem ijs rebus, quæ in aſpectum cadunt, vitam agit*. Modum autem & praxim huius collectionis inuenio à ſancto Ephræmo præſcriptũ: *Conſilium tibi dabo: in quiete, ac ſilentio reſide; & præ oculis tuis timorem Domini gerito: colligenſque cogitationes tuas præſide illis, vt iudex: & inſtitutum vitæ temporis præteriti perdiſce, ex quo ſolitariam aggreſſus es vitam; vt quæ nam ſtatus huiuſmodi cauſa fuerit tibi intelligas, noteſque in corde tuo damnum, & cauſam, & vnde talis damni prouenerit cauſa*. Fructum mirè exponit ſanctus Gregorius Papa, docens, hac collectione conſpici quicquid in nobis deſit, incendi mentem, noſtra & aliorum vitia clariùs deprehendi: *Iuſtorum mens, quia per cuſtodiam diſciplinæ à cunctorum viſibilium fluxo appetitu conſtringitur; collecta apud ſemetipſam intrinſecùs integratur: qualiſque Deo, vel proximo eſſe debeat, plenè conſpicit, qui nihil ſuum exteriùs derelinquit: & quantò ab exterioribus abſtracta compeſcitur, tanto aucta in intimis inflammatur: & quò intùs magis ardet, eò ad deprehendenda vitia ampliùs lucet. Hinc eſt enim quòd Sancti viri dum ſe intra ſemet ipſos colligunt, mira ac penetrabili acie, occulta etiam delicta deprehendunt*. Agnouit ſanctus Franciſcus hanc vim recollectionis; & ideò ex Diuo Bonauentura, *quò liberiùs Deo vacans extergeret ſi quid pulueris ſibi in conuerſatione hominum adhæſiſſet, interdum ſe in ſolitudinem colligebat*.

S. Greg. Nazian. or. 1.

S. Ephr. to. 2. paran. 41.

S. Greg. l. 30 Moral. cap. 7. al. 9.

S. Bon. in vita S. Franc. n. 12.

DISQVISITIO SECVNDA.

Spiritualia Exercitia quàm valeant ad diſtracti hinc inde hominis animum componendum.

144 COMPONENDVM. Agrippina, neptis Auguſti, & Germanici Cæſaris vxor, quæ mortuo viro, ex Oriente Romam ad Tiberium Imperatorem reuertebatur; vt erat ſagaciſſima, & prudens fœmina, ſeceſſum ſibi delegit, vt dolorem leniret, ac ſeſe luctu violenta componeret. Itaque in Inſula Corcyra, priuſquàm Brunduſium appelleret, *paucos dies*, ait Cornelius, *componendo animo inſumit*. Et planè, alter hic componendi animi fructus, è ſeceſſu, decerpitur; qui enim in ſecreto agis, vt Poeta loquitur,

Tacit. l. 3. annal.

Papinius.

tur, *Compositus totusque tuus es*. Hanc sui compositionem experiebatur B. Petrus Damiani; & quod huc spectat, acceptam cellulæ referebat, vt Monachis Cluniacensibus sic expressit: *Postquàm ad cellulam peruentum est, imò postquàm in me ipse, qui fueram exclusus, intraui, mox æstuantis animi feruor extinguitur: contentiosi Litigij querela sopitur: tumor, clamor, & indignatio prestò deponitur: & omne, quod in meis visceribus amarum fuerat, diuinitùs obdulcatur*. Vis ne dum animum compositum, sed secessu composita, & sanata etiam eius vulnera? *Tanquàm*, ait, *si languidus quilibet aromaticam ingrediens officinam, antequàm antidoti medicamenta percipiat, deposita languoris ægritudine conualescat: ita ego protinùs, vt cellæ meæ limen attigi, nec dum librum quemlibet aperueram (& ò benè factum!) tanquam virtute loci, sanum me atque incolumem, compositis* (audin?) *animæ vulneribus, reperi: sicque ad diuinorum librorum, qui adhuc clausi tenebantur, aspectum, velut ante medicinæ poculum, salutem hausi, spirantibus dumtaxat odoribus fragrantium pigmentorum*. Si cubiculum hanc componendi hominis vim habet, qualem censenda est habere intima sui recollectio, de qua agimus? Porrò de ea sic Diuus Bernardus: *Regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat*. Et S. Hieronymus siue Paulinus, hanc collectionem, seu *vacationem* suadet, vt *excitatos foris cogitationum fluctus secreti tranquillitate componas*.

B. Pet. Dam. ep. 63. ad Clun.

S. Ber. l. 1. de consid. cap. 7.

S. Hier. ep. 14. ad Celãt.

DISQVISITIO TERTIA.

Spiritualia Exercitia quàm valeant ad morum Reformationem curandam.

145 REFORMANDVM. Quis credat, etiam Sinas in secessu, reformandi hominis vim ac virtutem agnoscere? Insigne est, quod de ipsis à Nicolao Longobardo oculato teste, enarratur. *Probant apprimè*, inquit, *quosdam rusticanos secessus, & solitaria loca petunt, luminis naturalis contemplandi gratia, & sui ipsius reformandi, & se se reducendi aliquando tandem ad primum illum statũ, in quo* (vt rudes loquuntur) *à Cælo creati fuerunt. Eandem ob causam florent apud eos, multis in locis, cœtus quidam literatorum hominum, qui fugientes aulæ regiæ occupationis, & onera gubernationis, quieti degunt in suis oppidis, in idem incumbentes studium, & exercitationem*. Idem ego planè oculatus adhuc testis de aliquot Turcis, & Armenijs addere possem. Sed missa hæc facio, vt verba verbis expendam; di-

Nic. Longob. ep. 16. Octob. 1598.

eamque de magno illo Gerardo, Clericorum Regularium Autore, qui paternam domum deſerens, & in Monaſterium Cartuſianorum ſecedens, in cellam hoſpes acceptus, vt Thomas à Campis refert, *ibi recollegit cordis ſui diſperſiones, ibi veteris vitæ deterſit rubigines, &* (quod hîc quærimus) *interioris hominis imaginem reformauit ad purum*. Pergit Thomas, & ſeceſſus Exercitia ſic deſcribit: *Ibi inſurgentes paſſionum motus ieiunando, vigilandoque confregit, & Dæmonum varios inſultus orando, flendoque deuicit, loquens cum ſancto Dauid: Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine*. Si quis igitur reformatione prorſus indigeat, & is ſit, ex Iulio, vt à ſe ipſo primùm egreſſus, negligat cultum hominis interioris, matutinam orationem, conſcientiæ diſcuſſionem, & ſpiritualem lectionem omittat: ſi exeat è cubiculo, & ſtare loco neſciens, circuat domum, & ad colloquendum alios prouocet: ſi domum egrediatur, vel obambulans Vrbem, vel ſine cauſa amicos inuiſens, vel tractans negotia ſecularium, vel certè ſi zelo foras expellitur, pia quidem agat, ſed plura, quàm vires, ingenium, tempus, ferre ac ſufficere poſſunt; ad hunc ſanè hominem reformandum, Claudius Aquiuiuus in Societate aptiſſimum remedium ponit: *Exercitia Spiritualia, etiamſi ægrè contineri vix poſſit, per plures dies faciat*. Et planè, vt Ioannis Suffreni in Circo perfectionis eſt monitum, vniuersè, *Finis huius Recollectionis præcipuus, eſt integra tui ipſius Reformatio*; quæ duobus conſiſtit. Primò, vt omnes prauos affectus & inclinationes, ſiue habituales ſiue actuales ſint, ſiue à natura inditæ, ſiue vſu comparatæ, extirpes. Secundò, vt proſequaris perfectionem, quam à te Deus requirit, eoque ſtudio fias vir ſecundùm cor ipſius, & in omnibus, & per omnia, te exhibeas ipſius voluntati conformem, adeò vt impleantur his exercitijs in te illa verba, quæ olim Deus dixit Ieremiæ: *Ecce poſui te, vt deſtruas, & ædifices, vt eradices & plantes*.

Th. Kemp. in vita Gerar. cap. 6.

Iul. tr. 6. cap. 5. §. 32.

Claud. Aqu. l. induſtr. c. 3.

Suffr. in 1. die Exerc. Med. 1. nu. 2.

Ier. 2.

146 INCENDENDVMQVE ANIMVM. Languore, & debilitate in ſpiritu laboranti Claudius Aquiuiuus ſuadet, vt præmiſſis Exercitijs ſpiritualibus per aliquot dies, & diligenti Confeſſione, vel ab ingreſſu in Religionem, vel ab eo tempore, quo ſic ægrotare cœpit, renouet ipſe ſecretò ſua vota cum deſiderio quaſi denuò incipiendi; illud apud ſe conſtanter ſtatuens, & ſubindè repetens: *Et nunc quæ eſt expectatio mea nonne Dominus? & ſubſtantia mea apud te eſt*. Et illud: *Dixi nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelſi*. Et primò, illud inſonandum eſt, ait, quod certè vel profundè dormientem excitat: *Neſcit homo, vtrum amore, an odio dignus ſit*. Terribilis eſt, inquit D. Bernardus, locus iſte, & totius expers quietis: totus inhor-

Claud. Aqu. induſtr. c. 4. num. 10.

Fol. 38.

Fol. 76.

S. Bern. ſer. 23. in Cant.

rui ſi quando in eum raptus ſum, illã apud me replicans cum tremore ſententiam: *Quis ſcit, ſi eſt dignus amore, an odio?* Et cùm hæc cogitatio vel ſanctiſſimos viros, & quaſi columnas in Eccleſia, compulerit ad tremorem, quid nobis faciendum, qui ex multis reſponſum mortis in nobis habemus, ſi non aliquantulum ex quibuſdam coniecturis, & indicijs noſtræ ſalutis, recreemur? An quia Religionem ingreſſi ſumus, omnia tuta arbitramur? Fallitur nimis iſta perſuaſio, & periculosè decipitur.

147 PLVRIMVM VALENT. Spiritualia Exercitia quàm valeant, & conducant ad profectum Christi fidelium; teſtatur Paulus III. Pont. Max. qui eadem, *ſe comperiſſe*, inquit, *pietate, ac ſanctitate plena, & ad ædificationem, & ſpiritualem profectum fidelium valde vtilia & ſalubria eſſe, & fore*. Sed Luyſius Strata Ordinis S. Bernardi in Hiſpania, fuſiùs in quadam Epiſtola, de eorundem vtilitate ſic loquitur: *Notabiles effectus, ac fructus, quos hæc medicina ſanctorum exercitiorum efficit, & produxit in hominibus diuerſi generis, nec dici poſſunt, nec ſi narrarentur, crederent ij, qui non viderunt; quemadmodùm ipſe vidi, multas animas per hæc inſtrumenta ad vitam ſpiritualem adductas, è cœno atque ſterquilinio veterum peccatorum extractas; atque à morbis, qui videbantur inſanabiles, liberatas*. Poſtea miniſterium hoc appellat, *Viam compendij per quam Christiani faciliùs ſalutem conſequantur: arborem, in qua aues cœli nidificent*. Vt igitur dicam, cum Clericorum Minorum verbis; *ſtudeant omnes, vt hæc tam ſancta institutio* (ſpiritualia decem dierum Exercitia intelligunt) *nouo ſemper ſpiritu promota vigeat, ex qua Religioni fluenta ſpiritus promanabunt*. Hæc fuit S. Ignatio, vt Iulius Nigronius loquitur, *quaſi quædam opulentiſſima hereditas: in cuius poſſeſſionem, dum viueret, tanquam donatione inter viuos, Societatem immiſit; moriens eidem teſtamento reliquit, ea lege, vt in perpetuum veluti res pretioſiſſima in Ordine toto, atque in vſu poſterorum, conſeruaretur*. Et demum Prædicatores eandem inſtitutionem pluries ampliſſimè commendarunt. Primò enim Nicolaus Rodulphus, Magiſter olim Generalis, in Epiſtola ad omnes Prouincias tranſmiſſa, ſic ait: *Recollectionem verò decem dierum, iuxta formam præſcriptam; in Bulla Pauli V. noſtris Conſtitutionibus recentioris editionis adiuncta cap. de Indulgentijs, ſaltem ſemel in anno, de licentia Superiorum, ab vnoquoque opportuno tempore capeſſendam; vtpotè ad renouationem, & fomentum ſpiritus apprimè neceſſariam, ſummoperè commendamus*. Deindè, in Actis Capituli Generalis, Valentiæ celebrati; *Hortamur*, inquiunt, *omnes in Domino, vt ſanctam illam conſuetudinem, in aliquibus Prouincijs maximo cum fructu excultam, ſatagant introducere, vt ſcilicet fratres, aliquibus*

Paul. III. in approb. lib. Exerc. S. Ign.

Luyſ. ſtrata ap. Iul. tr. 6. c. 6. §. 41.

Cler. Min. in reg. & obſer. cem. c. 10. n. 5.

Nigr. tr. 6. cap. 1.

Cap. Gen. Valent. or. 2

bus diebus, ſe recolligant, & meditationibus pijs, ſe ad perfectiorem vitæ puritatem diſponant. Et in Capitulo Generali, Romæ coacto, anno 1650. inter Confirmationes, hæc habent: *Eandem conſuetudinem* (annuæ per decem dies inſtituendæ Recollectionis) *toto virium impendio confirmamus, vbicunque introducta eſt; ſicut illam in plurimis plerarumque fermè Prouinciarum religioſioribus vtriuſque ſexus Cœnobijs inæſtimabili animarum profectu, & chariſmatum lucro, iam vigere, mira cum voluptate reſciuimus. Vbi verò hæc nondum forſitan locum inuenit, accurent, tam Prouinciarum, & Congregationum, quàm Conuentuum, & Locorum Superiores, vt vniformitatis ſaltem, ſanctæque æmulationis ſtudio, quantòcyùs introducatur, & inualeſcat; nec patiantur ſubditos ſuos emolumentis, ac ſolatijs tanti theſauri (cuius forſitan dum ignoti minor eſt apud aliquos cupido) miſerrimè priuari.* Hæc Prædicatores. O vos Religioſi omnes, audite doctiſſimos, & diſertiſſimos Patres: & ſi quis es, qui fortè ditari cupis, eia mox ad Receſſum, vti ad vberem theſaurum, accurre. *Cap. Ro. conf. 4.*

148 Quàm verò hæc recollectio in ſeceſſu tutiores nos ab inſultibus atque oppugnationibus hoſtium reddat; Iulius Nigronus tribus ſimilitudinibus oſtendit & explicat. Primùm exercitus in militia: qui ſi deſertis ordinibus diſſipatus, diſperſus ac diuiſus in multas partes inueniatur ab hoſtibus, funditur facillimè, cæditur, profligatur. Sic Religioſus effuſus dimittit facultates animæ, earumque actiones, ſenſus eorumque operationes, tanquam milites ſuos, huc atque illuc ad prædandum res creatas, exponitque magnis periculis: quia dum prædas quærunt vt capiant, non raro vel captiui fiunt, vel vulnere lethali occiduntur, vt interdum venatores laniantur à feris. Cùm ergo imperat ſeceſſum Superior, vox illius, tanquam militaris tuba, habens maximam vim, receptui canit: reuocat cogitationes, atque operationes, facultateſque omnes palantes, ac vagantes, à prædando coercet; cogitque in ordinem ſub vexillis: eripit à periculis, & locat in tuto, tanquam intra munitiones, vallum, & caſtra. Similitudo altera eſt fluminis. Id enim ſi deriuetur in multos nilos ac riuos, ſiccatur facilè ductis foſſis, & ab arida terra conſumitur & abſorbetur. Hoc planè Dæmon ab Religioſo viro fieri exoptat: quemadmodùm, inſano quodam furore percitus, Cyrus Rex feciſſe narratur: qui cùm vado fluuium Gynden poſt Euphratem maximum tranſire tentaſſet, atque ab illo ſibi equum album curulem abreptum intellexiſſet; minitans eò ſe reducturum illum, vt tranſiri calcarique etiam à fœminis poſſet; in trecentos & ſexaginta riuos diſperſit, ac ſiccum fermè reliquit. Quod ſi deriuatæ aquæ iterum *Nigr. fol. 84.* *Herod. lib. 1. & 5. L. Sen. lib. 3. de ira cap. 21.*

in album defluere permittantur, recuperat vim ac magnitudinem suam, incitatius decurrit, fert naues onerarias, non patitur sibi pontes imponi, moles obiectas cursui subuertit, metuitur ab hostibus: quod anteà, pedibus vado, trânsibatur, in mare influens, vndas suas longo spatio discretas à marinis fluctibus conseruat. Simili ratione Religiosi viri animus, recolligens aquas aliò deriuatas in externas occupationes, fert onera maiora, resistit tentationibus, superat difficultates perfectioni obsistentes, velociùs ad illam progreditur: se diligentiùs ab hoc seculo immaculatum custodit: tutus redditur à Dæmone, qui omnem ipsius virtutem absorbere parabat: quippè quòd de eo dici potest, quod S. Iob de Behemoth ait: *Ecce absorbebit fluuium, & non mirabitur: & habet fiduciam, quòd influat Iordanis in os eius.* Sensus historicus de Elephanto est (ex Pineda) qui est maxima belluarum, cuius magnitudini bibacitas immensa respondet. Idque de Dæmone capit allegorico sensu S. Gregorius: qui nimirum, voracitate sua, humani Generis flumen ferè totum absorbuit, ante Saluatoris aduentum; & fore sperat, vt Iordanis, hoc est, Baptizatorum multitudo in os eius per damnationem ingrediatur. Per fluuium item absorbendum, significari docet scelestos homines, qui Dæmonis guttura voracissimi non effugiunt: per Iordanem, studiosos virtutis, & perfectionis amantes, atque prædestinatos, quos sperat suis se fraudibus illicere posse, atque vnà cum alijs absorbere. Quò ergo aquis fluuius est turgidior, eò tutior est ab ore ac faucibus Behemoth, qui non valet absorbere & siccare Iordanem, nisi fortè per effusionem ad exteriora diminutum. Tertia similitudo ex ijs Dauidis verbis, *Petra refugium herinacijs*, sumpta est: qui, ex Chrysostomi ac Theodoreti sententia, celebrat cum admiratione Dei Prouidentiam; qui vel vilissimis animantibus cibum, & latibula tribuit, vt viuere possent. Symmachus apud Chrysostomum, vertit *terrestrem Echinum*, sub cuius genere est quoque hystrix, missilibus aculeis conuestitus. Moraliter locus potest intelligi de viris Religiosis, quos aptissimè exprimit genus herinaciorum, si proprietates expendas, obseruatas ab Aristotele, Plinio, Æliano, & S. Hieronymo: quòd sit animal paruum, timidum, fugax, villis aculeatis opertum, prouidum futuri, ventorum obseruans. Sed ad rem nostram maximè faciunt duæ hystricis proprietates, verbis psalmistæ conuenientes. Primùm in suo latibulo, quod excisum in petra significat Dauid, se recondit hibernis mensibus, cùm fert vterum præsertim triginta dies. Deindè cùm exit ad necessaria vitæ comparanda, non solùm se tuetur ab hostibus, conglobans se in pilæ formam vndique tutus: sed etiam cutem inten-

Iob. 40. 18.

Greg. l. 31. mor. c. 9. al. 10.

Psal. 103. 18.

Arist. l. 9. hist. c. 6. Plin. lib. 8. c. 37. ÆElian. lib. 3. de anim. c. 10. & lib. 6. c. 13. S. Hier. ep. 8. ad Dem. Ar. lib. 6. c. 30. & lib. 9. c. 39. Plin. lib. 8. c. 35. ÆEl. lib. 1. c. 32.

 dens,

dens, iacit aculeos, quos missiles habet, & ora canum vrgentium figit, & colubros insultantes. Mistæ ergo vitæ Religiosus interdum se recondat ad aliquot dies, tum hyemis tempore, hoc est alicuius tentationis, teporis, frigiditatis spiritualis, vt tutiùs recalescat: tum facinus aliquod præclarum cùm animo concepit, atque molitur, vt ad maturitatem perducat, & feliciter pariat aliquando quod parturit. Refugiat autem in petram, hoc est, in secretum conclaue, in locum à turba remotum, securum à periculis, per triginta dies: vbi meditationi sedulò incumbat, diuinam voluntatem exploret, imploret auxilium, & quasi vitæ legem quandam accipiat. Ideò Columba *in foraminibus petræ* inuitatur in Canticis. Habitare in petra relictis suadet Ciuitatibus Ieremias. Dei posteriora vidit Moyses in foramine petræ. In ostio speluncæ vocem Domini audiuit Elias. *Nos quoque*, P. Iulius Nigronius inquit, *in petra, idest, in secessu meditatorio, & tuti erimus, & incalescemus, & fætum augebimus, & similia dictis consequemur.*

Cant. 8. 14. Ier. 48. 28. Ex. 33. 23. 3. Reg. 19.

149 Cæterùm, de Annuæ Recollectionis institutione ac progressu, Gregorium du Crocq, Præmonstrati Ordinis Procuratorem Generalem, virũ olim in Vrbe ornatissimum, audiamus. *Recollectio ipsa*, inquit, *tanti habita est antiquitùs apud homines, vt dedicauerint ei omnes ferè solitudines: nec contenti fuerunt se recolligere semel in anno, sed recollecti erant perpetuò. Monachi propter ipsam in syluis latuerunt, antra incoluerunt, ad montes ascenderunt: Clerici propter ipsam ad interiora deserti migrarunt: Præmonstratenses propter ipsam ad loca horroris & vastæ solitudinis Canonicatum transportarunt. Ordines antiqui, quod sciam, in antiquitate sua nescierunt quicquam de Recollectione annua, vtique apud quos erat continua. Sanè in primæuis nostris Præmonstratensium statutis nullum est vestigium annuæ Recollectionis: siquidem non relinquunt cathedram, in qua sedere possit pestilentia dissolutionis. Equidem annuam fuisse inuentam à Religiosis Vrbes habitantibus existimo, quò possint sordes ex continua hominum conuersatione contractas eluere semel in anno. Et quia solerter inuenta, tam aptis meditationibus ad finem suum fuit accommodata: & ex alia parte solitarij Ordines continuam Recollectionem haberẽt pro natura: & vt ab assuetis non fit passio, ita non paterentur ab ea; nec sic adeò feruenter amarent cælestia, vt æquarent eos, qui ista faciunt exercitia: hinc est, quòd & ipsi voluerint vsurpare illa. Itaque ista Recollectio testimonium habet suæ vtilitatis, quando fructum affert etiam perpetuò Recollectis. Statuta generalia renouata, seu quæ omnibus Præmonstratensibus recenter fuerunt demandata, præcipiunt eiusmodi Exercitia, ad Nouitiatum admittendis, præcipiunt professuris, præcipiunt primitias celebraturis, præcipiunt Cura-*

Greg. du Crocq de Recollectionis instit.

tis &c. Qualiter autem fiant si quærat; dicam fieri, sub Vno qui dirigat: qui Meditationes præscribat: qui fructum requirat: qui doceat, consulat, & Confessiones excipiat; adeò vt qui se recolligit, pro Nouitio se habeat, nec de ipso etiam in tali arte Magisterio quicquam præsumat. Hæc ille de Annuæ Recollectionis progressione & initio.

Pramonstratenses in statut. dist. 1. c. 15. nu. 21.

DISQVISITIO QVARTA.

De fructu, quem S. Ignatius Loyola, & Societas Iesu hausit, ex spiritualibus Exercitijs. Et quomodò nostri Ordinis Conditores diuturniorem secessum ab initio fundati Ordinis adamarunt.

150 RECollectionem siue secessum ad Exercitia spiritualia Viri sancti, atque Religiosi passim homines, vt vidimus, certatim excoluerunt. Attamen, si faciliorem modum, atque vsum frequentiorem, apud quodcunque hominum genus ferè hodiè introductum inspicio; profectò inuidus ero, si S. Ignatio Societatis Iesu inclyto Conditori, quem humillimè colo, hanc laudem præcipuè non concedam; ipsumque cum Ioanne Lorino, amplissimo Psalmorum interprete, non fatebor, verè *spiritualis Secessus Instauratorem*. Et praxis, qua Societas Iesu vtitur, siue (vt P. Franciscus Sacchinus loquitur) *ratio exercendi spiritus, à B. Ignatio inuenta*: vti nos fusiùs in Religiosorum Ordinum inuentis ostendimus. Quapropter S. Franciscus Borgia meritò Paulo III. Pontifici affirmauit, spiritualia hæc Exercitia esse *magnoperè vtilia ac salubria Christi fidelibus ad spiritualem consolationem, & profectum.* Et Petrus Ortizius tanto cum animi fructu, virtutisque accessione, quadraginta dies salutaribus hisce Meditationibus vacauit, vt quanquam Christianam Philosophiam multo ante professus, tamen se tum demum verè philosophari cœpisse fateretur: gloriabaturque præterea, *nouum se Theologiæ genus apud Ignatium addidicisse; quam tanto cæteris præferebat artibus, atque doctrinis, quanto præstantius est discere, vt agas, quàm vt cæteros doceas: quippè in hac, intelligendi vim dumtaxat; in illa voluntatem insuper expoliri, & ad splendorem summi boni, & æternitatis amorem, totum hominem excitari.* Luysius item Strata Ordinis S. Bernardi in Hispania, in epistola consolatoria, quam ad Societatem scripsit XII. Februarij M. DLVII. ministerium hoc extollit, verbis supra relatis *fol. 232. num. 147.* Bartholomæus verò Torres, Episcopus Canarien-

P. Ioannes Lorinus in comm. psalmi 45. ver. 11.

Andreas Sch. lib. 1. Vita cap. 13

Maffeius lib. 2. vita S. Ign. c. 6.
Orlandinus lib. 2. hist. Soc. §. 35.

Luysius Strata in epist. de morte S. Ignatij.
Orlandinus lib. 16. histor. §. 117.

ſis, vt refert Nicolaus Orlandinus, negat quempiam eorum vim æſtimare poſſe, qui non guſtarit: ait referri ad virtutes inſerendas & extirpanda vitia: triginta ſtudij Theologici annis, non tantum ad ſuam vtilitatem didiciſſe, quantum diebus paucis in exercitijs: nouiſſe multos tum Religioſos, tum ſeculares, qui magnum ex eis pietatis fructum retulerunt: valde intereſſe, ſcire vt doceas, ac ſcire vt facias, quod exercitia docent. Prætereà theſaurum vocat: & denique in eis aſſerit recognoſci vitam ante actam, & ſtatui de futura. Nec S. Tereſia, S. Carolus, & alij exacti & huius ſeculi Heroes, ſine Societatis inſtructione directioneue, ſpiritualia hæc Exercitia peregerunt. Orlandinus. lib. 13. hiſt. §. 34. & ſeq.

151 Sed & S. Caietanus, ac Theatinus Epiſcopus, noſtri Ordinis Conditores ac lumina, inſtitutæ Religionis, ac cuiuſque, Romanæ præſertim, Venetæ, Veronenſis, ac Neapolitanæ Fundationis initio, diuturniorem ſeceſſum inſtituebant, adeò vt quandoque à populis Nomen *Eremitarum* acceperint: & in Monte ſoracte, *Ereminticum Monaſterium*, quod viciſſim incolerent, inſtituere cogitarint: quæ diligentiſſimè omnia P. Ioannes Rhò in ſuis interrogationibus affert: & nos in Ioanne-Petro Carafa à Societate Ieſu defenſo *par. 5. diſquiſit. 2.* ſedulò expendimus. Ideòque Neapoli, vbi verſamur, arctius hoc Cœnobium inſtituimus, vt quam Noſtri Romæ, in Monte Pincio; Venetijs, in Parœcia S. Euphemiæ; Veronæ, in hortis Nazarenis; & hic Neapoli, extra Portam Ianuariam, viuendi formam ac ſolitudinem (ad tempus tamen, quod multis in locis luculenter oſtendo) vt arctiùs cum Deo agerent, obſeruabant; viciſſim eaſdem hodiè, ad reſumendas animi vires, & ſpiritus feruorem excuendum, exercitationes ſubire non prætermitterent. Qua de re nos ſatis alibi diſputauimus. Rationē verò quæ in mente habenda à Noſtris oratione ſeruanda eſſet, ex ſacris Euangelijs Theatinus Epiſcopus ordinauit; & nos in Ioanne-Petro ſuperiùs citato retulimus *fol.* 108. Vide Caſtaldum in eius vita *cap.* 2. & Silum in hiſtorijs *par.* 1. *lib.* 3. *fol.* 112. Quod autem ſpectat ad vitæ ſpiritualis inſtructionem, & interioris potiſſimùm hominis diſciplinam, ipſamque obſeruantiam regularem, id Noſtri iubentur ex Pugnæ ſpiritualis libello petere; quem apud ſe, cum ſacro Euangeliorum Codice, quiſque tenetur habere. *Hoc pugnæ ſpiritualis libro vti Theatinos Patres*, aiebat S. Franciſcus Saleſius, *ferè ſimiliter atque Patres Societatis libro Exercitiorum B. Ignatij.* Vide quæ in ſermonibus S. Caietani de hoc aureo libello in lucem edidimus *fol.* 421. *& ſeq.* Hunc nos breui, ſi Deus annuat, iterum imprimemus, ea ordinatione diſſectum, vt cuique Exercitiorum diei ſua lectio correſpondeat.

P. Ioannes Rhò interrog. 15. Vide Io. Petrum Carafam à Soc. defenſum fol. 220. 227 207. & noſtros ſermones de S. Caietano fol. 140. & ſeq. Vide infra diſq. 8.

S. Franc. Sales apud Io. Petr. Camus in ſpiritu B. Franc. par. 14. ſect. 15.

DISQVISITIO QVINTA.

De statuendis in quouis Monasterio Cubiculis; quæ apta & opportuna videri possint, spiritualibus Exercitijs obeundis.

152 IN REMOTO. Quis locus ad Spiritualia Exercitia sit aptus, ac deligendus; docet S.Basilius, cùm ad S. Gregorium Nazianzenum hæc scripsit: *Esto igitur locus aliquis huiuscemodi, qualis hic noster, ita ab hominum congressu liber, vt à nullo extraneorum irrumpente, assidua interpelletur meditatio.* Verùm, Autor Epistolæ ad Celantiam, siue is sit S.Hieronymus, siue S.Paulinus, locum ad secessum suadet, ne dum ab extraneorum congressu liberum, sed etiam à domesticorum strepitu (vt habes in Decreto) remotum: *Eligatur*, inquit, *tibi opportunus, & aliquantum à familia strepitu remotus locus, in quem, tu velut in portum, quasi ex multa tempestate curarum te recipias; & excitatos foris cogitationum fluctus secreti tranquillitate componas*. Talem quotannis, pro secessu decem dierum, suadet Iacobus Marchantius è Congregatione S.Caroli, in Horto Pastorum, his verbis: *Cæterùm, ad annuam hanc Recollectionem, iuuat eligere locum solitarium, & à turbis remotum, qui mentis etiam solitudinem generare possit, vel adiuuare, vt Dominus ibi loquatur ad cor, & animus in silentio diuini susurri ventas possit percipere*. Et planè, sanctissima Dei Mater, nostra post Christum Magistra, & specialis Spiritualiũ Exercitiorum Patrona, videtur coluisse hunc secessum, & sola in secretiori domus cubiculo orasse; cùm, vt loquitur S. Ambrosius, *Inuenta domi in penetralibus, sine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obstreperet*.

153 Porrò in Aedibus sancti Ioseph Panormi, scio à nostris olim excogitatum, vt supra Templi fornicem, ædiculæ aliquot, & apta hæc cubicula, ad Spiritualia Exercitia, extruerentur. Quod vt fiat, primò S. Carolus sit exemplo: cùm, vt Clerum ad eandem Recollectionem induceret, *Locum ad eam exercitationem accommodatum, multis cubiculis distinctum ædificauit, in hortis Ecclesiæ, quæ Canonica nomine appellatur*. Ioannes Petrus Glussianus, posterior vitæ S. Caroli scriptor, addit, in portæ superliminari, græcè hoc nomen appositum, Ἀσκητήριον: quod si verbo reddas, *Exercitatorium* dixeris; vt Garcias à Cisneros, S. Benedicti Monachus, suas Meditationes inscripsit: si exprimas sensum, voce Tertullianica, est *Cogitatorium*;

S. Bas. ep.1. ad Greg.

S. Hier. ep. 14. ad Cel.

Marcb. in virga Aaron tr.3. l.13.

S.Ambr.l.2. de Virg.

Car. ep. Nouar. Vit. S. Car.l.7.c.31 Gluss.l.2.c.5

Tertull. l.de resur. car.c. 15.

aut Hieronymiana, *Meditatorium*. Carmelitæ Discalceati, *Eremitorium* vocant: *Si fuerit*, inquiunt, *intra septa Cœnobij Eremitorium aliquod segregatum, ibi Exercitia peragenda sunt regulariter*. Ego *Asceterium* appellarem. Sic S. Carolus, vt Episcopus Nouariæ narrat, *Asceterium congruenter nominauit*. Et P. Claudius Aquiuiuus, *in extraneorum commodum*, scripsit ad Superiores Societatis, *de Asceterio adificando*.

S. Hier. l. 2. adu. Iouin.

Instr. Carm. V. modus in Exerc. n. 5. & Iu. Nigr. tr. 6. §. 21.

DISQVISITIO SEXTA.

De locis & cubiculis, à PP. Prædicatorum Ordine, pro spiritualibus Exercitijs obeundis, in Sicilia destinatis.

154 AGE hîc, omnibus Religiosis viris ad imitandum proponam eximiam pietatem, regularis obseruantiæ zelum, & insignem industriam illustrissimi Ordinis PP. Prædicatorum; inter cuius Ordinationes, ab eximio viro, Commissario, Visitatore, & Vicario Generali, in Siciliæ Prouincia, editas, de statuendis Exercitiorum Cubiculis, multa inuenio, quæ quòd alios ad idem studium incendere poterunt, huc exscribere omnia non grauabor.

Vniuersis PP. ac FF. Ord. Præd. Prouinciæ Trinacriæ, F. Gregorius Areilza S. Th. Mag. &c.

Cùm fuerit nobis iniunctum à Reuerendissimo P. N. Generali, per literas patentes tenoris sequentis. In Dei Filio sibi dilecto, Adm. R. P. Mag. fr. Gregorio Areilza, Vic. Generali Congregationis nostræ S. Mariæ Sanitatis de Neapoli, fr. Io. Baptista de Marinis &c. Ex debito muneris nostri tenemur, omni studio, interiori negotio gregis nobis commissi, quantùm in Domino possumus, prouidere. Pro quo, magni ponderis iudicamus fore, si laudabilem consuetudinem aliquarum Prouinciarum, & Congregationum nostri Ordinis, de Recollectione decem dierum semel in anno à singulis fratribus præstanda, pro viribus, ad reliquas etiam Prouincias, extendere curauerimus. Qua propter, tenore præsentium, tibi præfato A. R. P. Mag. F. Gregorio Areilza, Visitatori, & Commissario nostro in Prouincia Trinacriæ facultatem concedimus, vt in quolibet Conuentu eiusdem Prouinciæ aliquas Cellas destinare possis, quæ tibi magis opportunæ videbuntur, vt in ipsis quisque ab alijs segregatus, pro huiusmodi Exercitijs Spiritualibus, se recolligere debeat semel in anno per decem dies, &c. Nos itaque iussibus, ac ardenti Zelo

Mag. Greg. Areilz. in Ord. Præd. prou. Trinac. nu. 2. fol. 6.

Lib. 5. Disq. 47.

Reuerendissimi P. N. obtemperare cupientes, statim, ac ad hanc Prouinciam accessimus, vires nostras huic operi impendimus, curantes typis iterum demandari libellum quendam, pro hoc negotio satis idoneum. Et certè voti compotes effecti sumus: nam, in locis remotioribus vtriusque Conuentus Panormi, omnes fermè fratres alternatim ab alijs segregati, per decem dies, ita meditationibus, ac orationibus vacarunt, vt breui non modicam morum emendationem, ac spiritus renouationem experti fuerimus: Quod in alijs etiam Conuentibus huius Prouinciæ in dies experimur; & si quid laude dignum ex hac nostra visitatione euenisse visum fuerit, ab hoc vnico fonte dimanasse credendum est. Quare, summoperè commendantes ordinamus omnibus, & singulis Patribus, ac fratribus huius nostræ Prouinciæ, vt per decem dies à negotijs alieni, & ab aliorum conuersatione separati, semel in anno, se recolligant in locis, in quolibet Conuentu à nobis specialiter deputatis, vel in proprijs cellis, vbi locus opportunior non aderit: operam dantes lectioni librorum ad spiritus deuotionem inducentium; addentes meditationes, quibus fidei mysteria, diuina beneficia, & quatuor nouissima recoluntur. Sed præcipuè seruandus est ordo meditationum in prædicto libello præscriptus &c. In hoc autem opere augendo, ac stabiliendo, sciant A. RR. PP. Prouinciales præcipuas suæ solicitudinis partes esse repositas: & pro comperto habeant ipsorum regimen felicissimum fore & Deo gratum, si huic rei diligenti studio operam nauauerint. Et præcipimus in virtute Spiritus sancti, sanctæ Obedientiæ, ac sub formali præcepto, omnibus, & singulis huius nostræ Prouinciæ, ne Loca à nobis, in pluribus Conuentibus, pro huiusmodi Recollectione destinata, ad alios vsus conuertere possint, nisi de consilio Patrum alia idonea substituant: mandantes, sub eodem præcepto, ne à prædictis Locis amoueant Imagines, & alia, quæ pro decore, & ornatu, & ad excitandam deuotionem in eisdem reposuimus: Altare quoque erectum in destinato sacello seruetur. Hæc Prædicatores. Audiant Religiosorum Prælati: & qui sartam tectam Ordini cupiunt disciplinam, cubicula hæc destinare non prætermittant: eaque sic disponant, & ornent: vt facilè subditi, loci etiam religione, ac deuotione capti, ad Spiritualia Exercitia alliciantur.



/Lib. 5. Disq. 47.

DISQVISITIO SEPTIMA.

Quomodò Sæculares viri fecedere, atque à Religiofis excipi debeant? Quomodò olim fecederent Epifcopi ad Cœnobia Regularium. Et de ftatuendis, fi fieri poffit, omnium fecesfui Monafterijs.

155 S. Ignatius fecularibus & occupatiffimis viris fuafit, vt è propria domo in aliam, ad aliquod temporis fpatium, fe conferrent. Nam fecundùm fucceffum communiorem, vt inquit, tantò quis maiorem faciet progreffum fpiritualis vitæ, quantò magis ab amicis notifque omnibus, & ab omni rerum humanarum folicitudine, fe fe abduxerit: vt fi ab ædibus priftinis, migret in domum cellamue aliquam fecretiorem, vnde ipfi liberum fecurũque fit egredi ad matutinum facrum Miffæ, vel ad Vefperarum officium. Sed P. Iulius Nigronus, *Extraneis,* fuadet feceffum *in fuburbanum aliquod; vt ab vrbanis occupationibus, ciuium amicorumque falutationibus, & domefticorum moleftijs liberi fint: aut certè in Religioforum Monafterium, vbi vigeat regularis obferuantia, feruetur que falutare filentium.* Verùm ipfos, à fuis Domibus, & Collegijs, non excludit; nec P. Claudius Præpofitus Generalis Eiufdem Societatis, in fuo Directorio: *Dummodò,* inquit, *Cubiculum fit à fociorum noftrorum habitatione atque officinis remotum.*

S. Ign. annot. 20.

Nigr. tr. 6. c. 4. §. 15.

Ibid.

Direct. Exer. c. 4. §. 1.

156 Panormi olim, ad fuburbana hæc Cœnobia fecedebat infignis ac Venerabilis Dei Vir, Hieronymus Vella, non tam fcientiarum peritia, quàm fpretis mundi honoribus, vltrò illi à Philippo III. Hifpaniarum Rege delatis, mira corporis caftigatione, vberi lacrymarum dono, & affidua in Deum ecftafi, celeberrimus. Ante enim Chrifti Natalem diem, fanctiorem Hebdomadam, & facrum Pentecoften, extra Vrbem, fe ad Patrum Benedictinorum, vel Minorum Reformatorum Cœnobium, conferebat: vbi, abditus in aliquod ipforum Cubiculum, eo iugi amoris exceffu ferebatur in Deũ, vt nifi iuffus à directore, cuius fe imperio ac nutui mancipabat, vix corpori cibum, aut fomni otium, indulgeret. Et docuit ipfe hunc ritũm fodales fuos, quos vitæ potiùs documento, quàm verbis ad omnem pietatem erudiebat. Imò etiam Marchio Villenenfis, tum Siciliæ Regni Prorex, illectus eius exemplo, cum eo in fanctæ Mariæ Angelorum feceffit aliquot dies. Sic Bartholomæus Magius gener, qui & legum peritiam, & omnem eius integritatem ac virtutem ex-

Barth. Mag. in eius vita.

presserat; quotannis, vt ab eo didicit, insignioribus festis, in Capucinorum, vel aliorum Patrum Monasterio versabatur. Et sanè sanctus Ignatius, quem primum Romæ Spiritualibus Exercitijs excoluit, Petrum Ortizium, vt refert Iulius Nigronus, *ad montem Casinum duxit, in illud Monasterium, quod sanctus Benedictus vita virtutibusque suis sanctum ac venerandum effecit: cuius Beati Ignatij commorationis memoriam retinent atque colunt religiosissimi Patres Casinenses.* Ita Nigronius, citatque de hoc Bibliothecam Floriacensem Ioannis à Boscho, Monachi Cælestini.

Nigr. tr. 6. c. 4. nu. 15.

Bosch. p. 1. bibl. in thẽn. lit. fin.

157 Sed hic ritus, vt in sancto Carolo est visum, etiam Antistitum fuit. Sic S. Zenobius, Episcopus Florentinus, se quotannis populo subducebat, recondens in Monasterio suburbano sancti Laurẽtij; in quo paulò ante sanctus Ambrosius suam Recollectionem instituebat. Beatus Eulalius, Syracusarum Episcopus, vt narrat scriptor vitæ sancti Fulgentij, *Monasterium proprium habebat, cui semper adhærebat, quoties ab Ecclesiasticis actionibus vacabat.* Sanctus Hugo, Lincolniensis Episcopus, in Monasterium Vuictauiense se abdere solitus fuit; quem sanè morem, multi ad hanc diem nostræ Congregationis Episcopi coluerunt: & pauci admodùm è nobilibus sunt hodiè, in seculo, vitæ spiritualis professores, qui non obseruant. Ipsa enim loci sanctitas, & Religiosorum disciplina, & Templi propinquitas, & longinquitas seculi, mirificè animum excitant, & attollunt in Deum: quod teste sancto Hieronymo, & Platonici, & Stoici etiam obseruauerunt; *Cùm in templorum locis & porticibus versarentur, vt admoniti augustioris habitaculi sanctitate, nihil aliud quàm de virtutibus cogitarent.*

Io. Archipr. Aret. in vita S. Ze. Aut. vita S. Fulg. c. 12.

S. Hier. 2. cõtra Iouin.

158 Et planè, perplures sunt hodiè Religiosi viri, qui homines seculares ad Spiritualia Exercitia excipiunt, ac erudiunt, in ædibus & cœnobijs suis: præsertim, Congregatio Missionis in Gallia, Congregatio sancti Eliæ Carmelitarum Excalceatorum, & ante hos Societas Iesu; cuius constitutiones hæc habent: *Ad Exercitia Spiritualia alijs tradenda, postquàm quisque ea in se fuerit expertus, assuescant: & dent operam omnes, vt & eorum reddere rationem, & in hoc armorum spiritualium genere tractando (quod Dei gratia, ad ipsius obsequium, tantoperè conferre cernitur) dexteritatem habere possint.* Et in septima parte, ijdem iubentur proximum ad meliora promouere, *etiam tradendis Spiritualibus Exercitijs.* Ex quibus alijsque locis Constitutionum & Declarationum, transcripta est Regula xxxx1. Præpositi: *Curet, vt nostri, in Spiritualibus Exercitijs tradendis accuratè exerceantur, postquàm ea in se fuerint expertis nulius tamen deberet ea tradere, nisi pru-*

Const. S. I. p. 4. cap. 4. §. 5.

 dentia,

dentia, ac rerum spiritualium vsu satis probatus esset. Et Regula VII. Sacerdotum: *Intelligant sibi ratione peculiari incumbere, vt Exercitiorum Spiritualium, quæ tantoperè ad Dei obsequium conferre cernuntur, vsum valdè familiarem habeant; quò, & alios ad ea suscipienda adducere, & in eo tam vtili armorum Spiritualium genere tractando, dexteritatem habere possint.* Sic inter occupationes Sacerdotum collectas in IV. instructione, ponitur Traditio Exercitiorum. Quam ob causam, P. Claudius Aquiuiuus, quintus Societatis Præpositus, datis literis in omnes Prouincias, anno 1599. Directorium recognitum probatumque transmisit, monuitque superiores, vt *in nouorum ædificiorum descriptione, locus designaretur Exercitijs faciendis aptus, qui nec domesticis incommodaret, nec extraneis:* atque iam ædificatis, *certus locus idoneus extraneis excipiendis stabiliretur.* Quod nemo non laudat, & nostri olim in Missionibus factitarunt. Neque vna hinc seculari homini vtilitas fuit: & sanè sanctus Ignatius tres attingit. Prima est, quòd exclusis amicis, & familiaribus, negotijsque minùs rectè ordinatis ad Dei cultum, gratiam apud Deum non mediocrem meretur. Secunda, quòd per huiusmodi secessum, intellectu minùs quàm antea distracto in diuersas partes, sed collecta redactaque omni cogitatione ad rem vnam, scilicet ad obsequendum Deo Creatori suo, & saluti animæ suæ consulendum, multò liberiùs ac expeditiùs vtitur naturæ viribus, in quærendo eo, quod desiderat tantoperè. Tertia, quòd quantò se magis reperit anima segregatam ac solitariam, tantò aptiorem se ipsam reddit ad quærendum, attingendumque Creatorem, & Dominum suum: ad quem insuper quò propiùs accedit, eò meliùs ad suscipienda bonitatis diuinæ dona disponitur.

Instr. 4. §. 3.

P. Claud. ep. 15. de vsu Exerc.

Nigr. lo. cit. nn. 21.

S. Ign. ad not. 20.

159 Ego verò non secularibus tantùm, sed nostris etiam Præpositis, & alijs Superioribus, & viris occupatissimis suaderem, vt, Panormi, Neapoli, & vbi sit, non in proprio Monasterio, sed, in altera nostri Ordinis Domo, Recollectionem instituant: quod, de Patribus Societatis Iesu, Iulius Nigronius refert: *Sodales nostri*, inquit, *qui multis negotijs impliciti sunt, iubentur aliò commigrare; vt puta in domum Probationis, aut in suburbanam, vbi non possint ab externis conueniri, ac turbari.* Ob id Granatensis, ex proprio Cœnobio, ad collem in antrum secedebat: quod hodie vocant, *La Queua del P. Fray Luis de Granada*. Et antrum sibi pro secessu delegit Æmilianus, Venerabilis Patrum Somaschenorum Fundator, S. Augustinum Clericorum Regularium Parentem Maximum imitatus, de quo apud Volaterranum hæc lego: *Coactus est, quendam montem aditu difficiliorem petere, vbi tugurium inter saxa vilissimum, separatumque à cæteris fece-*

Nigr. tr. 6. c. 4. §. 15.

F. Hier. Io. à Capugn. in vita Ludou.

Const. in vita Aemil. l. 3. cap. 12.

rat : reliqui verò socij, iactu fundæ remoti, circumsistebant. Et nunc planè intelliges psalmi 141. titulum: *Intellectus Dauid dum esset in spelunca*. Vbi legitur à Pagnino, *Oratio Dauid*; & ab alijs, *Eruditio Dauid*. Quod in rem nostram, Alexander Sperellus Episcopus Eugubinus obseruat.

Sperel. in Episc. par. 2. cap. 57.

160 Illud autem meo iudicio facillimum, & optimum foret, quod P. D. Ioannes Gonzaga, Præpositus olim Generalis, omninò decreuerat; præsertim Neapoli, vbi plura nostri Ordinis domicilia extant: scilicet, vnam aliquam domum, omnium secessui deputari; quò, vicissim, obituri Exercitia se conferrent. Quamobrèm, eò Panormo nos allegauerat: vt, in Monte S.Martini, non longè à Theatina Virginum Congregatione, & Eremitarum Monialium sede, domum nostrorum hominum solitudini extrueremus; vbi, & qui Virgines regerent, & qui Spiritualia vicissim Exercitia obirent, stato temporis spatio, versarentur. Sed egregium consilium, quod tunc obortæ aliquot in ea firmanda difficultates, & improuisa Patris Generalis mors, non sine plurium mœrore, suppressit; nunc PP.D.Petrus-Paulus Nobilionus, D. Caietanus Garimbertus, & D.Carolus Pignatellus, nostri Ordinis Generales, ad exitum perduxerunt, vti dicemus.

DISQVISITIO OCTAVA.

De Domo sanctissimi Sacramenti, & immaculatæ Conceptionis, Neapoli, pro spiritualibus Exercitijs obeundis, à Clericis Regularibus instituta: & de aliquot Monasterijs à Prædicatorum Ordine destinatis.

161 DOmum, quam dixi, M.N.D. Vrsula Benincasa longè ante prænuntiauit: iactoque etiam lapide, illius aream & situm indigitauit: ac illis verbis, VBI ORAT SACERDOS (quæ hodiè supra ostium marmori incisa conspiciuntur) Orationi ac Recessui fore sacram, satis innuit & expressit; vt multæ eius Vitæ Scriptores Latinè vel Italicè narrant. Nec nostri Ordinis eam solùm Comitia Generalia sæpiùs approbarunt, sed & Diploma etiam Pontificium, quod sic habet:

CLEMENS PAPA X.

Ad Perpetuam Rei Memoriam. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Nobilis Vir, Petrus de Aragonia, Dux Segorbiæ & Cardonæ, Regni Nea-

Lib. 5. Disq. 49.

polis Prorex, ac Charissimi in Christo Filij nostri Caroli, Hispaniarum Regis Catholici, apud Nos & Sedem Apostolicam Orator, ad præstandam Nobis eiusdem Caroli Regis nomine Obedientiam missus, quòd Congregatio Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum, prope & extra mœnia Ciuitatis Neapolitanæ, Domum habet cum Oratorio priuato, à duobus Monialium Monasterijs Eremi & Congregationis Conceptionis B. Mariæ Virginis immaculatæ nuncupatis, Curæ & Gubernio dictorum Clericorum Regularium (vt asseritur) subiectis, debitè distantem: in qua Clerici Regulares Congregationis huiusmodi, Gubernio & Seruitio dictorum Monasteriorum addicti, exemplariter & religiosè, ac in maxima à secularibus segregatione viuunt. Cùm autem, sicut eadem expositio subiungebat, aliqui alij Clerici Regulares dictæ Congregationis in Domum prædictam, vt ibidem Spiritualia Exercitia quietiùs obire valeant, interdum se recipere posse plurimùm desiderent: Nobis propterea prædictus Petrus Dux, Prorex, & Orator, humiliter supplicari fecit, vt in præmissis opportunè prouidere, & vt infrà indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Petri Ducis, Proregis, & Oratoris desiderio hac in re quantum cum Domino possumus fauorabiliter annuere volentes, eumque à quibusuis excommunicationis suspensionis & interdicti, alijsque ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à Iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, vt præter memoratos Clericos Regulares, Gubernio & Seruitio prædictorum duorum Monasteriorum Monialium nunc & pro tempore respectiuè addictos, seù assignatos, alij dictæ Congregationis Clerici Regulares expressè Professi, de Superiorum suorum licentia, in Domum supradictam, Spiritualium Exercitiorum huiusmodi obeundorum gratia, se recipere, ibique ad aliquod tempus commorari liberè & licitè possint & valeant, Auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus & indulgemus. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis ad quos spectat & pro tempore spectabit, in omnibus & per omnia plenissimè suffragari: sicque in præmissis per quoscunque Iudices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenùs opus sit, Domus, Congregationis, ac Monasteriorum prædictorum alijsue quibusuis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indul-

tis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die XXX. Ianuarij M.DC.LXXI. Pontificatus Nostri Anno Primo. I.G.Slusius.

162 Praxis etiam spiritualis Secessus, nuper à nostro P.D. Carolo de Palma, Prouinciæ huius Neapolitanæ Visitatore, viroque ornatissimo, ad vsum nostræ Religionis impressa, mandat, in Vrbibus, vbi Domus Recessus erectæ sunt, Recollectionem habendam, dummodò cômodè id fiat, & vtriusque Cœnobij Superiores primùm admoniti facultatem impertiant. Vbi verò eiusmodi Recessus nondum excitatus est, in suo quisque Monasterio manere iubetur: & in solitaria aliqua Cellula, huic muneri destinata, vel in cubiculo proprio, spiritualia hæc Exercitia obire. Quàm verò in Neapolitano hoc Recessu ferueant animi, spiritualibus Exercitijs certatim incumbant, ac planè virtutibus imbuantur, fortassè alij denarrabunt. Nobis hìc satis erit patentes literas exhibere, quibus Præpositus Generalis nouum eius Superiorem renuntiauit.

D. Carolus Pignatellus Congregationis Clericorum Regularium Præp. Generalis, Dilecto in Christo filio D. Antonino Vintimillio C. R. salutem in Dom. semp.

Domum sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, & immaculatæ Beatæ Mariæ Virginis Conceptui sacram, Neapoli in loco Diuinis Commentationibus apto, & spiritualibus Exercitijs obeundis, Beatissimi Clementis Papæ X. etiam Diplomate destinatam, quam nuper Generale Capitulum Theatinæ Eremi Ecclesiæ adauxit, ac plurimùm commendauit; Nos, Dei beneficio, quamuis immeriti, ad supremam Præfecturam euecti, & eius Gloriæ cupidissimi, ac promouendi vbique Ordinis ad omnem Sanctitatem soliciti, cùm vberioribus incrementis augeri, & efflorescere, plurimùm exoptemus; tibi administrandam committimus: vt tua integritate, vigilantia, prudentia, & cura, ita perstet, proficiat, adolescat, & bonis Christi odoribus fragret, vt nostros homines & externos semper alliciat: & quotquot illic recessum ineunt, & extergere conscientiam amant, sanctiùsque vitam componere, & præsertim Ordinibus sacris initiandi, & qui nostrarum Virginum Confessiones audire debent, ac Eremicolis Sanctimonialibus contemplationis ac solitudinis spiritum instillare; ita omnes ex alto virtutibus imbuantur, vt scopum ac metam, quam sibi animo proposuerint, ac

conceperint, sine obice pertingere queant. Deus Optimus Maximus iugiter tibi suam Gratiam ac Benedictionem impertiat: vt quicquid iniungimus, facilè ac feliciter exequaris. Dat. Romæ in nostris Ædibus S. Siluestri Quirinalis Pridie Non. Augusti Anno post Christum natum M.DC.LXXIV.

D. Carolus Pignatellus Præp. Generalis Clericorum Regularium.

D. Franciscus de Ripa C.R. Secr.

163 Idenque P.D. Alexandrum Marinum, integerrimum ac planè virtutibus ornatissimum senem, destinauit; vt Genuæ, si opportunitas ferret, ac Messanæ alium, vt simile Domicilium excitarent; datis, huic, Patentibus Literis, hunc in modum.

D. Carolus Pignatellus Congr. Cl. Reg. Præp. Generalis, Dilecto in Christo filio D.F.M.M.C.R. sal. in D. semp.

Cum Messanensium Patrum Domus, Deiparæ Mariæ Virgini sacra, ab Angelo salutatæ, instanter à nobis efflagitauerit, vt eadem in Vrbe Do*mum Recessus, pro spiritualibus Exercitijs obeundis, & excolenda ad aliquod tempus solitudine, instrueremus: & id omnium calculis Generale Capitulum approbauerit; Nos, qui Patrum illorum votis annuere, fouendæque pietatis studia summoperè in Ordine promouere desideramus: & de tua morum honestate, industria, dexteritate, ac experientia, haud parum confidimus; hoc tibi iniungi Onus statuimus, vt eam in Vrbem te conferas: atque destinato in loco Recessum, Neapolitano Recessui persimilem, introducas: in quem Nostri se quandoque tutò recipere, extergere animi sordes, conscientiam expolire ac componere, vitam sanctiùs instituere, & spiritus ardorem concipere pro libito queant. Cùmque Illustrissimus ac Reuerendissimus D.D. Simeon Carafa, ornatissimus Messanensis Antistes, ac nostri Ordinis decus, quicquid ad ipsum Ordinem exaugendum conducat, complecti ac promouere non negligat: & cùm florentissima eadem in Vrbe tanta omnium pietas iamdudùm exarserit, vt Magistratus omnes, ac Proceres, & amplissimus ipse inprimis Senatus, te auctore, nostra immaculatæ Conceptionis Scapularia, non sine ingenti animi sensu ac voluptate susceperint; fore omninò confidimus & speramus, vt tibi huic Prouinciæ subeundæ, perficiendæque, omnes opem, ad laudem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, & immaculatè Conceptæ Virginis (quod Nomen Domui dandum) certatim elargiantur. D.O.M. suam tibi Gratiam, & largiter Benedictionem impertiat, vt optatum ad exitum felicibus auspicijs rem perducas.* Datum *Romæ in nostris Ædibus S. Siluestri Montis Quirinalis die* 29. *Mensis Aprilis* 1674.

D. Carolus Pignatellus Præp. Generalis Cl. Reg.

D. Petrus-Antonius Parauicinus C. R. Secret.

164 Taceo quæ de nostra hac Domo PP.D. Clemens Alonsus,

& D.Franciscus Olympius, M.N.Vrsula Benincasa, ac eius Neptis Catharina Palmeria, prædixerunt; quæ ex parte à nobis alibi sunt relata. Quocircà nil mirum videri debet, quòd hanc olim Domum exædificari vehementer exoptans P.Placidus à S.Teresia, Carmelita Discalceatus, doctrina ac probitate animi laudatissimus, ad me literas dederit, hunc in modum: *R. P. Obseruandissime. Tandem vestras optatissimas de manu P.Valerij, ex Vrbe Roducis, accepi die 13. Maij datas: & octo post diebus, per Cursorem ordinarium alteras 5. Iulij scriptas: quæ me lætitia pariter & tristitia varijs motibus affecerunt. Quicquid enim erectionem Eremitici Monasterij promouere nuntiatur, miris modis lætificat cor meum, & in* Domino *confortat. Si quid verò refertur impedimenti superuenire, mihi dolorem affert, & mærorem. Quis enim non ægrè ferat, Opus adeò salutare vestræ sacræ Religioni, & totius Reipublicæ Christianæ subleuamini destinatum, sub specie maturioris consilij, Viros aliàs piè Religiosos retardare: & vbi feruent secularium animi, corda Religiosorum tepescere? ——— Nil tamen adeò mirum videri debet, cùm soleat semper humana prudentia grandibus ausis, Cælo dictante susceptis, se se pertinaciùs opponere: neque suis partibus Satanas vnquam deest; qui solet ea quæ ad communem animarum salutem à* Deo *destinata sunt, subdolis artibus quantum in se est, impedire vel retardare: frustra tamen, non est enim qui* Di*uinæ resistere possit Voluntati: Quæ quamuis aliquando permittat difficultates exurgere, quæ videntur insuperabiles; eas tamen, maiori cum Gloriæ suæ splendore, victrix eius Omnipotentia superat, & elidit. Suspicor, inter cæteras difficultates, quas solet hominum prudentia prætexere, ne Cæli decretum sequatur, & diligenter exequatur, in erectione Monasteriorum, quæ ab Sacerdotibus solitarijs, & Monialibus reclusis inhabitentur; esse quòd res illa noua videatur & inusitata in vestra sacra Religione. Solet enim quod perfectioris fuerit instituti, nomine Nouitatis, à prudentia humana repelli: cuius consilijs qui adhærere voluerit, nullum vnquam generosæ Virtutis opus aggredietur. Nostra Discalceatorum Congregatio à Magna illa Teresia dudum fuerat erecta: nec vllum apud nos Eremitici Monasterij vestigium apparebat, donec vnus Patrum nostrorum, doctrina simul & pietate conspicuus, Thomas à Iesu nuncupatus,* Deo *inspirante, rem vrsit: vt scilicet inter cætera Monasteria, destinarentur aliqua solitudini dicata, in quibus Religiosi feruentiores, ab omni secularium conuersatione semoti, soli* Deo *vacarent: nec tamen res illa tanquam noua, vel suspecta, reiecta fuit, sed maximo cum progressu nostri instituti fuit executioni mandata, vt satis notum est. Quod sanctius inuentum vtinam omnes Religiosorum Ordinum Congregationes amplexarentur: meliùs certè spiritum primitiuum Obseruantiæ Regularis conseruarent, & faciliùs feruorem antiquæ pietatis in-*

nouarent; vt spero futurum in sanctissima vestra Theatinorum Congregatione per merita & efficacia monita Venerabilis Vrsulæ. Vtinam mihi liceret, huic Operi saluberrimo cooperari! Vtinam mihi satis authoritatis competeret, vt rem tantam possem promouere! hanc epistolam ad Reuerendissimum Congregationis Vestræ Generalem Præpositum destinassem, non moniturus, sed rogaturus, vt saluberrimum hoc institutum à V.M.Vrsula toties & tam enixè commendatum acceleraret. Sed quid ego pusillus, & homo nihili, vix apud meos notus, apud extraneos promouere possem? Hoc vnum mihi solatium est, si hos animi mei calentes motus apud V. R. deposuerim, Deum intereà rogaturus assiduè, vt quantocyùs Opus istud saluberrimum citiùs adimpleatur, communi bono Reipublicæ Christianæ. Si tamen Vestræ Paternitati conueniens esse videatur, hanc meam Epistolam poterit Reuerendissimo suo Præposito Generali communicare, rogans ne mihi ad insipientiam vertat, si conceptum ardorem dissimulare non potui. Quod V.R. mihi offert, non solùm gratissimum erit munus, sed etiam maximi beneficij loco reputabo, vt mihi Scapulare cæruleum immaculatæ Conceptionis mittat; quod vsque ad mortem gestare propono, maxima cum animi mei consolatione. Idem ardenter exoptat Dominus Michael: quæso nobis indicare dignetur, si quid particulare sit obseruandum, vt quis legitimè maneat adscriptus huic tam sanctæ Confraternitati. De editione Vestri Manualis, contulit mecum socius R.P.Seraphini, sui Conuentus Procurator: & censuimus editionem correctam & nitidam cum Rubricis apud Plantinum, vel Meursium, Antuerpiæ procurandum, vt facere destinauit. D. Michael, sicut & ego, nos Vestris SS. Sacrificijs commendamus, & Theatinarum Virginum orationibus commendari postulamus. Deus R.V. diu incolumem seruet, vt optat.

Loquitur de meo Rituali Theatinarũ Sãctimonialium ac Virginum. quod R. P. Seraphino à Iesu Carmelitæ primi instituti Romæ cõmiseram vt imprimendũ curaret; quod satis ille quidem & egregiè præstitit.

Reuerende Admodum Pater Obseruandissime.

Bruxellis 9. Augusti 1659.

V.R. Seruus indignus
F. Placidus à S. Teresia.

Hæc Doctissimus ac Religiosissimus Pater; qui tamen antequàm Domum nostram audiret, quam tantoperè concupierat, à Marchione Sebastiano donatam, à nostro Ordine instructam esse, magnis virtutibus ac meritis, nec sine nominis celebritate, ac sanctitatis fama, è viuis excessit. Antequàm verò vitam cum morte religiosissimè commutaret, nostræ Matris Gesta perscripsit, atque edidit Bruxellis in lucem: tantoque studio flagrabat, vt hæc Theatinarum Sanctimonialium, & nostrorum Patrum Eremitarum Cœnobia extruerentur, vt continuò de his ad me literas scribere non cessaret: meruitque inter nostri Ordinis studiosos ita referri, vt nulla vnquã

in nostra Domo, vel Theatina Eremo ætas futura sit, quæ de eius laudibus conticescat.

165 Similiter, in Ordine PP. Prædicatorum, annuæ Fratrum Recollectioni, peculiaria Cœnobia cõstituit M.F. Gregorius Areilza, Prouincialis Terræ Sanctæ, & Prouinciæ S. Thomæ Commissarius, Visitator, & Vicarius Generalis, morum innocentia, magnisque virtutibus, ac zelo præsertim reformandi Ordinis, ornatissimus: qui post recitatam ea de re Magistri Generalis epistolam, adiecit hæc verba: *Tam salutifera iussa toto excipientes corde, maiori quo possumus affectu, iterum adhortamur, & in Domino obtestamur vniuersos, & singulos Patres, ac Fratres huius nostræ Prouinciæ, vt, quolibet anno, per dictum decem dierum spatium, curis omnibus, & negotijs abrenuntiantes, ac seorsim à quacunque conuersatione, præfatæ Recollectioni, deuotam dent operam. Et quia, ad id, multùm confert quietis & solitudinis opportunitas; destinamus pro fratribus Lycij, & Brundusij degentibus, ibi Conuentum sanctissimæ Annuntiationis, hìc verò Conuentum S. P. Dominici.*

166 Cæterùm, minimè prætermittam in nostra Domo Recessus, Eremitorium esse, cuius foribus est affixa hæc S. Bernardi Abbatis sententia, strenuos Christi milites ad solitudinem adhortantis: *Fugite de medio Babylonis: fugite & saluate animas vestras: conuolate ad Vrbes Refugij, vbi possitis & de præteritis agere pœnitentiam, & futuram gloriam fiducialiter præstolari. Non vos retardet conscientia peccatorum, quia vbi illa superabundauerunt, superabundare gratia consueuit. Non pœnitentiæ austeritas ipsa deterreat: neque enim condignæ sunt passiones huius temporis, ad præteritam culpam, quæ remittitur: non ad præsentem consolationis gratiam, quæ immittitur: non ad futuram gloriam, quæ promittitur nobis. Denique nulla est tanta amaritudo, quam non Prophetica farina dulcoret: quam non reddat sapidam sapientiâ lignum vitæ. Si verbis non creditis, operibus credite: exemplis acquiescite plurimorum. Currunt vndique peccatores ad pœnitentiam, & natura pariter, & consuetudine delicati: exteriorem omninò asperitatem non reputant, vt exasperatæ conscientiæ leniantur. Nihil credentibus impossibile, nihil amantibus difficile: nihil asperum mitibus, nihil humilibus arduum reperitur: quibus & gratia fert auxilium, & obediendi deuotio lenit imperium.*

Bernard. conuers. ad Cleric. c. 2.

(✠)

DISQVISITIO NONA.

Quomodò etiam, in Cubiculo proprio, Spiritualia Exercitia instituantur?

167 VEL PROPRIO. Benè igitur mandant Prædicatores, Recollectionem institui, in Monasterio ad Spiritualia Exercitia destinato; Carmelitæ Discalceati, in Eremo, vel saltem *in aliqua cellula separata*; Excalceati Eremitæ S. Augustini, *In cellula solitaria*; Clerici Regulares Minores, *in loco sibi* (à Superiore) *designato*. Sed si hæc Cœnobia, hæ cellæ, & solitaria hæc loca non habeantur; quò nam secedendum, & vbi Recollectio, ac Spiritualia Exercitia instituenda? Respondent Prædicatores: *Poterunt hæc præstare, proprijs in cellis, vbi non suppetet maior commoditas*. Ita Discalceati Ordinis sanctissimæ Trinitatis Redemptionis captiuorum Cõstitutione præscribunt, vt *se se solitarium aliquem in locum, ad hunc effectum deputatum, recipiant; & vbi nullus erit, in suamet quisque cellula illa faciat*. Sic patres Societatis, ex Iulio, *si non possit id obtineri iustis de causis* (vt aliò migrent) *consueto cubiculo dormitorio se continent*. Atque vt à negotijs, hominibus, contubernalibus secedant, interdicitur Ianitori atque Aedituo, ne eos accersant. Ipsi vicissim abstinent publico, colloquijs, congressibus, disputationibus, acceptione scriptioneque literarum: silentium nunquam soluunt, nisi quantùm necessitas exigit. Atque hac ratione, videntur in aliquam solitudinem secesisse, tum ab rebus, tum ab hominibus, & verò etiam à Domesticis.

Fr. Gre. Are. il. lo. cit.

Const. cap. 7. §. 4.

Nigr. tr. 6. cap. 4. §. 15.

168 Probo etiam laudabile illud inuentum P. D. Antonij Orefice, pijssimi, & integerrimi senis: qui cùm ter, aut quater nonnunquam, in annos singulos, hæc Exercitia obiret; vt se, & alios, secularium quotidiè instantium molestia eximeret; dum Neapoli esset, aut Vici, aut Surrenti, aut Capuæ nomen, Cubiculi foribus, inscribebat: nimirum, vt omnibus qui ipsum peterent, Ianitor, aut Vici, aut alia in Vrbe agere, & sine mendacio, responderet. Sed Romæ, P. D. Gregorius è Stratis, memorabilis & ipse senex, hoc addidit, vt arcta quadam ex ligno specu in cubiculo fabrefacta, quæ vix illum caperet, instituta se solitudine, quasi Eremicola, contineret.

169 ET CLAVSO CVBICVLO. In hoc ergo secessu monemur, vt qui se exercet, Cubiculi fores claudat. S. Franciscus, vt tradit S. Bonauentura, orationibus ac Dei laudibus sine intermissione

S. Bonau. c. §. vita S. Fr.

Lib. 5. Disq. 50.

vacabat, in solitudine, *cellaque reclusus*. S. Macarius, cùm de statuto à se quinque dierum secessu, loqueretur; *Clausi*, inquit, *Cellam meam, & aulam extrinsecus, vt nulli responsum darem*. B. Laurentius cupidum perfectionis hortatur, vt in hoc secessu se præparet ad recipiendum Spiritum sanctum, & monet, vt Cubiculi fores claudat; Esto, ait, quietus in te, secretum dilige, solitudinem quære mœroris amicam: & placido suo illapsu S. Spiritus descendens ad te, eleuabit ad se, atque dignanter habitabit in te. Propheticam super hoc attende sententiam; Sedebit, inquit, solitarius, & tacebit, quia se eleuabit supra se. Et hoc vnde, nisi per Orationis exercitium? Optimè sibi conueniunt quieta remotio, & orationis instantia; nam sicut publicum corporalis actio, ita solitudinis secretum exigit contemplatio. Cùm contra aduersarios pugnaret Moyses, ascendit in montem: cùm diuino fruebatur eloquio, montis residebat in vertice; nec cælestium Sacramentorum rudimenta percepit, nisi post solitudinis ingressum. Et concludit: *Disce igitur solus orare, disce, ostio clauso, in cubiculo Patrem deprecari cælestem*. De hoc planè secessu loquitur Saluator, cùm ait: *Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum; & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito*. Monet ergo, vt qui sui Collectioni vacabit, se recipiat in locum secretum à turba, & remotum ab arbitris, quale est Cubiculum clausum. Ita intelligunt S. Chrysostomus, Theophylactus, B. Laurentius, Maldonatus, Suarius, & alij. Vbi velim aduertas, non agi hic de publica, & communi oratione, quæ in Templo fundenda est, vt fusè alibi ostendimus, sed de priuata, ex Salmerone. Idque clariùs conijce, ex vi vocis græcæ ταμεῖον, qua LXX. vtuntur in Isaia, vbi nos legimus: *Vade populus meus intra in cubicula tua*, &c. Nam S. Basilius docet, esse locum in domo vacuum, ac remotum à celebritate, in quo volentibus latere perfugium sit; & S. Ambrosius vertit, *recessum*, hunc secessum significans. Fauet S. Cyprianus, cùm ait: *Dominus secretò orare nos præcipit, in abditis, & remotis locis, in cubiculis ipsis*. Sed clarissimè S. Bernardus disserens de hac oratione, ad secessum hortatur: *Fuge publicum, fuge & ipsos domesticos; secede ab amicis & intimis, etiam ab illo qui tibi ministrat. An nescis verecundum habere te Sponsum, & qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam præsentibus cæteris?* Benè, ais, secessum suadet: sed quomodò in hoc secessu est orandum? Clauso certè cubiculo. Ita subdit S. Bernardus: *Tenes etiam in hoc, & mandatum Sponsi, & formam. Tu, inquit, cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora. Et quod dixit, fecit. Solus in oratione pernoctabat, non modò se abscondens à turbis, sed nec vllum quidem discipulorum,*

Pallad. hist. Laus. c. 20. — B. Laur. ser. in festo pentec. — Matt. 6. 6. — S. Chr. ho. 8. in 1. Tim. 2. — Theoph. Mat. 6. — S. Bon. myst. Theol. cap. 3 p. 3. — B. Laur. l. de orat. cap. 6. — Mald. Matt. 6. 6. — Suar. t. 2. de relig. l. 3. c. 7. — Salm. t. 5. tr. 45. in Matth. — S. Basil. in reg. breu. 277. — S. Ambr. l. de fide resurr. — S. Bern. serm. 40. in Cant.

rum, nec vllum domesticorum admittens. Denique tres sibi intimos secum adduxerat, cùm vltro properaret ad mortem; in secessu, tum necessario, vt diximus, *auulsus est & ab ipsis orare volens. Ergo, & tu fac similiter*. Hinc Cella, in qua post varias occupationes huic Collectioni vacamus, dicitur à Petro Cluniacensi, *Laboris solamen, & orationis secreto designata*. Vt autem fores etiam ab Ethnicis clauderentur, cùm ipsi secederent, patet ex Seneca; *Qui in hoc me recondidi*, inquit, *& fores clausi*. Sed nos cùm secedimus, & oramus, tum fores tum fenestras claudimus. Monet hoc S.Ignatij praxis; & Ludouicus de Palma, cùm ait: *Contineat se quis, in suo cubiculo, ianuam fenestrasque claudendo, quò se omni claritate priuet, eam tantùm admittendo, pro rebus necessarijs*. Sic Ioannes Busæus, de adiumentis ad rectè meditandum; *Primum est*, inquit, *locus idoneus, idest ab omni strepitu remotus; & iuuat etiam si sit obscurus*. Idem monet, in sua Praxi M.S.P.D. Petrus Iardina, vir magni nominis, multisque virtutibus, præsertim Spiritualium rerum magisterio, in Sicilia, celeberrimus; & exemplo primùm, ac verbo, egregius in secessu versantium institutor: quem vnum, meum à puero ducem, & admirabilem Instructorem agnosco. Docet tamen, aperiri fenestras, cùm hilares de Paradisi Beatitate, ac Gloria, meditationes habentur. Imò, Directori suadet, vt si fieri commodè possit, flosculis gratisque odoribus, ea die, Solitarij cubiculum instruat. Verùm, hìc cauendum, ne religiosus decor, ac paupertas, humilitasque lædantur; & quod bis, aut semel, in annos singulos, ad spiritus alacritatem, permittitur, vitio vertat.

Pet. Clun. l. 2. mirac. c. 29.

L. Sen. ep. 81

Annot. 20. & addit. 7. Palma in praxi exerc. p. die n. 2.

Bus. Enchirid. in præfat.

DISQVISITIO DECIMA.

De Spiritualibus Exercitijs, sub Deiparæ Virginis Puritatis auspicium, obeundis.

169 SVB DEIPARÆ VIRGINIS MARIÆ. Et hoc demum nostrorum Patrum monitum, ritu etiam aliorum Ordinum, illustrabo. Porrò, sacram Fuliensium Solitudinem, siue Praxim Exercitiorum Spiritualium, inuenio, *Sanctissimæ, & Gloriosissimæ Virgini Mariæ Dei Matri*, initio nuncupatam; quam Sancius à sancta Catharina, eorundem Generalis, & Exercitiorum concinnator, humillima Epistola exorat, vt ea ipsa *protegere ac tueri* velit. Sic Præmonstratensium Exercitia, *Mariana Praxis*, à Seruatio, dicuntur. Eidemque sua Exercitia spiritualia dicat & nuncupat Philippus à

Seru. in Cat. Non to. 2. le. 63.

Secinara ex Ordine Minorum S.Francisci. Sed huc clariùs quadrant Archangeli Gabrielis verba ad piam fœminam in Hispania, ad hæc se se Exercitia comparantem; vt narrat Ludouicus Pontanus: *Exercitijs, quæ facere cogitasti, &c. singulare obsequium Reginæ nostræ præstabis: significat enim tibi, se fuisse, & esse tanquam Patronam, & Fundatricem illorum.* Vel vt refert Philippus Alegambe, *se Patronam eorum Fundatricem atque adiutricem fuiße.*

Pont. in Vita Alu. cap. 43. §. 1. Nigr. to. 6. cap. 4. §. 12. Aleg. in Biblioth. l. 1. fol. 1.

170 Restat itaque ostendere, quomodò hæc Exercitia, sub Magnæ Dei Matris auspicio, instituantur; & hoc quidem à P. Ludouico de Palma, erudito in sancti Ignatij Schola, sic habes: *Praxis huius Exercitij propriè consistit in colloquijs, quando aliquid petimus. Omnis enim petitio, si eam Dei oculis gratam esse velimus, eiusque optatam desideremus expeditionem, æterno Patri per Filium, Filio verò per Matrem offerenda est: sicque fient tria colloquia. Primum, ad Virginem Dominam nostram, quò nobis eam, quam petimus, à filio gratiam impetret. Secundum ad Filium Saluatorem & Mediatorem nostrum, vt idem nobis ab æterno Patre obtineat. Tertium ad æternum Patrem, vt per Filij sui merita, Matrisque intercessionem, nobis idem concedat.* Et *Praxis hæc*, inquit, *seruanda est in omnibus quatuor septimanis, à conuersationis initio vsque ad perfectionis finem.* Cùm autem finis Viæ Purgatiuæ, fructusque primæ Hebdomadæ & Exercitij incipientium consistat, primò, in odio peccatorum, secundò, in eorum emendatione, tertiò, in omnium occasionum sublatione; hæc omnia per Deiparæ Virginis intercessionem petuntur. Sic sanctus Ignatius; *Colloquium primum*, inquit, *fit ad Dominam nostram Christi Matrem, flagitando intercessionem eius apud Filium, & gratiæ impetrationem nobis tripliciter necessariæ.* Primò vt internam criminum nostrorum cognitionem ac detestationem sentiamus. Secundò, vt operum nostrorum agnoscentes abhorrentesque ordinem peruersum, correcto eo, nosmetipsos secundùm Deum rectè ordinemus. Tertiò, vt perspecta, & damnata mundi prauitate, à rebus mundanis ac vanis nos retrahamus. *Et his expletis*, inquit, *semel recitetur Aue Maria.* Sequitur status Proficientium, qui sub Christi Domini signis militant, & diaboli tentationes insidiasque eludere conantur: qui sibi ipsis renuntiantes, crucem cum Saluatore ferunt, seque in veris solidisque virtutibus exercent; qui honores, & quas mundus dare potest diuitias, earumque affectum contemnentes, illud tantùm, quod ad maius Dei obsequium maioremque eius gloriam existimant futurum, eligunt. Hos omnes perfectionis gradus, qui ad secundam Hebdomadam Viamque illuminatiuam pertinent, suntque proprij Proficientium, ex Ludouico, à

Palma in praxi Exercit. de deuot. erga B. Virg.

Palma loc. cit.

Beatissima Virgine petere, eiusque patrocinio impetrare debemus. Sic sanctus Ignatius in primo colloquio Exercitij de duobus vexillis: *Colloquium postea formandum erit ad Virginem beatam, implorandaque est per eam à Filio gratia, vt recipi possim, & manere sub vexillo: idque primùm per spiritualem tantùm paupertatem, aut etiam in rerum expoliatione sitam (si quidem ad eam me vocare atque admittere dignabitur) deinde per abiectionem quoque seu ignominiam, vt ipsum imiter viciniùs, deprecando tamen culpam aliorum, ne contemptus mei tam in alicuius detrimentum, quàm in offensam Dei cedat. Terminabitur primum hoc colloquium per Aue Maria.* Idem seruandum in Meditatione de Passione Domini, quando materia, aut deuotio, & affectus ad hoc excitabit, faciendo tria colloquia, vnum ad Matrem, aliud ad Filium, tertium ad Patrem. Et idem quoque seruabunt, qui in quarta Hebdomade meditantur, vnico Meditationes eas colloquio concludendo, aut pluribus, pro subiecta materia.

171 PVRITATIS. Cùm ad hoc Spiritualia Exercitia fieri oporteat, vt melior deinceps viuendi ratio, & purior conscientia instituatur; maius aptiusque aliquod speculum, & exemplar ijs, qui in secessu versantur, ob oculos proponi non poterat, quàm Virginis Puritas. Itaque, vt cum S.Ambrosio loquar, *sit vobis* (o qui in solitudine agitis) *tanquam in imagine descripta virginitas, vitaque B.Mariæ, de qua, velut in speculo, refulget species castitatis, & forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari, magisteria expressa probitatis, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt.* Ipsa verò purissimæ Virginis auspicia secedentes adeò in solitudinē iuuant, vt admirabilis Mater, Eremitarum Monialium institutrix, lege statuerit; ne sacræ vnquam Virgines in Eremum, nisi ipso Purificationis festo recipiantur; quod magna omnium celebritate peractum iri, Neptis eius, Catharina Palmeria, sic prædixit: *Octo diebus ante Purificatæ Virginis diem, videre mihi videbar, vt si longè latèque per totum Orbem magnæ cuiusdam celebritatis solennia personarent; & audiui, Purificationis Deiparæ festum agi. Sudum, & clarum cælum adspiciebam, terram aeremque crystallinum, vt mihi ad instar cæli omnia viderentur. In hoc pulchro aere, speciosissima mihi Ædes ostendebatur pulchritudinis & albedinis magnæ, quæ pulchrum illum aerem abundè participabat: & in specie videbatur quasi domus felicitatis. Ædis ianuæ, pulcherrimus infans hærebat, quasi quadraginta dierum; & quadragintæ Gemmæ miræ pulchritudinis erant. Tum mihi Mater exposuit, Eremum esse quam videram; Infantulum Dominum; quadraginta Gemmas, quadraginta Moniales, triginta tres Choristas, & Laicas septem.* Et aliquot interiectis; *Audiui,*

Ambr.l.1.de Virg.

Cathar. Epist. ad Sanc. tom.1.

inquit, *ne nisi Purificatæ Virginis die in Eremum ingrediantur*. Hæc Catharina. Iamque in nostro Ordine Comitia Generalia statuerunt, vt ob Virginis Puritatem, Purificationis hæc dies solennissimè inposterum habeatur.

172 Verùm, & admirandum, & insigni mysterio, meo quidem, & aliorum iudicio, tribuendum est, quòd, cùm Paulini Patres, Neapoli, B. Virginis iconi, PVRITATIS titulum solenniter inscripserunt; Panormi, paulò post, alteri eiusdem Imagini, solenni etiam ritu, PROVIDENTIÆ titulum indiderimus. Illud enim plerunque euenit, vt Spiritualibus Exercitijs, qui purgando conscientiam in Puritatis Matrem Virginem colit, hic Eandem, in eo quod exposcit, Reginam Prouidentiæ experiatur; quippè qui ad Deiparam oras, si peccati obicem tollas, facilè quicquid postulas impetrabis. Itaque, & quæ Mater Prouidentiæ, suos ob Puritatem exaudit; & quæ Puritatis est Mater, puris suis prouidet affluenter. Ludouicus de Palma in sua praxi Exercitiorum hic audiendus; cùm ad excolendam animi Puritatem, illud Euangelij, quod in Deiparæ Prouidentiæ festo legimus, sic expendit: *Seriò notandum*, inquit, *quòd si intercessionis huius sacratissimæ Virginis optatum velimus consequi effectum, valde nobis sit inuigilandum, ne ei obicem aut impedimentum per nostra peccata aliquod inijciamus: sed potiùs nos disponamus, quò Dei misericordiam in perfecta mandatorum eius obseruatione consequamur. Hinc enim factum est, quòd eadem Domina, cùm apud filium intercederet in nuptijs dicendo, Vinum non habent; illicò ministros disposuerit, monendo: Quodcunque dixerit vobis, facite*. Hactenùs Ludouicus. Et nouit hunc Puritatis ac Prouidentiæ nexum P. D. Carolus Thomasius, vir planè, qui summum animi candorem, & eximiam pietatem in Virginem, robustis virtutibus exornauit; scripsitque, de Virginis Puritate, ac Prouidentia, pium, & eruditum libellum. Verùm, vt Prouidentiæ Matrem facilè purissimam dixeris; sic fortè curiosiùs ambiges, Puritatis Virginem, an deceat, prouidam appellari. Miraculum ergo accipe, & monumentum, ab Eminentiss. Domino, D. Lazaro Pallauicino, Cameræ tunc Apostolicæ Clerico, & Romanæ annonæ Præfecto, post S. R. E. Card. Romæ, sub pulcherrima eius Icone, sic editum: *Effigies S. Mariæ Puritatis, inclytæ Ciuitatis Neapolis Protectricis, Clericorum Regularium Ordinis Patronæ, almæ Vrbis piæ Matris, prouidæque Altricis.* Cur inquis? Audi: *Dum enim totius ferè Italiæ Ciuitates, anno Christi 1649. præ tritici caritate, summis vexarentur angustijs, quòd Romæ in tanto discrimine Dei opem experta sit, & aristas veluti è cælo delapsas collegerit, implorato huius patrocinio*. Hæc ille. Vidisti in Puritatis Virgine Pro-


Lud. loc. cit. fol. 257.

Subscriptio Io. Edit. an. 1649.

uidentiam? Alibi iam fusè oſtendemus in Domina & Regina Prouidentiæ Puritatem.

ADM.R.P.D. CAROLI PIGNATELLI

Præpoſiti Generalis Congregationis Clericorum Regularium Ordinatio.




N Domo Receſſus, vtpotè ſacræ Recollectioni ac Solitudini deſtinata, noſtri homines qui verſantur, remoti prorſus à curis & negotijs ſecularibus, & Religioſis dumtaxat actibus occupati, aut communiter vnà degant, aut ex facultate Superioris, qui virtute præcellunt, & ſolitudinem amant, ab alijs ſegregati, diuinis contemplationibus diutiùs immorentur. Et illi ne hilum quidem exorbitent à Conſtitutionibus noſtris: ac præſcriptas leges & obſeruantias exactè adeò tueantur, vt nec Ordinis diſciplinam minimùm lædant, nec veterem aliquam conſuetudinem prætermittant. Spiritualia tamen omnes bis aut ſemel ſaltem in anno Exercitia obire debent: Circularis orationis Horam, quam Mater noſtra præſcripſit, quotidie non omittere: ſacris Collationibus, *ſingulis diebus Dominicis aut quintis ferijs intereſſe; & de vitæ emendatione, ritè ac ſeriò ſubeunda, extirpandis vitijs, defectibus abolendis, inſerendis animo Virtutibus, & adipiſcenda perfectione diſſerere: ac Superioris ſermonem ſiue ſpiritualem exhortationem audire: cùm ſacrum faciunt, alter alteri, ſibi inuicem miniſtrare: & ea cum pauſa diu noctuque diuinas laudes in Choro canere, vt, ad pietatem in Deum, quotquot intus aut foris audiunt, accendantur. Qui verò ab alijs ſequeſtrati, in Eremitorio degunt, vnà cum alijs non conueniant: ſed eoſdem priuatim actus, quos alij communiter peragunt, ſeorſim ipſi operentur: atque ita omnes, tametſi loco diſiuncti, Canonicas Horas in ſuo Choro perſoluent; inſtituent conſcientiæ examen, mente orabunt, cibum ſument, cubilia component ac ſternent, ſe ſeque flagris percutient, vno tempore. Cùm verò campana domus ſignum Diuinum obeundi Officium inſonuerit, ſignum ſuum Solitarij ſua quiſque campanula ſtatim edant: & qui negligentes eſſe reperti fuerint, ab Eremitorio amoueantur. Hi Solitarij & Eremitæ noſtrarum Theatinarum Sanctimonialium Eremicolarum vitam poterunt æmulari; & duriùs cubare, frugaliùs veſci, aſperiuſque ſe gerere in rebus omnibus: prout cuique ſancti Spiritus vnctio dictabit, iudicabitque ſui Directoris, vel Superioris prudentia. Tota verò hebdomada in ſuo Eremitorio deliteſcent. Sed Sabbato vnà cum alijs ad Veſperas, & reliquos Communitatis actus accedent: dieque Dominico ſolenni Sacro intererunt: & poſt* Capitulum, *ſiue* Collationem, *atque ſermonem, ad Eremitorium reuertentur. Qui autem illic ſpiritualia primùm Exercitia cum laude compleuerit, poterit, ſi libeat, pium aliquod Opuſculum lucubrare. Eadem in Domo à noſtris hominibus nonniſi ſpiritualia Miniſteria exerceantur; qualia ſunt, ſpiritualia Exercitia vel obire vel tradere:* Chriſti *doctrinam, religioſæque diſciplinæ formam ac modum in rebus omnibus, famulis, Laicis Fratribus, ac Nouitijs explicare: Ritibus ac* Cæremonijs, *vt par eſt, ſacris initiandos diligenter inſtruere: ſermones ad fratres in Refectorio, vel Odeo, vel Capitulo, vel quandoque ad populum, ex nutu Superioris, vel Theatinas ad Sanctimoniales aut Virgines, ex rogatu illius, qui Monaſterium adminiſtrat, habere: earundemque vel ſecularium in Eccleſijs, qui ſolùm huic muneri legitimè*

deputantur, sactas Confessiones audire: Apostolicas Expeditiones suscipere: ad Cœmeterium, vel Oratorium aliquod, confluentes fideles, si eò quandoque mittuntur, Christianam ad pietatem incendere: ac pios in cella Codices exarare. Cæterùm, arctissimo silentio vacent omnes: & vel orationi, vel sacris lectionibus diligenter incumbant: & piam quandoque sententiam apta voce prolatam audiant, vt erigant subindè mentem in Deum: præsertim cùm noctu cubitum vadunt, & ab Excubitore cùm excitantur: nec quicquam lædere audeant Theatinam & Apostolicam Paupertatem; quam summoperè commendamus, ac cæteris omnibus anteponimus. Quicquid autem à quocunque alicui quouis titulo missum fuerit, in commune cellarium recondatur, opportunè omnibus exhibendum: nec liceat vel ipsi Superiori priuatim aliquod munusculum, præsertim à Monialibus, quod à nostris magnoperè Constitutionibus interdicitur, speciatim accipere. Sed constituat ipse fidelissimum Ianitorem; qui omnia sua manu dona percipiat, & ad se primùm delata, si excipi tamen debeant, statim condo ac promo consignet: nec ingredi externum quempiam quoquo pacto domum permittat, nisi primùm Superior licentiam impertierit: ne dissoluatur silentium, & quies in Recessu versantium, ac spiritualia obeuntium exercitia interturbetur. Omnes autem illud carmen frequenter ori, præsertim in congressibus, sermonibus, atque salutationibus, habeant: Laudetur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum: & benedicta sit semper ab omnibus B. Mariæ Virginis Puritas, & immaculata Conceptio.

LIBER VI.

De ijs, qui, Theatina in Domo Recessus, ab omni aliorum commercio & consuetudine sequestrantur.

137 Ræter eos, qui in hac nostra Domo Recessui destinata, mundi negotia, & secularium hominum consuetudinem vitant, sed breuiter inter se, de spiritualibus fructuosis & vtilibus rebus, remittendi animi tempore, mutuò colloquuntur; duo nos genera Solitariorum habemus. Primum est eorum, qui Eremitæ appellantur, & solitariam vitam agunt ab aliorum, eodem in Recessu versantium, conuictu & consuetudine sequestrati; quos alij Reclusos, alij vocant Anachoretas. Alterum est eorum, qui huc ad octo, decem, aut plures dies, ex alijs nostris Domibus veniunt, vt spiritualibus Exercitijs occupentur; de quibus hactenùs toto hoc Volumine disputauimus. Sed vtriusque generis hic rationem viuendi discutiemus.

DISQVISITIO PRIMA.

Quo tempore, qui seorsim viuere debent, in Eremitorium includantur: & de supellectili vnicuique Solitario tribuenda.

174 TEmpus Quadragesimæ ac Dominici Aduentus huic nos reclusioni opportunius arbitramur: iisque ad longius temporis spatium hoc concedimus, qui primùm in communi vita præclarè adeò se gesserunt, vt religiosis se se virtutibus omnium oculis ornatissimos exhibuerint. Quod ex S. Ioanne Climaco discimus multis in locis, & ex Camaldulensium Eremitis; de quibus in sua Romualdina Lucas Eremita Hispanus hæc habet: *Beatissimus Vir Romualdus huius mirabilis vitæ auctor, præter hanc, in qua & Cœnobialis, & Eremiticæ commoda inueniuntur coniuncta; aliam longè perfectiorem, ac sublimiorem viuendi normam adinuenit. Excogitauit nanque sacrosanctam Inclusionis, seu Reclusionis institutionem: quam multi rectè considerantes, consueuerunt, postquam in communi vita aliquandiu in Eremo religiosè conuersati sunt; contemplationis perfectiorisque quietis solatia affectantes; cum Maioris ac Prælatorum, seniorumque consensu, singuli per singulas cellas se sponte sua includere. Vbi tamen sub Prælati potestate, sub constitutionum iugo, in sancta Obedientia viuentes continentur; videntes autem aut colloquentes neminem, præter fratrem vnum eorum ministerio deputatum. Sic demum in cellulis inclusi, tantò magis cum Deo in cælestibus conuersari satagunt; quantò magis in terris ab omni humano consortio se faciunt alienos. Quo viuendi instituto contemplationi deditis nil beatius contingere potest. Porrò Reclusio ista & perpetua in hominis vitam, & ad tempus concedi, ac fieri consueuit.* Et exactè referens Camaldulensium morem; ex B. Rodulpho narrat, *ab initio alios per vtrasque Quadragesimas, alios per centum continuos dies, alios per integrum anni cursum, in cellis se includere consueuisse*: licet alij longiorem ritum seruauerint; inter quos maximè excelluit quidam *B. Michael, qui plusquam annos quindecim inclusus manens magna perfectionis signa dedit.*

Lucas Eremita Hisp. in Romual. lib. 5. cap. 6. fol. 203.

B. Rodulph. apud Lucam Hisp. lo. cit.

175 Carmelitæ Discalceati similiter habent in Eremo, præter Claustrum, cellulas Eremiticas, à Claustro inuicémque separatas, septo tamen conclusas, *ad quas tantummodò se recipient, qui à Priore veniam impetrauerint, per tempus ab ipso designatum, solitariæ vitæ vacantes.* Et inferiùs subdunt: *Feria secunda post primam Dominicam Aduentus, omnibus in Ecclesia congregatis, & facta à Priore pro rei opportu-*

Carmelitæ Discalceati in constit. p. 2. cap. 12. nu. 1.
Ibid. num. 4.

nitate, exhortatione, omnes per aliquod spatium orationi vacabunt: & sex ad minus ad Eremi cellulas separatas, à Priore designatas, recedent vsque ad diem, qui præcedit Vigiliam Natiuitatis Domini: idemque seruabitur prima die Quadragesimæ: vbi facta à Priore Cinerum impositione, acceptaque benedictione, ad solitarias cellas se conferant, vsque ad diem Dominicæ Palmarum. Curabit tamen Prior, vt in Conuentu sufficiens Religiosorum numerus sit ad Diuinum Officium debitè persoluendum &c. Curabitque Prior, quoad fieri poterit, prædictis temporibus Aduentus & Quadragesimæ, maiori cura, quàm reliquo anni tempore, occasiones cum secularibus agendi vitare. Recedent etiam aliqui Fratres, de Prioris venia, ad cellulas Eremi separatas, ab Ascensione vsque ad Pentecosten, ita ibi mansuri, vt Prior iustis de causis eos, sicut & cæteros supradictos, ad Monasterium reuocare, mutare, & cætera disponere possit, prout ei in Domino videbitur expedire. Nemo tamen ex conuentualibus ad separatas cellulas mittatur, nisi ad minus duobus mensibus communibus Eremi actibus in Conuentu interfuerit.

176 Et quidem veteri ritu Eremitæ, tempore Quadragesimæ, se conferunt ad solitarias cellas. Quamobrem, in Vitis SS. Patrum, Monasterium obseruabis in Ægypto olim fuisse, quod hunc morem habebat. Prima Dominica Quadragesimæ, post sacram Communionem atque refectionem cunctorum fratrum, *congregabantur omnes in Oratorium: & curuatis genibus, factaque suppliciter oratione, salutabant se inuicem Monachi, & vnusquisque genu flexo publicè amplectebatur Abbatem*, eius se se orationibus commendantes. Deindè, *fores Monasterij patefiebant: & psallentes consona voce*, Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, à quo trepidabo? &c. *exibant, vnum multoties aut duos Monasterij custodes relinquentes*: & in varia solitudinis loca alter ab altero longè dissitus se se recipiebant: die autem Paschæ reuertebantur.

Vita SS. Patrum lib. 1.

177 Cæterùm, solitarijs, quoad supellectilem, multa tribui laudarem ex ijs, quæ PP. Carthusiensibus sunt præscripta in statutis antiquioribus; vnde carptim nonnulla excerpo, hunc in modum: *Excipit cellæ incola ad lectum paleam: & quicquid prorsus ad lectum pertinet; cuius grossitudinis colorisue sit, non curabit subditus vel Prælatus. Liceat tamen Prioribus, & alijs extra terminos exeuntibus, vestes habere aliquantulùm meliores, & pro necessitate leuiores, quàm habent hi qui domi resident: in quibus sicut in alijs omnis curiositas & accuratio deuitetur. Cùm enim ad omnes Monachos, maximè tamen ad nos, humilitatem, attritionemque pannorum, & vniuersorum, quibus vtimur, vilitatem, paupertatem, & abiectionem certum est pertinere. Habet etiam cella habitator acus duas, fi-*

Domnus Guigon in statutis Cartusiensium par. 2. stat. antiqu. cap. 16.

lum, forfices, pectinem. Ad scribendum verò, scriptorium, pennas &c. Adhuc etiam libros ad legendum de armario accipit duos: quibus omnem diligentiam, curamque præbere monetur, ne fumo, ne puluere, vel alia qualibet sorde maculentur. Libros quippè, tanquam sempiternum animarum nostrarum cibum, cautissimè custodiri, & studiosissimè volumus fieri, vt quæ ore non possumus, Dei Verbum manibus prædicemus. Quot enim libros scribimus, tot nobis veritatis præcones facere videmur, sperantes à Domino mercedem pro omnibus, qui per eos vel ab errore correcti fuerint, vel in Catholica veritate profecerint: pro cunctis etiam, qui vel de suis peccatis vel vitijs compuncti, vel ad desiderium fuerint Patriæ cælestis accensi. Et dantur ei ollæ duæ, scutellæ duæ, tertia ad panem, vel pro ea mantile: quarta grandiuscula est ad faciendas mundicias: cochlearia duo, cultellus ad panem, iusta, cyphus, vas aquarum, salaria, patella, manutergium, ad ignem focile, esca, lapis ignitus, ligna, securis, ad opera verò dolabrum. Idcircò autem vni tanta concedimus, ne, quod illicitum ducimus, exire de cella compellatur: hoc enim nequaquam conceditur, nisi cùm ad claustrum, aut Ecclesiam, statutis horis conuenitur, vel de licentia. Cellæ igitur incolam diligenter ac solicitè docet inuigilare, ne quas occasiones egrediendi foras vel machinetur vel recipiat, exceptis his, quæ generaliter institutæ sunt: sed potiùs sicut aquas piscibus, & caulas ouibus ita suæ saluti & vitæ cellam deputet necessariam: in qua quantò diutiùs tantò libentiùs habitabit: & quam si frequenter & leuibus de causis exire insueuerit, citò habebit exosã. Ibidem cap. 17.

DISQVISITIO SECVNDA.

Quam solitarij in Eremitorio vitæ rationem instituent.

178 QVi segregatus ab alijs priuatam vitam ducere debet, vt contra hostium insidias sit munitus, & tentatoribus ipsis arma præripiat, primò omnium, ex S. Ioanne Climaco & Cassiano, gulam vincere ac comprimere debet. Ideóque Congregatio S. Eliæ de solitarijs Carmelitis ita decernit; *Qui ad huiusmodi cellulas se recipiunt, asperiori victu eo, qui communiter in Conuentu seruatur, vtantur: & oleribus tantùm crudis aut coctis, faciliter tamen paratis, terræque fructibus regulariter vescantur, nisi ob debilitatem, vel aliam iustã causam, Prælatus cum aliquo dispensauerit.* Const. par. 2. cap. 12. nu. 2. Similiter Discalceati Augustinienses Hispani *cap.* 10. de desertis; *Quantum ad victum*, inquiunt, *Religiosi, qui in Monasterio degunt, in ratione ieiunij, vel comestionis carnium, sicut in cæteris Congregationis Conuen-*

tibus se habent. Qui verò seorsim viuunt in solitarijs cellulis, *Carnem, oua, pisces, vel pitantiam aliam similem non comedant: sed tantùm panis, uinum, & olera, cum aceto & olio (quæ ipsi in cellula coquent) concedantur, & frutex aliquis iuxta occurrens tempus*. Ideóque Eremitorium, vt hoc nostrum, ita construendum esse præscribunt, *Vt cellulæ rudi opere in locis sublimioribus ac sanioribus ædificentur; & earum quælibet tribus constet paruulis diuersorijs, pro Oratorio uidelicet, pro dormitorio, & pro coquina: & non longè ab illa sit hortulus ad exercitium Eremitarum*. Docent tamen Patres Carmelitæ Discalceati citato in loco Priorem, *licere, festiuis diebus, quæ hoc tempore occurrent, consuetæ abstinentiæ rigorem lenire, & abundantiùs Fratres in separatis cellulis degentes reficere*.

179 Circa Horarũ Canonicarũ recitationẽ Augustinienses ita subiungũt: *Officium Diuinũ tam diurnũ quàm nocturnũ horis consuetis in Cõuentu persoluant: & quando eius cymbalum tam de die quàm de nocte ad Horas Canonicas pulsatur, similiter omni cum uigilantia campanulæ Eremitorij pulsentur*. Idenque de suis Reclusis Carmelitæ Discalceati hoc modo constituunt: *Communem cum alijs uitam seruabunt: & signo in claustro dato, signum etiam dabunt suis campanulis Eremitæ: qua in re qui negligenter se gesserint, corrigantur: eosdenque quos in Conuentu actus exequentur: & easdem certas horas obseruabunt, quoad orationem officiumque Diuinum*. Et fratres Carmelitæ antiquæ obseruantiæ, inter constitutiones, hæc habent: *In eisdem* (cellulis Eremiticis) *aderit Oratorium, ut Anachoretæ quotidie, sub silentio perpetuo, sibi mutuò ad sacrum faciendum inseruiant, nec cum alijs ad audienda Missarum solemnia, aliaque Diuina Officia persoluenda, ad Oratorium commune, nisi ad Capitulum singulis Dominicis conuenire teneantur: sed cùm ad cæteros conuocandos dabitur signum, in omnibus Eremitorijs, tam pro nocturnis quàm diurnis exercitijs, singulatim, suo ordine, etiam cum suis campanellis signum dabunt: & soli Anachoretæ ea quisque priuatim in suis Oratoriolis deuotè recitabunt: suisque pariter temporibus orationi mentali uacabunt*. Et de refectione subiungunt: *Qui in dictis cellulis Anachoreticis ad tempus morabuntur, parciori uictu quàm in Conuentu utantur: & oleribus crudis aut coctis, faciliter tamen paratis, fructibus, pane, & uino sustententur, nisi ob debilitatem, uel aliam iustam causam, cuiquam Prælatus aliquid aliud subministrandum iudicet*. Domus hæc nostra Recessus eandem quam cæteræ Domus in victu rationem obseruat: qui verò seorsim Eremiticam vitam ducunt, oleribus vescuntur ac fructibús, perrarò ouis aut piscibus: sed à carne omninò abstinẽt, vt nostras Sanctimoniales Eremicolas imitentur, quarum admirabile institutum inferiùs explicabo.

Const. par. 1 cap. 2. nu. 5

Constit. ibid. num. 6.

DISQVISITIO TERTIA.

Quoties à Superiore Solitarij visitentur: quòd nulli alij loqui possint: quis illis ad sacrum faciendum inseruiat: & quomodò si quid occurrerit, indicabunt.

180 QVoniam non passim omnibus, sed ætate ac virtute prouectis probatisque viris, hoc vitæ genus solùm permittitur, satis est si Superior eos semel in hebdomada visitet; quod video à Patribus Carmelitis Excalceatis ita præscriptũ: *Prior, aut Vicarius Eremi, semel saltem in hebdomada, Fratres, qui in separatis cellulis morantur, visitabit.* Et ab Hispanis Augustiniensibus, hunc in modum: *Tempore quo Fratres Eremitorium coluerint, Prior curam habebit inuisendi eos, ad minus semel in septimana: vt tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, charitatiuè necessaria illis prouideat: & nulla de causa, etiam ratione Confessionis audiendæ, à prædicto eos Eremitorio extrahat.* Carmelitæ verò antiquę obseruantiæ frequentiùs hanc visitationem suadent. *Prior*, inquiunt, *bis ad minus per singulas hebdomadas cellulas Eremitarum & Anachoretarum visitet: nemoque alterius cellam ingrediatur, sine licentia Superioris. Qui verò nocte fuerit ingressus alicuius Fratris cellam, pœna graui puniatur: si autem qui in exterioribus & separatis cellulis viuunt, hunc errorem perpetrauerint; pro prima vice etiam pœna graui puniantur, & pro secunda etiam ab Eremo eijciantur.* Quod ab Excalceatis Patribus fortassè didicerint, qui sic habent: *Omnes Religiosi iugiter in cellulis suis maneant, Lectioni, Orationi, aut manuum operibus vacantes: & nullus in alterius cellulam, sine venia, ingrediatur: quod qui noctu fecerit, grauiter Prioris arbitrio corrigatur. Si quis verò, ex Religiosis in separatis cellulis degentibus, Cellam alterius absque venia fuerit ingressus, prima vice grauiter puniatur, secunda verò ab Eremo expellatur.*

Const. par. 2. cap. 12. n. 5.

Aug. de desertis cap. 10

Carm. Disc. Constit. par. 2. cap. 11. num. 5.

181 Sed quo ministro ad sacrum faciẽdum vtentur? Porrò, qui in reclusione versantur, vel inuicem sibi ipsis inseruient, vt dictum est supra num. 178. vel campanulæ ictu Ministrum vocabunt, quem eisdem Superior assignauerit: cum quo nullum omnino sermonem conferant: sed si quid desit, aut casu occurrerit, non id verbis, sed nutu ac signo indicabunt. Quod Patres Carmelitæ Discalceati Eremis suis hoc modo præscribunt: *In Conuentibus Eremi, scripto, nutibus, ac signis, ad res faciliores exprimendas, communiter omnes, etiam ministri vtantur.* Cùm verò Solitario aliquid dandum erit; Laicus, aut qui-

Const. par 2. cap. 11. nu. 4.

libet alius frater, huic muneri deputatus, id in panarium mittit, quod è fenestra Eremitorij pendet fune ligatum: & statim leui ictu campanulæ, Solitarium monens, inde discedit. Similiter cùm aliquid deest, & necessitas vrget, scribit Solitarius quicquid est opus, & chartulam in panario ponit, vt veniens suo tempore Laicus, Superiori chartulam ferat: & ille sine verbis aut nutu accipiat, si expediat, quod optauit: id autem nec facilè nec leuiter, nisi magna vrgeat necessitas, est agendum.

DISQVISITIO QVARTA.

An liceat, in reclusione uersantibus, componere Conciones, Philosophiæ uel Theologiæ scripta reuoluere, aut pium saltem aliquod opusculum lucubrare.

182 HAnc difficultatem excutere supersedeo, fusè alibi explicaturus, cùm de eo sermonem instituam, qui Exercitia spiritualia obiens, in recessu, desiderio pulsatur incumbendi scholasticis studijs, aut pium aliquid lucubrandi. Interim tamen exscribam, quod Carmelitæ Discalceati in constitutionibus hoc modo decernunt: *Nullo modo ad Eremiticas cellas libri scholastici, aut concionatorum, aut conscripti codices ferantur: sed tantùm SS. Patrum Opera, uel libri ad spiritualem animæ profectum attinentes.* Carmelitæ item antiquæ Obseruantiæ inter constitutiones hæc habent: *Nullus per aliquot menses permansurus ad conciones conficiendas, libros componendos, aut aliud studium faciendum, illuc* (ad Eremum) *mittatur. Studia item scholastica, & quæuis alia spiritum deuotionis extinguentia, unde animus in oratione ariditates pati solet, deuitentur: solius sacræ Scripturæ, & piorum SS. Patrum opusculorum studijs incumbere possunt. Ideò non adsint in Bibliotheca Eremi libri scholastici, concionatores, alijque cuiuscunque studij classici: sed tantùm sacræ Scripturæ, piorum, & sanctorum Patrum Opuscula, aliaque Opera spiritum deuotionis & contemplationis excitantia.* Vide quæ de arctiori Cœnobio scripsimus *par.* 1. *disquis.* 7. *num.* 9. & 12. quibus hìc addo, pro nostra Recessus Domo, sancitum esse, vt ille solùm Opusculum aliquod asceticum componere possit; qui spiritualia primùm Exercitia diligenter obierit.

Constit. par. 2. cap. 12. nu. 2.

Constit. par. 1. cap. 2. nu. 15.



DISQVISITIO QVINTA.

Quando nam Solitarij ex Eremitorio discedant, & vnà cum alijs congregentur.

183 PORrò vsitatissimum est, reclusos Eremicolas die Dominico conuenire. Quod congregatio S. Eliæ Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo hoc modo præscripsit: *Singulis diebus Dominicis omnes Eremitæ ad Capitulum Conuentuale conueniant, & in Conuentu communibus actibus intererunt: & post Vesperas ad suas cellulas redibunt, nisi Collationis dies fuerit: tunc enim vsque ad Collationem expletam in Conuentu morabuntur.* Similiter antiquæ Obseruantiæ Carmelitæ inquiunt: *Singulis diebus Dominicis signo dato fratres Eremitæ & Anachoretæ ad Capitulum* (vt culpas fateantur) *in Conuentum accedent: & quintis ferijs pariter ad Collationem seu spirituales Conferentias faciendum conuenient Eremitæ* (non alij, qui in reclusione versantur) *ac per horam de re, quæ præcedenti Collatione fuerat proposita, mutuò coferant & colloquantur.* Sed Augustinienses Hispani de desertis hæc habent: *In principalioribus festis* (qui in Eremitorijs manent) *adire Conuentum teneantur, & ibi interesse à primis Vesperis vsque ad secundas diei: ac præterea in Dominicis diebus, in Conuentu Missam celebrent: ac finitis Vesperis omnes Eremitorij habitatores in decēti loco sint congregati: dictoque, Adiutorium nostrum &c. Prior dans Benedictionem sermonem aliquem breuem faciat, exhortans illos ad virtutum amplexum, passiones edomandas, eradicanda uitia, & in particulari ad exercitium alicuius uirtutis, in illa hebdomada, ab omnibus solicitè ambiendum: & antè uel post, inquirat Prior de exercitio & prouentu in uirtute, quam hebdomada præterita insequendum elegerunt: tuncque humiliter quoque suos defectus fateantur.* Et subdunt: *Tempore Aduentus & Quadragesimæ, qui in prædictis cellulis morantur, nisi occurrente festo primæ Classis, ad Conuentum non ueniant. A Vigilia autem Natiuitatis Domini, usque ad Epiphaniam inclusiuè; & à Dominica in Palmis, usque ad Dominicam in Albis; & à Dominica Pentecostes, usque ad Exaltationem S. Crucis, omnes in Conuentu maneant.*

Const. par. 2. cap. 12. nu. 3.

Const. par. 1. cap. 2. n. 17.

Aug. de desertis cap. 10.

184 Quod autem nostris in Præpositi Generalis Ordinatione præscribitur, vt Sabbato congregentur, ex vetusto planè more sancitum est. Et vt multa exempla præteream, quæ in Vitis Patrum habentur; afferam ex Ruffino, quod nos instruere possit, & adeundam ad perfectionem plurimùm excitare. *Quodam tempore*, inquit, *Ma-*

De Vitis Patrum lib. 3. auctore Ruffino. Rosuueyd. fol. 404.

*Zices cùm superueni§ent in Scithi, & multos ex Patribus interfecissent, Abbas Pæmen cum alio Abbate seniore se, nomine Nub, & cum alijs quinque Patribus fugiens inde, venit in locum Therenuthi: & inuenerunt ibi templum quoddam desertum, manserunt in eo septem diebus pariter, donec cognoscerent vbi mansurus esset vnusquisque in Ægypto. Dicit ergo eis Abbas Nub: Septimana hac vnusquisque requiescat apud se, & cum altero non loquatur. Cùm autem sic facerent, erat in templo illo statua cuiusdam idoli. Abbas ergo Nub exurgens mane lapidabat eam, & vespere veniens dicebat ad eam: Peccaui, indulge mihi: & per totam septimanam similiter fecit. Die autem Sabbati cùm pariter conuenissent (*more quem dixi*) dicit ei Abbas Pæmen: Quid voluisti hac tota facere septimana, vt homo fidelis idolo diceres, Indulge mihi. Dicit ei senex: Hæc ego propter vos feci: dicite mihi, Nunquid hoc idolum quandò lapidabam, locutum est, aut iratum? Et iterùm quandò indulgentiam petebam, nunquid exaltauit se, aut gloriatum est? Cui Abbas Pæmen respondit: Non vtique. Tunc senex dixit: Fratres, ecce, sumus septem; si vultis ergo vt pariter maneamus, sit idolum istud nobis exemplum, nequando iniuriatus aliquis irascatur; nec quandò ab eo venia petitur, glorietur vel extollatur. Sin autem ita non vultis, vnusquisque vbi vult pergat. At illi proijcientes se in terram, responderunt se ita facturos, & sic permanserunt per multos annos cum multa humilitate & patientia. Quatuor horis dormiebant in nocte, & quatuor psallebant, & quatuor operabantur; in die verò vsque ad horam sextam operabantur: deindè, vsque ad nonam legebant; & post hoc, victum sibi præparabant, colligentes quasdam herbas terræ. Fuerunt & alij septem similiter probatissimi viri, qui in ea eremo, quæ Saracenis contigua est, habitabant; cellulis quidem haud longè à se diuisis, sed ipsi vinculo charitatis connexi: quorum vnus vocabatur Petrus, alius Stephanus, tertius Ioannes, quartus Georgius, quintus Theodorus, sextus Felix, septimus Laurus. Hi ergo in sterili ac vastissima solitudine, & penè hominibus inhabitabili commorantes, semel sibi in septimana videndos se præbebant. Sabbatorum nanque die, hora diei nona, conueniebant singuli de locis suis ad locum sibi condictum, deferentes vnusquisque, si quid inuenire poterat. Et vnus quidem deferebat nuces, alius lactorones, alius dactylos, alius ficus, alius herbas vsibiles, id est, lapsanum, pastinacas, caricas, & petroselinum. Iste quippè erat præcipuus eorum victus: panem nanque & oleum vel potum extra vsum habebant. Tantummodò enim supradictis herbis & pomis sustentabantur. Vestimentum eis palma solummodò præbebat: aqua in illis locis minimè inueniebatur. Neque enim aliter potabantur, quàm exeuntes manè, ac discurrentes per diuersas herbas colligentes rorem, qui affluentissimè ibi cadit, & inde tantummodò bibebant. Cùmque (vt diximus) in*

vnum conuenirent locum, agentes Deo gratias sumebant cibum: post refectionem verò vsque ad vesperam sedentes meditabantur de Scripturis sanctis. Non enim discurrebat inter eos secularis fabula, non cura seculi, non actio terrenarum rerum, sed solummodò collatio spiritalis, regni cælestis desiderabilis commemoratio, futura beatitudo, gloria iustorum, pœna peccatorum, Sanctorumque quies: Hæc commemorantes suspirabant ex imo pectore, & flebant vberrimè: Cùmque per totam noctem peruigiles manerent celebrantes Domino laudes: die Dominico hora nona, loquendi secum & videndi se terminum capiebant. Redibat enim vnusquisque ad cellam suam, in qua solus soli Deo diebus ac noctibus vacabat.

DISQVISITIO SEXTA.

Quomodò qui ad nostram Domum Recessus secedere optat, vt in ea Recollectionem obeat, admittendus.

185 BReuiter hîc modum exhibeo, quo, si quis ex alijs nostris domibus huc venire, & in spiritu iuuari & exerceri percupiat, ad breue aliquod tempus, excipiendus. Scio suum cuique Ordini ritum esse: nec vnam vel viam vel semitam inueniri, quæ studiosos Christi Athletas, ad apicem perfectionis & sanctitatis facilè prouehat & adducat. Permagni solùm refert, quòd quisquis suæ salutis iter ingreditur, non id cunctabundus, sed volenti animo ac constanter arripiat: & ne hilum quidem vel retro redeat, vel ab Directoris nutu deflectat. Dies itaque & Exercitia obeundæ (iusta nostrum morem) spiritualis Recollectionis, hæc erunt.

186 Ille quidem qui secedere statuit, & exoptat in nostra Domo Recessus Recollectionem obire, nostri Superioris veniam, & sui Præpositi facultatem, primùm exposcat: quam cùm acceperit, quicquid est suæ curæ relinquat, atque illi tradat siue committat, quem Præpositus indicauerit. Tum admonito Ianitore, se ad dies aliquot in solitudinem abiturum, & spiritualibus solùm illic exercitijs occupandum; Cubiculum suum diligenter omni ex parte discutiat: & quicquid aut religiosum decorem, aut Ordinis Obseruantiam, aut Paupertatem pretiosissimam & Apostolicam lædit, incunctanter amoliatur. Neque enim speret se quicquam spiritu profecturum, nisi à se, & à cellula sua, omnem primùm vanitatem, & proprietatem eliminauerit. Deindè Benedictione ab suo Præposito accepta, ad Recessum se conferat. Quò cùm aduenerit, in secretum

Oratorium à Superiore introducitur, vt sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum reuerenter adoret. Ibique humillimè genu flexo, prima illi admonitio, siue instructio traditur, scripta vel typis edita, quæ sic habet.

187 Carissimè frater, si in nostrum Recessum venis, & huc te cupido pertraxit, vt conscientiam tuam exoneres, ac perpurges, vitia emendes; & quæ tibi opus sunt virtutes adeptus, ad veram perfectionem, ac animi tui salutem progrediaris; bonis auibus ac felicibus auspicijs accessisti: teque omnes in Domino peramanter excipimus ac complectimur. Volumus te tamen admonitum, vt hic Venerabili Eucharistiæ Sacramento, cui nostra Domus est sacra, ex corde te dedas, & ab eo gratiam poscas, vt bene percipere & intelligere possis, quanti omninò referat salus tua: quot eum pericula obsideant, qui vitam viuit non feruidè sed remissè: quanta cœlitùs ijs suauitas affluat, qui Deo strenuè inseruiunt: quàm pretiosa Iustorum mors in conspectu Domini: quàm terribilis & execranda mors impiorum: Quæ te in Cælo palmæ ac coronæ maneant, si ritè ad brauium tendas, & æternæ vitæ demum præmia consequaris. Eia carissime frater, adijce animum, ac mentem aduerte: & vel Inferni ignis tormenta, vel Purgatorij saltem pœnas expende, quibus ij cruciantur, qui non boni religiosæ vitæ professores fuere, sed delicati, sed tepidi, sed desidiosi, sed negligentes, amantes seculi, cupidi vanitatis, deliciarum ac commodi sectatores, tenaces propriæ voluntatis, ac parùm salutis suæ studiosi. Age, mentem & considerationem attolle, ad felicitates, ad gaudia, quibus æternùm in Cælo fruentur ij, qui Christi Pauperis imitatores fuere, qui eius vestigia sunt sequuti, qui pertulerunt eius mortificationem ac crucem; & contra mundum, carnem, ac dæmonem, strenuè decertarunt. Nunc gratias illi age, quòd te ad Recessum pertraxit, & impertiuit tempus ac vires, vt Recollectionem egregiam institueres, qua & Generalem Confessionem obires, mores componeres, vitam tuam emendares, & æternam salutem consequereris. Hoc tamen vt obtinere, ac perfectè adimplere possis, ab hoc sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, & immaculata Deipara, opem & auxilium implorabis: & his te volumus ex corde hodiè mancipari; quanquam tui Oblationem, in fine Exercitiorum, vti dicemus, sis solemniùs editurus. Quocircà, hunc primò morem atque ritum addisce, in omni vita perpetuò retinendum, vt hæc verba frequenter in ore habeas, & in corde: *Laudetur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum: & sit benedicta semper ab omnibus B. Mariæ Virginis Puritas & immaculata Conceptio.* Caue in

hanc Domum ne quicquam afferas, noſtrorum fratrum hic verſantiũ ædificationi & exemplo non profuturum: ſed te ita geres in omnibus, vt nihil in te quiſquam aduertat, nullum audiat verbum ab ore tuo, quod laudem non mereatur, & vtilitatem illi afferre non queat. In tuis genuflexionibus ſemper genu terram pertinges: & tam in Choro, quàm Refectorio, quamdiu vnà cũ cæteris interuenies, ſumma oculorum præſertim, atque totius corporis compoſitione, conſiſtes. Si quid loqui oportebit, nonniſi ſubmiſsè proferas. Nihil cuiquam referas eorum, quæ vel Neapoli fiunt, vel in noſtris Domibus euenerunt, quæue Receſſui noſtro parũ prodeſſe poſſunt. Nunquam literas vel breue quodlibet epiſtolium alicui mittes, vel à quoquam accipies: nec item vlli mandatum feres aut dabis: neue hinc inde diſcurres. Sed ſi quid tibi deſit aut accidat, id cùm poteris Directori tuo enuntiabis. Imò nihil omninò ſcribes aut leges, niſi quæ tuus tibi Director in dies ſingulos imperabit, & quam tibi Meditationem impertiet, quæue ſignabit capita Pugnæ ſpiritualis. Idque tibi volumus animo fixum eſſe, quamdiu verſaberis apud nos, te veluti Nouitium ac mundo mortuum reputare, ſi vis in Chriſti gymnaſio & palæſtra proficere, & euadere verax non mendax Religioſus. Tametſi enim Theologus ſis, ac alios doceas, multis ornatus ſcientijs, ac literis eruditus, cùm ad veram humilitatem non dum perueneris, neque vnquam adeptus fueris interioris hominis diſciplinam, penſare debes te prima ſpiritualis vitæ elementa vix à limine ſalutaſſe. Ideóque humillimè te gerere debes, atque Directoris diſciplinæ ſubeſſe, & ab eius nutu pendere; ac omnem illi conſcientiam, animum, & mentem expandere: atque cum eo debes tuarum Meditationum ſucceſſum communicare, ac nihil illi celatum velle. Hanc primam Admonitionem legiſti? Vereor ne velociùs excurreris oculo quàm par fuerit. Rogo vt iterum legas, ac paulatim expendas: vt ſtatuas, regredi te ne præſtet in Cœnobium tuum, num hic hærere, ſecedere, & ad exitum generosè perducere cœptum Opus.

188 Hæc cùm legerit, ac promiſerit, dicit Superior hymnum *Veni creator Spiritus*, mox verſus & orationes, in noſtro Rituali præſcriptas: & demum vnà cum Patribus ipſum ad locum ſolitarium ducit. Eò cùm peruenerint, ante Deiparæ imaginem Superior genuflexus nouum Hoſpitem B. Virginis tutelæ enixè commendat: ac deindè illi Directorem oſtendit, ab cuius nutu pendere debet: cui cùm commiſerit, ſuam illi Benedictionem impertiens, relinquit & abit. Director verò iuxta ſequentem formam Solitarium exercet & inſtruit. I. Die illum admonet, vt ſe verè Deo dedat & offerat: do-

cetque, quem Exercitiorum suorum finem, & vt Dei præsentiam sibi animo quotidie præfigere debeat. II. Die, quomodò instituere debeat conscientiæ examen. III. Die, quomodò Confessionem edere ac perficere debeat suorum omnium peccatorum. IV. Die, quomodò Christi Corporis Communionem, aut Sacrificium. V. Die, quomodò instituendæ vitæ in posterum arctioris electionem sit habiturus. VI. Die, quomodò vitiorum atque defectuum extirpationi attendere possit. VII. Die, quomodò nauare debeat operam omnium virtutum adeptioni. VIII. Die, in quotidianorum quomodò actuum ordinationem incumbat. IX. Vt Venerabili Eucharistiæ Sacramento, & immaculatè Conceptæ B. Mariæ Virgini dedicetur. X. Vt Patrum omniũ orationes ac monita genuflexus in refectorio postulet: & deindè singulatim ab vnoquoque humillimè, antequam discedat, excipiat. Sed & quam dixi Dedicationem, coram cunctis Patribus in medio Oratorio genuflexus, clara voce, mane post Sacrum, aut post Vesperas, habebit his verbis.

Domine Iesu Christe, Creator, & Redemptor meus, qui in isto Venerabili Eucharistiæ Sacramento amantissimè latitas, & à quo peccatorum meorum remissionem, ac æternam Beatitudinem spero: ecce te hic humillimè prostratus adoro: & Deiparam Mariam Virginem Matrem tuam, immaculatè Conceptam, sub cuius in posterum tutela & auspicio viuere cupio, reuerenter imploro. Omnes ego Angelos, præsertim Michaelem, Gabrielem, & illum cuius tutelæ commissus fui: Beatos omnes in Cælis, præsertim Præcursorem tuũ S. Ioannem Baptistã, SS. Petrum & Ioannem Apostolos, S. Caietanum, in cuius Ordine milito: & hos Patres, fratresque meos, ac quoscunque alios in terris deprecor & adhortor, vt perpetuò tibi gratias & laudẽ impendant, quòd me dignatus fueris ad Theatinum Ordinem vocare, ad hanc tibi sacram ædem perducere, ac tuis illustrationibus impellere & excitare, vt malè actam hactenùs vitam meam, ante quàm à morte raperer, emendarem. Ego tibi Filio Dei, seruus tuus, & factura tua, cùm rependere nequeam, omnium creaturarum gratias habeo: & quantùm tu beneficentiùs me ditasti, tantùm tibi humiliùs in perpetuum seruire propono. Non satis tibi fuit, carnem meam, vt me redimeres, suscepisse; & mortem meam tua morte superasse: sed vt ego intimiùs in te viuerem, tu temet ipso me pascere voluisti. Corpus tuum Diuinissimum dedisti mihi in cibum, priusquàm traderes in pretium: & Sanguinem tuum pretiosum, priusquàm patientissimè funderes, amantissimè propinasti. Domine Iesu, ne à te recedam, excita me: vt te semper diligam, inflamma me: vt te dignè recipiam, munda me: & cui escam vitæ æternæ præparasti, per admirabilem istam Eucharistiam, & immaculatam tuæ Matris Conceptionem, tribue mihi vi-

tam æternam. Te verò sanctissima Virgo Maria, dignissima Mater Dei, hodiè deligo in Dominam, Reginam, Patronam, & Matrem meam: firmiterque statuo & omninò propono, abs te nunquam me discessurum, neque permissurum vnquam, vt aliquid contra tuum honorem agatur. Obsecro te igitur vt me in seruum suscipias, & adsis mihi in cunctis actionibus meis, vt Filij tui gratiam obtineam, & nunquam amittam: libera me ab hostibus meis; & cum S. Ioanne Dilecto Filij tui, mihi adsis in hora mortis, & me suscipias in vitam æternam.

189 Demum si Votum edere velit, quod nos hac in Domo solemus, statim adijciat hunc in modum:

Ego iuro & promitto Deo, B. Mariæ Virgini, B. P. N. Caietano, & omnibus Sanctis, nunquam publicas me Theses propugnaturum, aut sermonem vel Concionem habiturum ad populum, vel instituturum ad Moniales, vel librum aliquem scripturum aut editurum in lucem, quin Venerabilis Eucharistiæ Sacramenti, & immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis, laudem & benedictionem, solita verborum forma, præmittam. Spero enim per sanctissimum Iesu Christi Corpus & Sanguinem, & immaculatam Conceptionem eiusdem B. Virginis, fore, vt peccatorum meorum Remissionem obtineam; & Beatitatem adeptus æternùm canam: Laudetur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum; & benedicta sit semper ab omnibus B. Mariæ Virginis Puritas, & immaculata Conceptio.

DISQVISITIO SEPTIMA.

De Theatinis Sanctimonialibus Eremicolis, arcto Voto, ab omni hominum consuetudine sequestratis: & de Eremitorijs, in alijs Monialium Monasterijs, in honorem immaculatè Conceptæ Virginis, excitandis.

190 Confecta senio Vrsula Benincasa, vt narrat P. Placidus à S. Teresia, Carmelita Discalceatus in vita, biennio antequam viuis excederet, die Februarij mensis secunda, Diuæ Virginis Purificationi sacra, sumpta Eucharistia, factoque de more secessu mentis, qui quidem solito prolixior septem horas tenuit, id cælitùs ac disertè audiuit: Ædificandam placando Numini solitudinem, Mulierum Congregationi attiguam; quam Eremitæ Virgines; procul omni mortalium consuetudine, & humanorum commercio, habitarent. Deoque inibi inseruirent. Quæ perpetuò degentes in cellis, nec videre, nec audire alios possint: sed singula-

Placidus à S. Ter. par. 3. cap. 7. fol. 196.

riter viuant, silentium seruent; Cæli semitas considerent, orationi studeant, contemplationi vacent, & quotidiè intentionem erigant, sic speculandæ claritati Dei, vt gloriari possint cum Apostolo: *Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur*. Ita vt humana mutata forma, in Angelicam imò Diuinam transmutentur figuram. Hactenùs ille.

191 Vt autem clariùs admirabilem vitæ rationem Virginum huiusmodi Eremitarum lector intelligere possit, emittendæ Professionis formulam huc adijcio, ex ipsarum rituali libro depromptam; quam & in libro S. Caietani ad immaculatæ Deiparæ Mariæ Virginis pedes edidimus, hunc in modum:

Liber à nobis editus in lucem Anno 1672. cap. 4. fol. 24.

Ego N. N. N. profiteor hodie, & promitto Deo, B. Mariæ semper Virgini, B. Ioanni Baptistæ, B. Petro Apostolo, B. P. N. Caietano, Venerabili Congregationi Clericorum Regularium, Admodùm R. P. Præposito Generali, R. P. N. Ordinario, & Tibi R. M. Præpositæ Theatinæ huius Eremi immaculatæ Conceptionis, Obedientiam, & Reuerentiam debitam: secundùm Regulam trium Votorum, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ: ac perpetuam Clausuram, cum Quarto Voto externis hominibus nòn loquendi: itaut quorumcunque meorum ac aliorum hominum commercium vitem: & sic omnem omninò consuetudinem caueam, vt nec Verba, nec Mandata, nec Nutus, nec Literas, Vlli vnquam dicere, dare, mittere, vel ab alijs accipere valeam. Atque ita uni Deo *uiua, ac seculo mortua, Iesu Christo Sponso, Æternoque Amori meo adhærere, & illi soli placere studeam, ac B. Mariam Virginem imitari: orandoque Deo semper incumbam, pro incolumitate Nostræ Ciuitatis Neapolis, Romæ, ac totius Reipublicæ Christianæ; & Reformatione morum, ac Renouatione spiritus in toto Terrarum Orbe: præsertim pro Beatissimo P. N. Clemente X. pro Carolo II. Nostro Rege Catholico: pro Eminentissimo Ignico Caracciolo, Cardinali, Neapolitano Archiepiscopo: pro Excellentissimo Prorege N. N. & pro cunctis, qui uel nostram sacram Eremum condiderunt, uel Neapolitanam Vrbem ac Regnum in spiritualibus ac temporalibus administrant. Iuxta Regulam à Venerabili Dei Serua D. Vrsula, Matre Nostra, Theatina, præscriptam: ab Gregorio Quintodecimo, & Clemente Nono, Romanis Pontificibus, approbatam. & à sanctissimo P. Clemente X. demum Priuilegijs & Indulgentijs auctam. Hac ipsa die . . Mensis . . Anno Domini . . In eiusdem Eremi Ecclesia immaculatæ Conceptionis. Ego N. N. suprascripta manu propria scripsi, & ipsa pronunciaui*. Meritò hìc Vincentius Gilibertus, & P. Placidus Excalceatus exclamat: *O nouum! ò mirum! Intra Regiam Ciuitatem, plenam obstrepente populo, Eremum erigere Monialium: quæ Deo uiuæ & mundo ac sibi mortuæ, oculos habent, & non uideant; aures, & non audiant; pe-*

Gilib. to. 2. Cali Dauid fol. 249. P. Placid. lo. cit.

des, & non ambulent; os, & cum hominibus non loquantur: loquantur autem cum Angelis, loquantur cum Deo: cui adhærentes unus cum eo spiritus fiant! P. Scipio Sgambatus è Societate Iesu *Nouum hoc inuentum* appellat, *ab Apostolica Sede iam comprobatum*. *Sgamb. in vita Magd. Carafa cap. 17. fol. 61.*

192 Ab hoc verò Theatinarum Sanctimonialium Eremicolarum exemplo, Mater nostra fore prædixit, vt alia Virginum Monasteria discant sua certatim Eremitoria condere, & instituere, in honorem immaculatè Conceptæ Virginis. Iamque lectissima Mater Maria Villana ex Ordine Patrum Prædicatorum, quæ nuper cum magna sanctitatis fama decessit, ac nostri Ordinis studiosissima fuit, Regulis sui Monasterij Diuini Amoris typis Neapoli editis, Christi Anno 1644. & à Romano Pontifice Vrbano VIII. approbatis, octauũ Caput inseruit hoc titulo inscriptum: *De Eremitorio*: vbi *fol.* 25. 26. & 27. suarum Eremicolarum Virginum disciplinam describit, qua ab alijs segregatæ viuere debeant. Palmæque in Sicilia hodiè celeberrimum Monasterium extat, à Venerabili Duce D. Iulio de Thomasi iam excitatum: vbi & Eremitorium conditum est, & Eremitæ aliquot Sanctimoniales inueniuntur, quæ (vt Diploma Alexandri VII. illis indulsit, & imaginem & titulum immaculatè Conceptæ Virginis ferunt: tametsi Monasteriũ Benedictino sit Ordini, ac B. Mariæ Virginis Rosario sacrum: quã fundationem nimiùm promouit & auxit noster D. Carolus de Thomasi; qui germano olim fratri suo D. Iulio Ducatum dimiserat, & hoc Anno prima die Ianuarij Mensis, ingentibus meritis ac gestis onustus, Romæ, cum magna apud omnes sanctitatis opinione decessit. Eiusque olim ego rogatu, Palmam me contuli, vt Constitutiones, à Francisco Gisulfo, Agrigentino Antistite comprobatas, illis Sanctimonialibus impertirem: quarum tunc virtutem ac sanctitudinem, non sine ingenti admiratione planè cognoui. Multaque sunt hodie Panormi, hìc Neapoli, atque alibi Monasteria, quæ sua quoque Eremitoria condere gestiunt, eaque immaculatè Conceptæ Virgini dedicare: & ex me per epistolas formam ac modum ferè quotidie sciscitantur.

DISQVISITIO OCTAVA.

De Exemplis aliquot priscorum Eremitarum; quæ nostri temporis atque Ordinis Eremitas poterunt ad amorem Solitudinis & vitæ austerioris incendere.

193 CVm magis exempla quàm verba moueant, ex S. Gregorio; conabor è veterum Patrum vitis, ac probæ

notæ ſcriptoribus, hìc aliquot exempla tranſcribere, quibus noſtri homines in receſſu verſantes, atque Theatinæ Eremicolæ, vehementer ad Solitudinem ac ſanctitudinem accendantur: neque alium, quàm alphabeti ordinem ac ſeriem obſeruabo.

Metaphr. in vita Alypij.

194 Alypus Cionita miraculoſam vitam in columna egit per annos ſeptuaginta: habuitqúe ſibi adiunctas tres claſſes canentium, duas monachorum, & vnam mulierum, quæ perpetuos hymnos ad cœlum miſerunt. Propoſuit idem ſuis Monialibus hanc legem, vt nunquam oculis maſculorum aſpicerentur. Eam illæ adeò ſanctè obſeruarunt, vt etiam in mortis periculo conſtitutæ, noluerint à parentibus viſitari: vt illo æuo permittebatur.

195 Antonius Ægyptius, nobilibus ortus parentibus & Chriſtianis, Scripturas memoriter tenebat. Literas nec ſciſſe eum nec curaſſe *Sozomenus* ſcribit *lib.* 1. *c.* 13. ac mentem bonam, vt literis antiquiorem, illis prætuliſſe. Ad Philoſophum quendam, mirantem quòd abſque libris eſſet, dixiſſe, *Socrates* refert *lib.* 4. *cap.* 25. Liber meus, ò Philoſophe, natura eſt rerum conditarum, quæ mihi præſtò eſt, quotieſcunque ſermones Dei legere voluero. Monaſticam vitam primus in Ægypto ſectari cœpit, non procul à villa ſua, omnibus virtutibus clariſſimus, celebris, & medendi dono, & propheti js. Sæpè eum de rebus magnis Conſtantinus conſuluit: ſæpè etiam ad cõponendas controuerſias Vrbes petijt. Contrà Hæreticos Arianos & Meletianos acriter diſputauit pro Athanaſio. Cùm triginta-quinque annorum eſſet, eremum adijt, multas dæmonum inſidias, inſuper & verbera paſſus. *Sozomenus* retulit *lib.* 6. *c.* 5. quòd multos in templo per viſionem conſpexerit ſacram menſam ſubuertere, cætera verò quæ in templo eſſent, fœdiſſimè commaculare ac diſijcere. Ex qua, paulò pòſt, futuram Eccleſiæ vaſtationem per Arianos fratribus prædixit: quæ & biennio pòſt atrox ſecuta eſt. In eremo cùm per annos latuiſſet viginti, ad annum vſque ætatis quinquageſimum quintum, in publicum tandem prodijt, ac familiaritatem cum monachis alijs coluit. Alexandriæ tempore perſecutionis, quam ibi Maximinus exercuit, frequens fuit: vbi, qui ad ſupplicia & mortem ducerentur Chriſtianis ſemper adfuit, adeò vt monachis omnibus ciuitate præfectus interdiceret. Poſt Petri martyrium in monaſterium ſuum regreſſus eſt: ſed ex quo paulò pòſt in aliam eremum ſe contulit, vbi ad montem ſublimem habitaculum ſuum conſtituit. Erat illi cibus panis ſolus, & ſal, potus aqua: prandij tempus Solis occaſus, cùm tamen ſæpiùs biduum, aut dies plures ieiunus maneret. Vigilabat noctes integras, precationi vacans vſque ad lucem. Si

somnum gustaret, dormiebat paululum inclinatus: cubabat autem humi, nec vnctiones, nec balnea curans. Nudatum proprium corpus nunquam aspexit. Iniuria affectis, vt patronus fideliter adfuit, eiusque rei gratia in vrbes sæpe commeabat. Intercessit pro multis apud principes ac magistratus, omnibusque officiosum se ac placidū exhibuit. Similia de eo retulit *in Hilarionis vita* Hieronymus, & Efrem *in Sermone de Moderatione risus*, vbi vestimentum eius interiùs fuisse refert cilicium, exteriùs verò animalis pellem. Victum sibi quæsiuit labore manuum: mercedem verò operis sui, panis precio excepto, egentibus largiebatur. Quiescere quandò volebat, iunco contexto incubuit. Hinc cùm iam viginti peregisset annos, vi eductus, & Abbas ordinatus, obstructis monasterij foribus manere cœpit, ita vt mutasse latebram videretur, non deseruisse. Cùm autem multi varijs morbis laborantes eò ventitarent, & sani reuerterentur, crescerétque indies confluentium numerus, gloriam fugiens, procul in alterius desertum solus abijt, iam nonagenarius, & in loco ab Angelo sibi monstrato consedit. Paulum Thebæum tumulauit, sementem fecit, & oluscula coluit fratrum labori parcens, ne sibi necessaria deferendo fatigarentur, tridui iter absentes, Anno ætatis CV. euocari se à Deo sentiens, grauissima concione fratres hortatus est, vt à Meletianis schismaticis, & Arrianis diligenter sibi cauerent: & à discipulis petijt, vt cadauer suum sepelirent, nec in lectulis reseruarent, quod cum funeribus martyrum & sanctorum Ægyptij facere consueuerant. Obijt anno Salutis trecentesimo sexag. De eius habitaculo Hieronymus *in Hilarionis Abbatis vita* scribit: Saxeus & sublimis mons per mille circiter passus ad radices suas aquas exprimit, quarum alias arenæ ebibunt, aliæ ad inferiora delapsæ paulatim riuum efficiunt. Super quem ex vtraque ripa palmæ innumerabiles multum loco & amœnitatis & commodi tribuunt. De Hilarione deinde loquens, cùm post obitum Antonij discipulos eius visendi gratia adisset: Videres, inquit, senem huc atque illuc cum discipulis Beati Antonij Isaaco & Pelusiano discurrere. Hìc, aiebant, psallere, hic orare, hic operari, hic fessus residere solitus erat: has vites, hæc arbustula ipse plantauit: illam areolam manibus suis ipse composuit: hanc piscinam ad irrigandum hortulum multo sudore fabricatus est: istum sarculum ad fodiendam terram pluribus annis habuit. Iacebat in strato eius Hilarion, & quasi calens adhuc cubile deosculabatur. Erat autem cellula non plus mensuræ per quadrum tenens, quā homo dormiens extendi poterat. Præterea in sublimi montis vertice, quasi per cochleam ascendentibus, & arduo valde, duæ eiusdem

nensuræ cellulæ visebantur, in quibus, venientium frequentiam, & discipulorum suorum contubernium fugiens, morabatur. Verùm hæ in viuo excisæ saxo, ostia tantùm addita habebant.

Marul. lib. 9. cap. 2. & Volat. lib. 14. cap. 4. Anthrop.

196 Arsenius, Diaconus Romanæ Ecclesiæ à Zonara dicitur, cuius disciplinæ Theodosius duos filios Imperatores, Honorium & Arcadium commisit, non vt Imperatores, sed vt vulgares, vt plagis etiam coërcerentur. Aliquando cùm Arsenium stantem, filios sedentes Imperator vidisset, grauissimè eam rem tulit. Fortè plagas Arcadio Arsenius inflixerat: Arcadius eum occidere cogitabat, subornato percussore. Arsenius re cognita clàm in solitudinem Scethim confugit. Quem cùm illic solitariam vitam sanctè profiteri Arcadius audiuisset, delicti veniam petijt, & multos libros muneri misit. Vixit in ea eremo Arsenius, aliorum monachorum præceptor. Alij tamen senatorij ordinis sub Honorio fuisse aiunt, cùmque Deum rogasset, qua potissimum ratione saluari posset? responsum accepisse, vti consortia hominum, præcipuè secularium, declinaret. Factus verò monachus, inter precandum rursus vocem audiuit dicentis: Arseni, fuge, tace, quiesce, vt scilicet deuitaret fuga frequentiam, taciturnitate iactantiam, quiete fluxarum atque fragilium rerum sollicitudinem. Proinde secedens in partes Syriæ, eò loci qui Troën dicitur, sedit solitarius annos quadraginta. Deinde in deserto vastiore vltra Babylonem, Memphin versus annos decem. Postea ad Canopum Alexandriæ annos tres. Rursum in Troë annos duos. Sicque peracto vitæ cursu nonagenarius vitam reliquit, & ad Dominum migrauit, bonis cœlestibus semper fruiturus.

Niceph. lib. 12. cap. 3.

Marulus lib. 4. cap. 10. & lib. 2. cap. 12. & Fulgosus lib. 6. cap. 9.

197 Banonem in Gallia, ex prædone, monachum factum accepimus: & qui in syluis viatores dispoliare solitus fuerat, postea in monasterio cella inclusum vixisse, manus ac pedes vinculis ferreis onerasse, hordeaceum panem cinere mistum esitasse, carne vinóque abstinuisse: cilicium pro strato, lapidem pro puluillo habuisse: sæpè dum Deo laudes diceret, eundem lapidem humero sublatum tenuisse. Catalogo tandem Sanctorum adscriptus.

Th. F. H. lit. A. fol. 413.

198 Banus quidam in Iudæa solitarius viuebat, sub Claudio principe, arborum ramis pro vestitu, fructibus pro alimento vsus, crebrisque nocte ac die lauacris frigidis ad arcendam libidinem sese immergens. Cuius contubernio per tres annos Iosephus ille, qui Antiquitates Iudaicas scripsit, vsus est.

Euagr. lib. 4. cap. 33.

199 Iustiniani tempore fuerunt multi viri miraculis insignes. Inter hos Barsanuphius, Ægyptius, prope opidum Gazam, in-

phrontisterio quodam vixit vitam durissimam. Existimabatur autem se continere in domuncula, licèt spacio quinquaginta annorum aut vltrà nec visus, nec rebus terrenis vsus sit. Cui opinioni cùm Eustochius Episcopus Hierosolymitanus fidem non haberet, sed habitationem perfoderet, vt vbi se contineret videret, ignis prosiliens omnes ferè absumpsit.

200 Basolus Lemouix, diuini verbi studio, patriam deserens comite Angelo, ad Rhemensem ciuitatem peruenit, & ab Ægidio Episcopo honorificè exceptus est. Huius fauore aliquandiu in cœnobio ad radices montis Rhemorum sito vitam egit. Et deinde in excelso nemorosi montis vertice cellam & oratorium ædificauit, in quo quadraginta annos se continuit. Dùm aquæ penuria laboraret, preces ad Deum fudit, quibus impetrauit fontis scaturiginem, qui copiosam aquam postea ei suppeditauit. *Vincent. lib. 21. cap. 116. & Sigebertus, anno Christi 567.*

201 Baudolinus iuxta Tanarum fluuium Italiæ in loco cui Forum nomen est, eremita, miraculis & sanctitate clarus, futura sæpè prædixit, & absentia tanquam præsentia nunciauit. Cùm Luitprandus Rex Longobardorum pro filio suo in venatione vulnerato apud eum intercederet: respondit, mortuum esse filium, neque se pro eo orare posse. *Diacon. lib. 6. cap. 18. de Lõgobardis.*

202 Bernardus solitarius Nazarethæ, solebat tantùm tribus in hebdomade diebus cibum capere, à vino & carnibus in vniuersum abstinens, tenuiter vestiri, manè & vesperi psalmos & preculas recitare, de die montes asperos & inuios perlustrare, vbi latibulum aptum reperiret. Is aliquando crines capitis atque barbæ ambussit, vestes abiecit in eremum, & occursum penitùs refugit humanum, donec tandem post dies quindecim frigore & inedia compulsus, hominum quæreret domicilia. *Gerard. c. 7.*

203 Burcardus Anglus, patria Dorcestrius, ordine clericus, pertæsus hominum, in eremum abijt. Nactus est instituti socium Fremundum, Algari Occidentalium Anglorum Ducis filium: qui neglecto regno cum ipso in eremum abijt: cuius vitam Burcardus Latinè conscripsit libro vno. Claruit senex anno Dom. 870. sub Ethelredo Anglorum Rege, Danis Britanniam vastantibus. *Th. V. H. lit. A. fol. 417.*

204 Caluppa vel Caluppanes in monasterio Metelensi, in finibus Aruerni monachus fuit. Deinde ab Auito Episcopo Diaconus ordinatus est. Dono sanandi diuinitùs ornatus fuit: nam multos infirmos curauit. A cibo & potu adeò abstinebat, vt operas impositas imbecillitate impeditus facere nequiret. Eam verò ob rem à præposito malè acceptus, monasterium deseruit, & in eremum secessit, & *G. Ep. Turon. in Vitis, cap. 11. & lib. 5. cap. 9.*

in excisa rupe cellam sibi fabricauit. Diabolus ei interdum serpentis, interdum verò draconum forma apparuit, & molestiam exhibuit. Cui aliquando respondisse fertur: Tune es ille, qui primos parentes paradiso exturbasti, & fratris dexteram parricidio cruentasti? Apage te, nihil enim commercij tibi cum Christi seruis & fidelibus. Dæmones fœtore totum locum repleuerunt, ac euanuerunt. Anno 50. mortuus est.

Volat. lib. 21. 205 Elpidius Cappadox interrogatus à Ioanne anachoreta, quid tota vita egisset memorabile? Annis quadraginta, inquit, nunquam sol vidit me comedentem. Tum Ioannes: Nec me, ait irascentem.

Turon. lib. 6. cap. 8. 206 Eparchius patria Petragoricensis, Encolesmæ sibi cellulam extruxit. Furem suspensum de patibulo liberauit. Si pecunia ei dabatur, eam pauperibus distribuebat, aut captiuos redimebat. Pro captiuis apud magistratum intercedebat. Quadragesimoquarto anno suæ inclusionis, febre correptus, obijt.

Th. V. H lit. A. fol. 414. 207 Euagrius presbyter, qui sacras literas à Gregorio Nazianzeno didicit, eiusque Constantinopoli Diaconus fuit, annis XIV. mansit in solitudine, contentus pane & oleo. Si quando venereis titillaretur aculeis, demergebat se in puteum, vt aquæ frigiditas libidinis feruorem compesceret. Macarijs fuit familiaris. Multa scripsit, quæ hæretica esse Hieronymus ait. Cùm ad episcopatum obeundum aliquando eum Theophilus Alexandrinus impelleret, per fugam elapsus est: quod & ante eum Ammonius fecerat. Cui cùm Euagrius obiecisset, reum scilicet esse coram Deo, quòd vt ne Episcopus crearetur, aurem sibi amputasset, respondisse ei Ammonius fertur: Annon putas pœnas te daturum Euagri, quòd linguam tu tibi propter philautiam, collato tibi à Deo docendi dono non vtens, abscideris? Ipse aliquando vastæ solitudinis, nunc paradisi incola. *Socrates lib. 4. c. 23. Sozom. lib. 6. c. 30.* Hieronymus, dum Heliodorum inuitat, sic illam laudibus effert dicens: O desertum Christi vernans! O solitudo, in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi ciuitas magni Regis construitur. O eremus, familiariùs Deo gaudens. Quid agis frater in seculo, qui maior es mundo? quàmdiu te tectorum vmbræ premunt? quàmdiu formosarum vrbium carcer includit? Crede mihi, nescio quid plus lucis aspicio. Libet sarcina corporis abiecta ad purum ætheris volare fulgorem. Paupertatem times? sed beatos pauperes Christus appellat. Labore terreris? nemo athleta sine sudore coronatur. De cibo cogitas? sed fides famem non timet. Supra nudam metuis humum exesa ieiunijs membra collidere? sed Dominus tecum iacet.

Squalida capitis horret inculta cæsaries? sed caput tuum Christus est. Infinita eremi vastitas terret? sed tu paradisum mente obambula. Quotiescunque illuc mente conscenderis, toties in eremo non eris. Scabra sine balneis attrahitur cutis: sed qui in Christo semel lotus est, non habet necesse iterum lauare. Et breuiter, ad cuncta audias Apostolum respondentem: Non sunt condignæ passiones huius seculi ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Delicatus es, frater, si & hic vis gaudere cum seculo & postea regnare cum Christo. Beatus seruus, quem Dominus inuenerit vigilantem. Ipse itaque Hieronymus in illa, in qua hæc scripsit, eremo, in illa inquam (vt ipse ait) vasta solitudine, quę Solis exusta ardoribus horridum monachis præstabat habitaculum: annos quatuor moratus est, scorpionum tantùm & ferarum socius, sacco vestitus, humi cubans, aquam frigidam bibens, & cibis crudis vtens, coctumque comedere luxuriæ deputans, carnis lasciuientis pugnas hebdomadarum interdum inedia vincens. Et tamen inter has tantas corporis fatigationes, adeò spiritu exultabat, vt diceret: Oppidum mihi carcer, solitudo paradisus est. Post hæc cùm ad Bethleemam accessisset, & constructo monasterio cum fratribus habitaret, flens fateri solebat, se iam non esse eum qui fuerat: adeò in solitudine sibi melius fuisse existimauit. Post labores, inquit, & lachrymas, & cælo inhęrentes oculos, nonnunquam mihi videbar agminibus interesse Angelorum: & lætus gaudensque cantabam: Post te in odorem vnguentorum tuorum curremus. Sed præstat ipsummet audire ex epistola ad Eustochium de Custod. virg. O quoties ego ipse in eremo constitutus, & illa vasta solitudine, quę exusta Solis ardoribus, horridum monachis pręstat habitaculum, putabam me Romanis interesse delicijs? Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco mēbra deformia, & squalida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lachrymę, quotidie gemitus: & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hęrentia allidebam. De cibis verò & potu taceo, cùm etiam languentes aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepisse, luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaueram, scorpionum tantùm socius & ferarum, sępè choris intereram puellarum. Pallebant ora ieiunijs, & mens desiderijs ęstuabat in frigido corpore, & ante hominem suum iam carne pręmortua, sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus, ad Iesu iacebam pedes, rigabam lachrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia subiugabam. Non depudesco

Marulus lib. 1. cap. 10. & Sabell. lib. 21. cap. 1.

infidelitatis meæ, quin potius plango me non esse quod fuerim. Memini me clamantem, diem crebrò iunxisse cum nocte, nec prius à pectoris cessasse verberibus, quàm rediret domino increpante tranquillitas. Ipsam quoque cellulam meam, quasi cogitationum mearum consciam, pertimescebam: & mihimet iratus & rigidus, solus deserta penetrabam. Sicubi concaua vallium, aspera montium, rupium prærupta cernebam, ibi meæ orationis locus, ibi illud miserrimæ carnis ergastulum: &, vt ipse mihi testis est Dominus, post multas lachrymas, post cœlo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi interesse agminibus Angelorum, & lætus gaudensque cantabam: Post te in odorem vnguentorum tuorum curremus.

Turon. cap. 82.

208 In finibus Biturigum Eusichius eremita, Childeberto Rege quinquaginta aureos offerente respondit: Dato eos pauperibus, ego illis non indigeo.

Niceph. lib. 16. c. 33.

209 Nicephorus Euthimiũ eremi habitatorẽ fuisse affirmat, *virũ* prçclarum & excellentẽ, dignum cuius certamina & labores peculiari libro decantentur: socium Theoctisti, Theodosij & Sabbæ, cum quibus contra calumniatores & obtrectatores Chalcedonensis Concilij, Xenæam videlicet & similes, vtilem Ecclesiæ & strenuam nauauerit operam.

Th. V. H. lit. A. fol. 417.

210 Fiacrius Eugenij IV. Scotorum Regis F. Ferquhardi successoris frater, humili assumpta veste, quò minùs cognosceretur, è patria clàm profectus, in Gallia solitarium quærens locum, à S. Pharaone Meldensium Episcopo, agello, in quo nunc religiosè colitur, est donatus. Constans ea in regione est fama, nefas esse fœminam sanctissimi viri sacellum ingredi: & quæ id aliquando attentauerint, aut oculis priuatas, aut actas in amentiam. Vna aliquando ex temeritate ingressa sacellum eius, statim de mentis sanitate est deturbata, Vnde tale distichon compositum fuit:

Fœmina quæ læsit blasphemo murmure sanctum,
Fecit quòd sancti non intret fœmina templum.

Hincmarus in Vita Remigij. Refert & Sigebertus hanc apparitionem.

211 Anno Anastasij 14. Genebaudus vxore deserta cœlebs viuebat. Factus Episcopus, vxorem ad se venientem, vt in pietate restitueretur, frequenter admisit. Tandem blandis colloquijs victus, cum ea rem habet: quæ grauida ex eo facta, parit filium, quem Latronem appellat. Illa rursus vt antea ædes ipsius frequentante, concipit, & parit filiam, quam Vulpeculam nominat. Ad se igitur reuersus, multis lachrymis vocato Remigio totum hoc negotium patefacit: & propè desperans, à Remigio consolationibus erigitur. Per septennium inclusus, vixit in angusta cellula, Rhemigio interim

ipsius Ecclesiam procurante. Septimo demùm anno apparet ei Angelus Domini, & iubet ipsum egredi è cella. Respondet ille: Sibi non esse integrum vt exeat: apud Remigium enim claues seruari. Angelus vicissim: Vt recognoscas me à Deo te missum esse: ecce saluis signis omnibus ostium tibi patebit apertum, sicut & cœlum tibi apertum est. Genebaudus rursum ad Angelum dicit, sese egredi nolle, nisi ipso Remigio veniente, à quo inclusus esset. Itaque Angelus Remigio hæc omnia commemorans efficit, vt Genebaudus ex illo carcere liberatus, in Episcopatum restituatur.

212 Helias Propheta, prope Iordanem, ad torrentem Carith, solitarius vixit integro triennio, panem cum carne à coruis allatum comedens. *3.Reg.17.*

213 Helisæus discipulus Heliæ exemplum imitatus, in monte Carmeli cum prophetis habitauit.

214 Helias in Apeliote, in finibus ciuitatis Athineos (quæ quondam Thebaidis metropolis fuit) annos LXX. in vastissima solitudine perdurauit. Erat desertum horroris plenum, semita quæ ad ipsum ducebat, angusta scrupeaque & inuentu etiam difficilis. Antrum quoque quod inhabitabat, tetrum atque horrens, ac statim propiùs accedentibus nescio quid terroris incutiens. Hunc se ibi vidisse D.Hieronymus testatur, iam C.& X. annorum senem. Ferebatur autem interdum etiam futura prædicere, euentu haud incerto, vt super eo quoque Heliæ Prophetæ spiritum requieuisse dicerent: cuius nomen sortitus fuerat, & secutus propositum, Deo in solitudine seruiendo. *Marul.lib.1. cap.9.Ruffin. lib.2. cap.8.*

215 Helias ludimagister in Gallia Narbonensi, Hierosolymam petijt sub Fulcone Rege, vt ibi loca natiuitatis, passionis, & resurrectionis Domini lustraret. In itinere ad Eremitarum monasterium diuertens, presbyteri ordinem suscepit. Mox in vasta quadam spelunca prope Hierosolymam vnà cum suis se abdidit. Vbi cùm aliquamdiu delituisset, monachorum, qui vallem Iosaphat incolebant, continuis precibus, & hortatu Patriarchæ Hierosolymitani, istorum se congregationi adiunxit. Isthinc iterum auocatus, Abbas constitutus est monasterij Palmatiæ, non procul à Tiberiade. Inde rursus exemptus à Fulconis Regis Coniuge, Hierosolymam petit: vbi cùm annos paucos delituisset, ad priorem sedem hortatu Nazareni Archiepiscopi reuertitur. Ab eo tempore quo primùm factus est eremita, carne, vino, ouis & caseo penitùs abstinuit. Quotidie, exceptis Dominicis & festis diebus, ieiunauit. Legumina semicruda sine pane sumpsit. Piscibus verò vsus est. Vestitus ei sordidus. Lectioni *Gerardus à Nazereth in vita eius.*

assiduè intentus erat. Inter suos se neque Abbatem, neque Priorem nominari passus est. In Gallijs adhuc degens; Hispaniam ingredi statuit, vt Saracenis ibidem fidem Christianam prædicaret. Suis auctor fuit, vt secum Ascalonem iter facerent, & sese captiuos statuerent, vt totidem numero Christianos captiuitate liberarent. Sed sociorum dehortantium consilijs acquieuit. Pecuniam oblatam respuit. Seipsum solitus est flagellare, vt profusis lachrymis diu lugeret, si quando hallucinaretur etiam in re vilissima. Vigilijs nocturnis tantoperè sese afflixit, vt ad mensam sedens obdormisceret sæpe, & panis buccella ori ingesta rursus excideret. Habitum & mores monachorum Cisterciensium vnicè adamauit, ita vt suorum vnum mitteret Hierosolyma in Gallias, pro adducendo eius ordinis monacho, ex quo omnia quæ ad eam religionem pertinerent, addiscere posset. Eámque etiam ob causam suis in Tiberiadis cœnobio monachis hortator fuit, vt tali cucullo vterentur. Quod tamen illis persuadere non potuit, quia locus ille ad Iordanem supra modum calidus eiusmodi habitum respuit. De ambitione solitus est dicere, omnia vitia diuino auxilio superari posse, vnicum hoc illis sese insinuare, qui sanctiùs præ alijs viuere studerent, & ita quidem vt vix deprehendi possit. Egenis liberaliter dedit, ita vt sinistra manus nesciret quid faceret dextra. Anno 1140. obijt, hæc secum subinde meditans: Terribilis Deus in consilijs super filios hominum. Itē: Nescit homo an amore vel odio dignus sit.

Gerard. à Nazareth cap. 37.

216 Henricus eremita in valle sancti Nicolai prope Antiochiā in monte Nigro tugurium sibi fabricatus est. Nemini penitùs quicquam est locutus: sed nutibus tantùm quid vellet significauit. Nihil occisum edit, nec oua quidem: lacte tamen vsus est recenti. Caput illotum & impexum fuit: pedes nudi, cruraque, sæpè etiam totum corpus.

Hieronym. in vita S. Hilarionis.

217 Hilarion propè Maiomam Gazæ emporium in solitudine habitans, sexagesimotertio vitæ suæ anno, cernens grande monasterium, & multitudinem fratrum secum habitantium, turbasque eorum, qui diuersis languoribus & immundis spiritibus occupatos ad se deducebant, ita vt omni genere hominum solitudo per circuitum repleretur; flebat quotidie, & incredibili desiderio conuersationis antiquæ recordabatur. Interrogatus à fratribus, quid haberet, cur se conficeret? ait: Rursum ad seculum redij, & recepi mercedem meam in vita mea. En homines Palæstinæ vicinæ prouinciæ existimant me alicuius esse momenti, & ego sub prætextu monasterij ad dispensationem fratrum, vilem supellectilem habeo. Serua-

batur autem à fratribus maxime ab Hesychio: qui miro amore venerationi senis deditus erat. Mirentur alij signa, quæ fecit Hilarion (inquit D. Hieronymus) mirentur incredibilem abstinentiam, scientiam, humilitatem. Ego nihil ita stupeo, quàm gloriam illum & honorem calcare potuisse. Concurrebant Episcopi, presbyteri, clericorum & monachorum greges, matronæ quoque Christianorum, grandis tentatio, & hinc inde ex vrbibus & agris vulgus ignobile: sed & potentes viri & iudices, vt benedictum ab eo panem & oleum acciperent. At ille nihil aliud, nisi solitudinem meditabatur, in tantum, vt quadam die proficisci statuerit: & adducto asello (nimis quippe exesus ieiunijs, vix ingredi poterat) iter arripere conaretur. Quod cùm percrebuisset, & quasi vastitas Palæstinæ indiceretur, plus quàm decem millia hominum, diuersæ ætatis, & sexus, ad retinendum eum congregata sunt. Immobilis ille ad preces, & baculo arenas discutiens, loquebatur: Fallacem dominum meum non faciam: non possum videre subuersas Ecclesias, calcata Christi altaria, filiorum meorum sanguinem. Vniuersi autem, qui aderant, intelligebant, reuelatum ei quiddam esse secreti, quod nollet confiteri: & nihilominùs custodiebant eum, ne proficisceretur. Decreuit ergo, publica omnes voce contestans, non cibi se, non potus quicquam sumere, nisi dimitteretur. Et post septem dies inediæ, tandem relaxatus, ac valedicens plurimis, cum infinito agmine prosequentium abijt: mox persuasis turbis vt reuerterentur, elegit quadraginta monachos, qui haberent viaticum, & possent ieiunantes ingredi, id est, post Solis occasum cibum sumere, & in Ægyptum abijt. Eum deinde Hesychius in Cypro insula, duodecim millibus à mari procul, inter secretos asperosque montes perduxit, & quò vix reptando manibus genibusque posset ascendi. Quò introgressus, contemplatus quidem est terribilem valde & remotum locum, arboribusque hinc inde circundatum, habentem etiam aquas de supercilio collis irriguas, & hortulum peramœnum, & pomaria plurima (quorum fructum nunquam in cibo sumpsit) sed & antiquissimi iuxta templi ruinam, ex quo (vt ipse referebat, & eius discipuli testantur) tam innumerabilium per noctes & dies dæmonum voces resonabant, vt exercitum crederes. Quo ille valde delectatus, scilicet vt antagonistas haberet in proximo, habitauit ibi per annos quinque: & sæpè inuisente se Hesychio: in hoc extremo iam vitæ suæ tempore refocillatus est, quòd propter asperitatem difficultatemque loci & vmbrarum (vt ferebatur vulgò) multitudinem, aut nullus aut rarus ad se posset, vel auderet ascendere. A XVI. vsque ad XX. suæ ætatis

Sozomenus & Hieronymus.

annum æstus & pluuias iunco & carice texto tuguriolo declinauit. A XX.vsque ad XXXI.cellula vsus dicitur, cuius latitudo pedum quatuor erat, altitudo quinque, longitudo paulò protensior quàm eius corpusculum patiebatur, vt sicut Hieronymus ait, sepulchrum potiùs quàm domum crederes. Miraculis plurimis claruit: quorum aliquot Sozomenus *lib.5. cap.10. & 15.* plura verò *in eius vita* Hieronymus retulit: vt dono medicandi, sanandi à dæmonibus obsessos, auertendi imminentia pericula & calamitates, & prophetiæ. Vigesimoprimo anno, vsque ad 27.tribus annis dimidium lentis sentarium madefactum aqua frigida comedit, & alijs tribus panem aridum cum sale, & aqua. Porrò à XXVI.vsque ad XXX.herbis agrestibus, & virgultorum quorundam radicibus crudis sustentatus est. A trigesimo autem primo vsque XXXV.sex vncias panis hordeacei, & coctum modicè olus, absque oleo in cibo habuit. Sentiens autem caligine oculos suos & totum corpus impetigine & punicea quadam scabredine contrahi, ad superiorem victum adiecit oleum, & vsque LXIII. vitę suæ annum hoc continentiæ cucurrit gradu, nihil extrinsecùs aut pomorum, aut leguminis, aut cuiuslibet rei gustans. Inde cùm se videret corpore defatigatum, & propinquam putaret imminere mortem, à LXIV.anno vsque ad XXC.pane abstinuit, incredibili feruore mentis, eo tempore, quo cæteri solent remissiùs viuere. Fiebant autem ei de farina & comminuto olere sorbitiunculæ, cibo & potu vix quinque vncias appendentibus. Sicque complens ordinem vitæ, nunquam ante Solis occasum, nec in diebus festis, nec in grauissima valetudine, soluit ieiunium. A precando & psallendo si quando vacaret, aut humum fodiebat, aut fiscellas ex iunco contexebat: quòd audiebat exercitia hæc & disciplinam esse Ægyptiorum. Lectus ei ad mortem vsque nuda fuit terra, & stratum interdum iunceum. Illusiones Diaboli multiplices frequenter expertus est, maximè orans & ieiunans: vt nudas mulieres, instructam mensam dapibus, gladiatorum spectacula, aliasque eius generis pręstigias; corporis etiam pulsationem. Tandem ad Paphum Cypri, in secretiore loco obijt octogenarius. Reliquias inde clàm in Palæstinam transportauit Hesychius discipulus.

Niceph. lib. 11. c. 34.

218 Hor Abbas, cùm solitudines incoleret, herbis, radicibus & aqua contentus, multos vixit annos. Tria præstitit admiratione digna: nunquam mentitus est, nunquam citra necessitatem locutus, nemini vnquam maledixit.

Turonēs. lib. 6. c.6. & 7. & 97.

219 Hospitius apud Niceam Galliæ turri inclusus, ac ferreis catenis vinctus, miraculis & prophetijs clarus, Longobardorum ir-

ruptionem in Gallias prædixit. Longobardi cùm Niceam quoque venissent, & ascensa turre eum vinctum offendissent, causam quærentes: cùm ille se propter homicidium captum assereret, vnus stricto gladio eum decollare volebat. Manus obriguit. Territus ille miraculo, crucisque signo sanatus Hospitio, Christianus factus est. Infirmum curauit in nomine Iesu Christi redemptoris, cœco visum restituit, dæmonia tria ex muliere eiecit, puellam obsessam à diabolo liberauit, sibi ipsi tempus mortis prædixit. quædam miracula ad eius reliquias facta commemorantur.

220 Ioannes Baptista Christi præcursor, in eremo vixit, melle & locustis vescens; zona pellicea cinctus, veste ex camelorum pilis contexta. Tandem ipso Turbarum festo vocationi suæ initium dedit, an. 15. Tiberij. in Bethabara trans Iordanem primùm (quo loco olim Israëlitæ duce Iosue Iordanem siccis pedibus trangressi erãt) mox etiam in Ennon iuxta Salim pœnitentiam annuncians, & Euangelij symbolo, sacrosancto scilicet baptismate, auditores regenerans. Chrysostomus monachorum omnium statuit principem Ioannem Baptistam. *Homil. 1. in Euangelium Marci.*

221 Ioan, celeberrimus inter Ægypti monachos, à iuuentute in solitudinibus versatus, literarum rudis, sed memoria tenacissima præditus, cui victus herbæ ac radices, potus aqua quocunque in loco inuenta esset. Excelluit duobus potissimùm maximis donis, medendi nimirum morbis incurabilibus, & prædicendi futura. Quam de eo famam audiens Theodosius Imper. ad repressionem Eugenij tyranni profectus, de belli euentu quæri ex eo curauit: anno Domini CCCXVI. iuxta Prosperum. Qui & victoriam certam de Eugenio, & mortem eius in Italia paulò pòst, prædixit. Habitauit in ea Thebaidis eremo, quæ adiacet oppido Lyco. Spelunca eius in prærupti montis vertice, ascensu difficili, adituque obstructo erat, ita vt nemo ad eum ingessus sit à XL. vsque ad XC. ætatis suæ annum. Per fenestram aduenientibus præcepta salutis dabat; eisque extrinsecùs, vbi commodè requiescerent, hospitiolum fecerat. Ipse intus solus morabatur, finem expectans vitæ, vt vitam, quæ finem non habet, inchoaret. Cùm primùm ad eremum secessisset, tribus continuis annis sub cuiusdam sacri rupe stans, semper orauit, nunquam resedit: tantum somni cepit, quantum refectus capere potuit, cibum quoque non alium gustauit, quàm Dominicis duntaxat diebus Eucharistiæ Sacramentum à Sacerdote delatũ; de pedibus quòd tamdiu immobilibus, fluxisse saniem aiunt: Angelum autem Domini vlcera eius tactu curasse, labia sapientiæ spiritalis fonte perfudis- *Sozom. lib. 6 c. 28. Theod. l. 5. c. 24.*

ſe: & vt deinceps cæteros fratres per eremum vſitando inſtituere ac docere pergeret, ſimul iuſſiſſe.

Marul.

222 Ioannes eremita in Sicilia, animam Dagoberti Regis vidit à Dæmonibus deportari, & à Dionyſio, Mauricio, & Martino liberatam in cœlum ferri.

Sigeb. in Chron. anno 645. Aimoinus lib. 4. c. 34.

223 Ioſaphat Indiæ rex, Auenir regis filius, Barlaam eremitæ ſuaſu, fidem amplexus Chriſti, poſtquam omnes, qui ſuæ ditionis erant, baptiſmatis gratia renouandos curaſſet, ædificatis vicatim Eccleſijs, depoſuit regnum; nihílque ſecum ferens, niſi mundanæ gloriæ contemptorem animum, ſeceſſit in ſolitudinem: iunctúſque ipſi Barlam, vitam traduxit, in eremo, quæ dicitur terræ Senair.

Io. Damaſc. & Mar. lib. 1. cap. 1.

224 Iudocus Vinnoci frater, mortuo patre Iudicail, ſpreto Regno, cum quibuſdam Romam peregrinantibus, ſumpto baculo & tabula abijt, & clerici officio inter ipſos functus eſt. Poſtquam autem in pagum Pontiuum poſt annos vndecim delati ſunt, hoſpitium ab Haimone duce impetrarunt: factuſque eſt Iudocus presbyter, & Haimonis filium de ſacro fonte leuauit. Poſt annos ſeptem abdicans ſe miniſterio, ſeceſſit cum diſcipulo Mirmaro in eremum; & in loco qui dicitur Brahic, cellulam extruxit, vacans aſſiduis precibus. Mendicis eò venientibus, omnes ſuos commeatus diſtribuit. Murmurante autem eius famulo, quatuor naues onuſtæ cibo & potu ad eius cellulam ſine remige venerunt. Vexatus à Diabolo mutauit locum, & alium elegit Rumachum nomine. Eduxit viuos latices ex arido ſolo, baculo terram percutiens, cùm Haimo in venatione ſitiret. Romam abijt: Sanctorum reliquijs ſecum abductis, cæcam puellam illuminauit: & ad ſuum ſacellum delatus, in pago Pontiuo obijt, anno Domini 653. iuxta Sigebertum.

Pet. de Natalib. lib. 1. cap. 65. & Vincent. lib. 24. cap. 105. & 106.

225 Leonardus eremita vixit in pago Cenomanenſi: & præter alia miracula quæ fecit, duobus cęcis viſum reſtituit: Conſtruxit ibidem monaſterium. Lotharius Rex, apud quem falsò delatus fuerat, eum ęijcere conſtituerat: ſed Regis famuli Leonardi oratione territi, re infecta, abierunt.

Vincentius lib. 21. c. 82.

226 Macarius Ægyptius monachus ſub Conſtantio & Valente, à Lucio Epiſcopo Alexandrino Ariano nequiſſimo, in exilium pulſus, vixit annis XC. in ſolitudine LX. exegit. Exercitia multa aſperiora ſuſtinuit, de quibus ad Euagrium diſcipulum ſuum, cùm ad eum is in ęſtu feruenti veniſſet, & aquę hauſtum ad ſitim ſedandam petijſſet, ipſe verò ſufficere ſibi vmbram reſponderet, dixit, ſe annis totis XX. nec pane, nec aqua, nec ſomno ad ſatietatem vſque vſum eſſe. Nam panem, inquit, meum comedi in pondere, & aquam

bibi in mensura: & corpus meum parietibus applicando, somni nonnunquam quàm minimum mihi surripui. Alter Macarius Alexandrinus fuit eiusdem professionis, claritatis, & fortunæ, dissimilis morum suauitate. Secuti sunt illos clarissimi monachi; Isidorus, Heraclides, Pampus: relegati primùm in insulam intra paludes Nili sitam, ex qua dæmones omnes & idola miraculis suis expulerunt. Id ægrè ferens Lucius Episcopus, & gloriæ illorum inuidens, in eremum ex insula eos reuocauit. In precando posterior iste Macarius adeò fuit assiduus, vt pilos genubus innasci prohibuerit: reliquo corpore piloso existente. Est & tertius Macarius, qui cùm puer oues pasceret iuxta lacum Maria, ioco interfecit vnum ex sodalibus, & metu pœnæ in solitudinem profugit, & in ea mansit per XXIIX. annos, beatam eam calamitatem vocans, quæ ad hanc vitam sese compulisset. *Socrates l.4. c.23.* *Sozom. l. 3. cap.14. Ruffin.lib.2. c.4.* *Socrates l.4. c.23.* *Sozom.lib.6. cap.29.*

227 Macedonius in montibus Antiochiæ vicinis eremita fuit literarum penitùs ignarus. Cùm autem Theodosius Imperator tributum extraordinarium Antiochenis imperasset, illi ira conciti, statuam æream Placillæ reginæ demoliti fuerant. Itaque Theodosius & libertatem ciuitati eripuit, & cædes magnas cogitabat, missis eò qui id exequerentur præfectis. Macedonius fama rei excitus, in media vrbe præfectos ab equis descendere iussit, & Imper. suo nunciare: Meminisset se hominem esse, & à Dei Opt. Max. metu pendere, eius benignitatem imitaretur: neque propter æream statuam, Dei imaginem hominem crudelissimè interfici curaret: maximè cùm statuæ multæ pro vna reponi possent, at ne pilum quidem Imper. interfecto homine restituere posset. Præfecti Theodosio rem indicant. Ille Macedonio paruit, & Antiochenis pepercit. *Theodoret. lib. cap.20.*

228 Mainradus Berchtholdi Comitis Sulgoniensis ad Danubium filius, ex voto matris primùm monasterium Diuitis Augiæ ingressus, mox in Eremo Heluetiorum solitariam vitam sanctissimam egit sub Ludouico Pio Imperatore. A duobus latronibus an. Domini 863. interfectus, & in diuite Augia sepultus est. Desertam eius cellam sexaginta annis pòst Eberhardus Decanus Argentinensis & Gregorius filius Anglorum Regis inhabitare cœperunt: donéc & Othone I. monasterium illic ædificatum est. *Stumpf. & Brusch. Sigeb. an.856.*

229 Maria Ægyptiaca, in Ægypto parentibus Christianis nata, æstu libidinum concita, Alexandriam velut ad mercatum iuerat: & cùm corpus suum vulgaret, viuens mortua erat. Cùm Alexandria Hierosolymam venisset (sub Valentiniano & Valente Imp.) non potuit templum Dei ingredi, vsque inuisibili inhibita substitit in limine. Miratur, stupet, erubescit, & pedem inuita refert. Vbi re- *Marul.lib.1. cap 9.& Sabell. lib. 2. cap.2.*

cognouit sacro aditu se indignam, quòd prophanis vitæ obscœnitatibus esset polluta, nequiter actæ ætatis pœnitudine grauiter angi animo cœpit, & lachrymas effudit, decernens ibi turpitudini finem imponere, vbi Dei erga se indignationem cœperat experiri. Rursumque tentato ingressu, liberè absque impedimento introiuit. Mox ante crucem Domini suppliciter prostrata, tamdiu flere non destitit, donec audiuit, si saluti suæ consultum vellet, Iordanem transiret. Transmisso ergo Iordane, desertum penetrauit, iam aliam vitam, alios mores sequens, quàm quos ad eam vsque diem non deseruerat. Iam primùm caput illud, quod sæpè margaritis & auro ornauerat, cœli obiecit iniuriæ, nullo tecto contenta: crines, quos frequenter calamistro intortos crispauerat, cùm desecuisset, pedibus conculcandos proiecit. Faciem, quam pluries cerussa & purpurisso fucauerat, lachrymis rigauit, & solis excoxit ardoribus. Pectus quod fasciolis papillarum tumorem cohibentibus astringere consueuerat, pugnis diuerberauit. Totum denique corpus, quod priùs omni voluptatum genere diffluxerat, extenuauit ieiunijs, vexauit vigilijs, fatigauit laboribus, sollicitauit assiduitate orationum, deuenustauit nuditate, oppressit inopia. Sic penitùs immutatam, post quadragesimum conuersionis suæ annum, Zosimas Abbas (dum fortè per desertum illud solus incederet) vidit, deprehenditque orantem procul à terra subleuari, trans flumen euntem, super aquas siccis vestigijs ambulare.

Marul. lib. 1. c. 9. & Sab. lib. 2. cap. 2.

230 Maria Magdalena omnia peccata sibi dimissa esse, iampridem audierat: optimam partem quæ non auferretur ab ea, Domino attestante, se elegisse cognouerat: resurgentem Dominum prima videre meruerat, pro amore illius omnia contempserat. Deinde apud Massiliam Galliæ vrbem inanium Deorum simulachra, Christi prædicatione iam prostrauerat, salutiferæque crucis vexillum erexerat: necdum tamen se fecisse satis putauit, donec solitudinis angustijs carnem suam aliquando delicti ream non macerasset, afflixissetque. Annos itaque triginta nulli hominum visa, nulli cognita, vixit in deserto, non humano cibo, sed Angelicis fomentis assiduè sustentata. Die verò obitus sui imminente, sacram communionem de manu Maximini Episcopi accepit.

Marul. lib. 1. c. 9. ex Mariano Scoto.

231 Marinus, vel Martinus [quem Gregorius in Massico Campaniæ monte vitam duxisse tradit] tanti solitudinem fecit, vt ne quando vlla rerum difficultate, vel dæmonum molestia superatus, inde recederet, ad ferream catenam, quàm saxo affixerat, vix solubili compede ipsese alligauerit. Attamen B. Benedictus Abbas vbi id resciuit, volens, vt iugis in deserto commoratio constantiæ potiùs viri

quàm ferreis nexibus adscribi posset, protinùs nuncium ad eum misit, inquiens: Si seruus Dei es, non teneat catena te ferrea, sed catena Christi. Quamobrem ille vincula quidem deposuit: sed tamen speluncam ingressus, aditu obstruso, habitare cœpit. Deinde etiam discipulos aliquot secum coniunxit: multisque præterea miraculis nobilitatus est, atque inter sanctos habitus.

232 Mennæ Samnitum prouinciæ solitario paucula apum alucaria victum frugalem suppeditabant. Eò accedens quidam Longobardus latro, frustraque ne aliena raperet monitus, sacrilegas apibus intulit manus. Continuò autem raptor à sathana vexari cœpit. Indoluit Mennas inimici casum, ita vt in posterum neque apes habere vellet. Proximi vici beneficio sustentatus est, in diem panem afferentibus, quos ille præceptis imbuebat salutis. Sæpè syluestres vrsos ferula, qua gradus ambulando firmabat, à suis aluearijs dicitur abegisse. Obsessos à dæmone liberauit, & omnia secreta nouit, tempore Iustini iunioris. Gregor. lib. 3 Dial. c. 26.

233 Michael Corupalates Constantinopolitanus Imper. in bellis semper victor, semel à Bulgaris superatus, præ pudore imperium deposuit: & quod vitę superfuit, religiosè in solitudine transegit. Fulg. & Egn. lib. 4. cap. 5.

234 Michael ex Polensi Venetorum vrbe oriundus, homo idiota, monasticam vitam amplexatus, à Deo petijt, vt ferreus quo cinctus erat circulus rumperetur, vbi ad locum suæ saluti congruum veniret. Cuius voti etiam compos factus est. Eo enim die, quo eremum petierat, inter preces lacrymasque largas, statim circulus ferreus fractus est. Petr. Damian. in vita Dominici, ad Alexandrũ.

235 Moses Maurus latrocinijs Ægyptum infestauerat: sed Anachoretarum inibi vitam contemplatus, Isidori Abbatis in Scethi apud Thebaidem factus est discipulus. Quinque & septuaginta annos Deo in solitudine seruiuit, sex annos cella inclusus permansit: ad multam noctem stans orabat, pane tantùm & aqua sustẽtabatur. Nocte peragrabat solitariorum tuguria, hydriasque eorum aqua replebat, vt procul haustum petentibus laborem leuaret: peracto officio tacitus redibat. Presbyter factus monachorum, moritur anno ætatis 75. præstantissimis discipulis post se relictis. Sozom. lib. 6. cap. 29. & Marulus lib. 4 cap. 10. & lib. 1. cap. 12.

236 Nicolaus eremita Vnderualdensis, vxore relicta, ex qua mares quinque, filias totidem susceperat, in solitudinem se contulit, & in ea vnum & viginti annos absque cibo & potu vixit, Angelo quàm homini similior. Vitæ sanctimonia insignis, de reconditis sacrorum mysterijs multum disputabat, cùm tamen nullum vnquam ea in re studium posuisset, & planè illiteratus esset. Lætus semper Stumpfius.

conspiciebatur, ad pœnitentiam omnes Heluetios, ad concordiam inprimis, vtque externorum principum fœdera vitarent, hortabatur. Die festo suos in templo Saxlensi conueniebat, eosque non modò voce, sed & exemplo ad pietatem accendebat. Illudque liberè profitebatur, longè gratius sibi fuisse, quòd diuino auxilio carissimam vxorem relinquere, quàm quòd cibo & potu omni abstinere potuerit. Oculi eius grato quodam, eodemque terribili splendore fulgebant. Arteriæ & venæ iugulares inter loquendum ita intumescebant, vt spiritu non sanguine repletæ viderentur. Anno tandem 1502. vir rarissimi exempli placidissimè exspirauit. Cuius monitis vtinam Heluetij parerent, vitæque sanctimoniam æmularentur. Eius vitam Alius quidam imitaturus, consilium à Nicolao adhuc viuente petijt, quanam ratione etiam ipse eas abstinentiæ dotes assequi posset. Cæterùm Nicolaus hominem seriò admonuit, non humano, sed diuino instituto hæc fieri: neque Dei dona omnibus ex æquo distribui. Hortari igitur, vt sorte sua contentus, suæ professioni incumberet, non stulta æmulatione talentum suum defoderet. Is verò cōsilio pij viri spreto, eremiticam vitam nihilominus sequebatur. Tandem cùm in vinaria vasa, quibus more Heluetico vinum honorarium peregrinis conferri solet, impurissimus homo ventrem exonerasset, in vincula coniectus, bonisque mulctatus, ad secularem vitam redijt.

Marulus lib. 1. cap. 10. & Sabell. lib. 2. cap. 2. & Volater. lib. 17.

237 Onuphrius monachus, cùm Hermopoli in monasterio sese aliquandiu exercuisset, quasi à ludo ad certamen progredi cupiens, ad quandam vastissimam eremum solus abijt, & in ea annos sexaginta hominibus prorsus incognitus permansit. Consumptis autem quæ secum tulerat indumentis, superiorem corporis partem barba & capillis, interiorem, vbi plus pudoris inest, arborum folijs virgultisque contexerat. Annos triginta non alio pabulo vsus est, quàm quod arbores herbæque syluestres dabant. Totidem pane se & aqua frigida sustentauit. Hunc tandem humaniorem victum sibi ab Angelo, à quo etiam Eucharistiam Dominico quoque die accipere solitus erat, suppeditatum ferunt. Paphnutius Abbas, qui vitam eius Græco sermone scriptam edidit, dum desertum peragraret, eodem die quo in eum incidit, cum viuo collocutus est, & defunctum sepeliuit.

Cass. Coll. 3. cap. 1.

238 Paphnutius, Scythiotici deserti pater, & reliquorum eremitarum pastor, primùm in schola cœnobij ab adolescentia institutus, relicto isto vitæ genere, in solitudinem secessit, in qua ad extremam vsque ætatem perdurauit: atque hinc inditum cognomen Bu-

 bali,

bali, propterea quòd perraro cæteris in solitudine fratribus sui videndi copiam fecerit, præterquàm cùm pro more ad res diuinas congredi fuit necesse. Ex quo tamen congressu, nunquam tantum sibi temperauit, etiam nonagenarius, vt vacuus ad cellam suam reuerteretur, quin vrnulam aquæ, cuius per totam hebdomadam vsum haberet, suis humeris secum portaret.

239 Paulus Simplex, discipulus Antonij Magni illius, eremum ea occasione secutus est, quòd vxorem cum adultero deprehendisset. Ab Antonio institutus, deinde seorsim habitans, miraculis claruit, magistro non inferior. Scribunt eum ad interrogationem, Esset ne Christus prior Prophetis? per triennium nemini quicquam esse locutum: offensum scilicet otiosa & insulsa quæstione. *Sozom. lib. 1. cap. 13. Marul. lib. 4.*

240 Paulus Thebeus primus eremita apud inferiorem Thebaida, cùm Decij & Valeriani persecutionem fugeret (metuens ne à sororio proderetur) sexdecim annorum adolescens solus deserta petijt. Et inuenta in montis radicibus saxea spelunca, quam iuxta molliter fluens riuulus terram irrigabat, & effusis desuper ramorum vmbraculis palma Solis arcebat ardores, captus amœnitate loci, vbi latere concupierat, habitare cœpit. In tantum, vt cùm centum & tredecim vixisset annos, nunquam inde discesserit, hominem nunquam viderit: præterquam die vitæ supremo Antonium iam nonagenarium diuinitùs monitum, à quo & humatus fuit. Palmæ primò fructibus nutritus est, deinde per annos sexaginta dimidiati panis fragmentum singulis diebus comedit, coruo ministrante. Neque aliud quàm aquam bibit. Indumento de palmarum folijs contexto nuditatem operuit. *Hieron. in vita eius.*

241 Petrus Damianus, qui Cardinalatus honore insignis, Hostiensis Episcopatus titulum gerebat, Pontifice Gregorio VII. Cardinalatus dignitati, atque eius Pompæ, longè maiori animo, quàm plerique eam parare nitantur, renunciauit, atque in eremum se transtulit: sapienter intuitus, quot labores purpura tegat: contraque quantum quietis atque bonæ spei eremus polliceatur. *Fulg. lib. 4. cap. 1. & Palatina.*

242 Narrat P. Damianus de quodam Eremita montis Thabor, qui cùm stimulos libidinis persentisceret, irritatus à quadam formosa iuuencula Saracenica, quæ latibula quæritans, ad eius speluncam venerat, ingressus est vastum nemus, vt labore, fame atque siti æstum libidinosum restingueret. Ibi quendam canicie grauem apparuisse illi, atque ceruicem eius tam fortiter percussisse, vt carnis strumam euomeret, & postea cibum potumque dedisse. Tandem hoc consilij ab eodem accepisse, vt quoties ardorem libidinis persentisceret, *P. Damian. c. 2.*

ſecundum Heliam inuocaret, intereeſſorem apud Deum.

Mart. Rom. 4. Sept. & 15 Iulij.

243 Roſalia, Virgo Panormitana, ex regio Caroli Magni ſanguine orta, pro Chriſti amore paternum Principatum, Aulamque profugiens, in Montibus ac ſpeluncis ſolitaria, Cæleſtem vitam duxit. Eius ſacrum Corpus in Monte Ercta prope Panormum repertum diuinitùs, Anno Iubilei, Siciliam à Peſte liberauit. Nunc Panormitanæ felicitatis Patrona ab ijs populis ſtudioſiſſimè colitur.

Bonfin. lib. 4. Decad. 2.

244 Salomon Hungarorum rex à patruelibus ſuis, Ladislao & Geyſa Ducibus, quibus iniuſtas ſtruxerat inſidias, regno pulſus, Chuteſci Chunorum principis auxilio inſtructus, bis magna cum ſtrage ab Hungaris repulſus eſt. Iſtrum glacie concretum ſicco pede tranſiens, in proxima ſylua ſocios curare corpora iuſſit: Ipſe poſito ſcuto, tanquam naturæ neceſſitati ſatisfacturus, ſeorſim abiens, eremum incoluit, hominum congreſſum vitauit, ſemel tantùm Colomanno regnante in Hungaria viſus, nuſquam ampliùs apparuit. Tandem in Iſtriæ ſyluis corpore ſolutus, Prolæ ſepultus dicitur.

Vide Th. V. H. Titul. Fugere conuerſationem.

245 Septem adoleſcentes fratres Epheſi ex ijſdem parentibus nati, cùm palàm Chriſtum profiterentur, timore perſequutionis exanimati vrbe ſeceſſerant, ac ſeſe in ſpeluncam proximi montis abdiderant. Cuius aditum induſtrij perſecutores extrinſecùs ita obſepſerunt, vt euadendi etiam enixè molientibus facultatem eriperent. Pueri vt ſe clauſos vallatoſque ſenſerunt, in mœrorem conuerſi, repentè ſomno acriore oppreſſi ſunt, atque ita vſque ad annum Salutis 446. ſopiti manſerunt.

246 Serapion vnus ex antiquiſſimis deſerti Scythiæ eremitis, errore Anthropomorphitarum ita deſipiebat, quadam non malitia, ſed ſimplicitate, vt neque à Paphnutio ſuo paſtore in rectam viam reduci poſſet: & quia antiquitate profeſſionis iſtius ſolitariæ cæteros anteibat, & præterea etiam pietate præſtabat multis, eius obfuit auctoritas, vt eundem errorem etiam ipſi pertinaciùs retinerent. Cùm autem aliquando quendam Photinum diaconum ex Cappadociæ partibus illò inuiſendi iſtius loci eremitas ſtudio profectum, diſputantem audiſſet, valdè grauiter & doctè ex ſacris Scripturis & totius Orientalis Eccleſiæ conſenſu, de imagine illa Dei & ſimilitudine, ad quam homo conditus ſcribitur: motus eius aſſertionibus, reliquit ſuam de corporali Dei forma opinionem phantaſticam, & acquieuit in ſententia Photini, qua ille docebat, incomprehenſibilem diuinæ maieſtatis & immenſam ſublimitatem, nulla humanæ formæ atque corporeæ compoſitione & ſimilitudine circumſcribi poſſe, vt quæ ſit natura incorporea, incompoſita & ſimplex. Verùm cùm

Geneſeos 1.

paulò post in gratiarum actionem exsurrexisset, sensit inter precandum ex corde suo elabi atque euanescere eam, quam oraturus Antropomorphi immaginem sibi proponere consueuerat. Consternatus igitur mente, prorupit in amarissios fletus: insuper & humi procidens, hanc maximo eiulatu lamentabilem edidit vocem: Heu me miserum, tulerunt à me Deum meum, & quem nunc teneam non habeo, vel quem adorem aut interpellem iam nescio. De hoc ipso Serapione narrat etiam Isaac, & ipse vnus ex ista eremitarum congregatione, quòd fuerit vir simplicissimus, qui de substantia & natura diuinitatis nunquam penitùs fuerit eruditus, sed & rusticitatis vitio & antiqui erroris consuetudine deceptus sit. *Cassian. cap. 3. Collat. 10.*

247 Simeon Susotionis F. ex vnico Sisan oriundus, annum tantùm cum fratribus in monasterio Antiochiæ conuersatus, in desertum abijt, annos tres in spelunca clausus permansit. Sed hoc ei commune cum multis: illud autem proprium & peculiare, quòd deinde super columnis dicitur habitasse: quarum altissimam cubitorũ XXX. fuisse ferunt. In vna eum perstitisse annos IV. in alia XII. in alia rursum XII. in alia iterum IV. & in alia postremò quæ procerissima erat, ad obitum vitæ XVI. Eas pro pulpitis habuisse, satis probabiliter videri potest: quandoquidem multis ex gentibus rei nouitate exciti ad videndum illum confluebant, & ab idolis ad Christũ prædicationibus ipsius conuertebantur. Institutum illud cùm esset non tantùm insolens, sed & sine reliquorum consilio aut approbatione susceptum, miserunt monachi communi consensu quosdam, qui ipsius consilium exquirerent, mandarentque ipsorum verbis vt descenderet, hac addita exploratione: Quod si ad obsequendum ipsorum monitis futurus esset promptus & facilis, relinquerent ipsum suo sibi arbitrio: haud dubiè enim ipsius consilium esse ex Deo. Sin verò difficilem & pertinacem se esset exhibiturus, deturbarent illum vi & violentia. Legati ergo cùm ad ipsum venissent, & vix suorum mandata exposuissent, iam sublato altero pede ad descẽdendum erat paratissimus. Quod illi vbi senserunt, arbitrati sunt eius obediendi promptissimum animum satis posse esse indicio, à Deo esse ipsius inuentum. Quare ipsi gratulati & bene precati, cursum quem cœperat, feliciter vt persequeretur, hortati sunt. Vixit in columnis minoribus annos VII. Deinde verò in columna XL. cubitorum XXX. annos vitam egit, & hinc Stelites dictus est. Cùm Imp. Theodosius posterior aliquando imperasset Antiochenis, vt synagogas ademptas Iudæis restituerent: ille missis ad Imperatorem literis, acriter ipsum obiurgauit, vt sua mandata non retractaret solùm, & Christia-

Euagr. lib.5. cap. 13. & Niceph. lib. 14. cap. 51. & Theodorus Lector lib.1.Collect. Marulus lib. 1. cap.9. Niceph. lib. 15.cap.22.

nis Antiochiæ quæ ipsis viderentur hac in re permitteret: sed etiam ipsum præfectum, cuius impulsu ea res instituta fuerat, dignitate priuaret. Post mortem corpus perlatum est Antiochiam sub Leone Imper. magna pompa: exercituum quoque duce cum parte copiarum eam deductionem prosequente, ne qui ex vicinis vrbibus cadauer ipsum, quod certatim cupiebant, auferrent. Habuit discipulum Danielem, qui ex ipsius schola egressus, magistrumque imitatus, ipse quoque hoc nouum monastices institutum coluit.

248 Simeones in Emesa monachus, summus mundi contemptor, virtutibus excellentissimus, vaticinio clarissimus, Mauricio imperium prædixit. Cùm terræmotus, qui Phœnicem maritimam concussit, instaret, plures columnas in foro flagellans, inquiebat: State, saltandum vobis est. Quæ flagellatæ non erant, paulò post terræmotu corruerunt, reliquis saluis. Dæmones fugauit, omnem morbum curauit. Nemini, quo modo Deum coleret, indicabat. Accusatus de stupro ancillæ sui familiaris, suspicionem auxit ancillæ confessio, eiusque vox, quòd se hominem esse & carnis flammas sentire fateretur. Abijt postea in desertum, & cùm tempus pariendi instaret, parere illa non potuit. Cùm autem Simeon, qui dedita opera redierat, pro ea orare iuberetur: dixit eam non parituram, nisi priùs verum patrem ostendisset. Quod cùm illa fecisset, mox peperit, & Simeones suspicione liberatus est. Puerperæ cibum & potum ieiunanti attulit. Rami ex arboribus, quæ in eo monte nascebantur, suppeditabant ei cibum, & potum. Interdum tamen in tabernis, quolibet genere, sine descrimine vescebatur.

Euagr. lib.6. cap.24.

249 Sisinnius Monachus, discipulus Elpidij, sepulchro se inclusit, in quo pane & aqua vixit contentus, ad mortem vsque.

Vide Th. V. H. Titul. Monachorũ ordines.

250 Stephanus præpotenti familia apud Aruernos patre Stephano natus, Milone Beneuentano antistite à primis annis vsus est præceptore. Ex ephebis egressus, peregrinationibus fuit occupatus. Tandem prope Lemouicas Aquitaniæ in densissimo nemore inter spineta, cum vno atque altero socio, sedes fixit. Defunctum discipuli in eremo, in Grandi monte sepelierunt: vnde nouo postea Grandimontensium Ordini nomen inditum fuit.

Æn. Syl. in Hist. Boh.

251 Suatacopius Morauorum Rex Arnulfo Imperatori tributum pendere recusans, acie victus, mutato habitu fugiens, in monte Sambri tribus eremitis sese coniunxit. Moriens tandem quis esset confessus: & à filio Volegradum relatus.

Marul. lib.1. cap.1.

252 Theonem intra suam cellulã clausum habitasse apud Thebaida, non procul ab Vrbe, atque etiam porrectæ de fenestra ma-

nos tactu infirmos curasse: sed tamen noctibus ad eremum progredi solitum, tradunt.

253 Venerius Othonis III. & Gregorij I. tempore ex cœnobio S. Benedicti apud Tybur, vbi degebat, iniussu Abbatis in solitudinem proximam, in insulam Palmariam perrexit. Castigatus deindè à S. Romualdo Abbate, missionem impetrauit, inuentus deindè in horrido & alto saxo mortuus in genu cernuus. *Volat. lib. 1. Anthrop.*

254 Zosimas Sindenus Phœnix in regione Palæstinæ LIII. annos absoluit in eremo, contentus cibo tenuissimo. Mariam Ægyptiacam, quæ iam 40. annis in deserto vixerat, orantem à solo subleuari vidit, & flumina siccis transire pedibus, eamque mortuam tumulauit. Arcesilao viro nobili familiaris, oculum vxoris eius excussum curauit oratione. Leonem, qui ei asinum interfecerat, coëgit onus Cæsaream portare. Futurorum quin etiam prouidus, præsentium gnarus, quanuis procul abesset Antiochia, tamen terræmotum Antiochiæ, qui septimo anno Iustini senioris accidit, sciuit, ac in ipso momento sensit. Subitò enim consternatus, gemebundus, tantumque lachrymarum fundens, vt ipsam terram rigaret, arculam thuris poposcit: ac toto illo tempore, quo Antiochia terræmotibus concutiebatur, sacrificans in terram sese proiecit, precibusque Deum placauit. *Euagr. lib. 4. cap. 7.*

255 Anno Domini septingentesimo decimoquarto, Mauris Hispaniam vastantibus, cùm nonnulli regni Castellæ nobiles ad Asturiæ & Cantabriæ montes se contulissent, Aragoniæ quoque plures equites ad Pyrenæos montes confugerunt. Ibi Ioannes quidam in quadam spelunca coniuncta rupi, quæ Penna dicebatur, ædiculam sibi velut eremum construxerat, & sancto Ioanni Baptistæ dedicauerat, ibique solus viuens, vitam finiuerat. Ad eam ædiculam in montibus abditam Cæsaraugustanus eques, Votus nomine, ceruum insequens, peruenit, & arbustis ense præcisis ingressus, corpus Eremitæ, quod insepultum apud altare iacebat, aspexit: simul quoque literas in altari ferreo stylo sculptas legit in hac sententiam: Ego Ioannes huius ædiculæ conditor, & primus habitator, velut in eremo Deo seruire cupiens, hanc ecclesiolam paruumque sacellum erexi, sanctoque Ioanni Baptistæ consecraui: in qua vixi diutiùs, & nunc mortuus in Domino requiesco. Votus ergo Deo gratias agens, Eremitæ corpus humo cooperuit, & bona sua vendidit omnia, eorumque pretium Christianis pauperibus erogauit: idem frater eius Felix fecit: & ad ædiculam sese contulerunt. Horum postea consilijs Christiani animati, ann. Domini septingentesimo trigesimo, Gar- *Marinaus lib. 8. Rerum Hispania.*

ſiam Ximenium de genere Gothorum ſibi ducem contra Mauros elegerunt, à quo Reges Aragoniæ deſcendere. Cæterùm hæc paucâ exempla ſufficiant, vt noſtri Ordinis Eremitas, ad captandam, fouendámque arctiùs ſolitudinem, ac mundi curas eliminandas alliciant & incendant. Quæ omnia ideò ſcripſimus, & in lucem edidimus, vt præſertim ab omnibus

Laudetur ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum; & benedicta ſit ſemper B. MARIÆ Virginis Puritas, & immaculata Conceptio.



FINIS.